Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JO: FACUNDI RAULIN
CÆSARAUGUSTANI

Ordinis Eremitarum S. AUGUSTINI *Ex-Generalis, atque Hispaniarum Indiarumque Assistentis:*

HISTORIA
ECCLESIÆ MALABARICÆ
CUM
DIAMPERITANA SYNODO
Apud Indos Nestorianos, S. THOMÆ Christianos nuncupatos
COACTA
AB ALEXIO DE MENEZES
Augustinensi An. Dñi MDXCIX.

Nunc primum e Lusitano in Latinum versa

CUI

Accedunt, cum Liturgia Malabarica, tum Dissertationes variæ: omnia perpetuis animadversionibus illustrata.

ROMÆ, MDCCXLV.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO PAPÆ XIV.

F. JO: FACUNDUS RAULIN AUGUSTINENSIS
FELICITATEM.

QUOD AURELIUS PRUDENTIUS Civis meus olim cecinit, Deum æquis oculis, bonoque vultu Hispanos aspicere (a); si unquam

(a) Aurelius Prudentius, Peristephan. Hymn. X. versu IV. *Hispanos Deus aspicit benignus.*

Digitized by Google

alibi, id maxime experimento didici, Beatissime Pater, cum me ab Iberis oris Romam advectum, atque ad tuos provolutum pedes, adeo humaniter excepisti, ut quidquid laboriosi itineris percurreram, amicorum & nativi Cœli jacturam, denique incommodum omne, hac una mercede, mihi abunde repensum existimaverim. Quem enimvero non mirifice recreet singularis Clementia tua quam cum Majestate ita conjungis, ut altera alteri nihil detrahat, & utramque suavi temperamento componens, non aliter supercilii gravitatem quodammodo exuere videaris, quem ut Optimi Principis partes cumulatissime impleas. Neque id solum cum ad tuos pedes primum accessi, expertus sui, sed quoties per sexennium accedere, tuoque alloquio frui, mihi licuit (licuit autem sæpius) toties comitatis tuæ, atque affabilitatis novum aliquod certissimumque argumentum accepi. Quamobrem ut aliquo officiorum genere, quam tibi obstrictus sim palam face-

Digitized by Google

facerem, meique erga te obsequentis gratique animi monumentum aliquod, Posteris consignarem, Diamperitanam Synodum toto Oriente celeberrimam, ex Angelicæ Bibliothecæ pluteis erutam, & ex autographo Lusitane conscripto, a me latine redditam, Tibi, ut par erat, nuncupare decrevi: quod opusculum tamen, non antea dignum reputavi, quod tibi inscriberetur, quam postquam me in tuam clientelam susceptum, amplissima beneficentia tua cumulasti: quo factum est, ut quot beneficia in me contulisti, tot titulis tuum esse, atque inde multum illi pretii, ac splendoris accessisse intelligerem.

Verum non solum Benignitas tua plane eximia, sed opusculum ipsum in causa fuit, ut id consilii caperem; quod quidem, non scriptio, quæ mea est, sed ipsa rei gravitas dignitasque postulabat. Quæ gesta siquidem sunt in Diamperitana Synodo, eorumque cum posteriorum Pontificum Decretis mira con-

Digitized by Google

consensio, ejusdem Synodi Historica narratio, Dissertationes aliquæ annexæ, de Apostolatu Sancti Thomæ, de illius sepulcro, sacrisque Lipsanis, de religione, ac moribus Christianorum, qui Sancti Thomæ nuncupantur, vindiciæ Synodi adversus Heterodoxos, aliosque Obloquutores, Indicæ Diœceseos descriptio, & Præsulum, qui eam administrarunt series, porro erant gravissimæ res, atque dignissimæ quæ sub tuis auspiciis publica luce fruerentur: neque id quisquam negaverit, qui non solum dignitatem, auctoritatemque tibi, aliisque pro tempore Christi Vicariis impertitam noverit, sed etiam acrem ingenii tui vim, eximiam doctrinam, omnigenam literaturam, & quod ad rem nostram facit, miram eruditionem, quam in Malabarensibus, totiusque Indiæ ritibus dignoscendis, abunde ostendisti; dexteritatem postremo omni tempore paratissimam, in iis quæ a recta sinceraque Ecclesiæ disciplina deflectunt, instaurandis, reparandisque.

Neque

Digitized by Google

Neque ſilentio prætereundum hic, quod cum de inſtituendis Indis, confirmandiſque in vera Chriſti Religione ageretur, & multæ, eæque acerrimæ controverſiæ ſubortæ eſſent, tibi ſanctæ Generalis Inquiſitionis Conſultoris munus, tunc temporis obeunti, hæc provincia, a felicis recordationis Clemente XI. demandata fuit, tibique commiſſum, ut rem totam, ea qua polles mentis perſpicacitate, introſpiceres, rationum momenta, quæ in utramque partem afferebantur, ad trutinam revocares, ac de iis omnibus rite expenſis, & ordine ſuo digeſtis, Sanctam Sedem certiorem redderes. Tunc, quod tui muneris erat, Malabarenſium ſuperſtitiones, rituſque exoticos, & a vera, quam antiquitus profitebantur, Chriſti religione abhorrentes, ad quos evellendos opera Alexii Menessii, Aguſtinianæ Familiæ Alumni meritiſſimi, fuit Synodus celebrata, penitius verſaſti, dictæque Synodi autographum, non ſemel attente perlegiſti ſumma illius gentis utili-

ta-

Digitized by Google

tate. Hinc postquam Clemens XI re nondum perfecta obiit, ejus Successor Innocentius XIII inter plures lectissimos Viros, quos eidem muneri præfecit, te pariter appositissime delegit. Sed brevi tempore hoc etiam e vivis sublato, Benedictus XIII Familiæ Prædicatorum præclarissimum decus, tuis laboribus & experientia usus, Indorum religioni, ac ritibus, sapientissime juxta atque opportunissime prospexit.

Quæ cum ita se habuerint, consectarium plane erat, ut qui hac in re insigne, operam tuam, aliis Prædecessoribus tuis sedulo impenderas, deinde Bonorum omnium gaudio, ad Summi Pontificatus apicem evectus, eamdem promoveres, atque in id totus incumberes, ut quam citissime, quæcumque ad Sacramentorum dogmata, ritus, disciplinamque stabiliendam; quæcumque ad Indorum ethnicas superstitiones, vanosque ritus propulsandos attinerent, summo, maturoque judicio expenderes, æquissima Sanctuarii lan-

ce

Digitized by Google

ce librares; demum quid in Regionibus illis sentiendum esset, atque sequendum, peculiari edita Constitutione stabilires. In qua, admirabilis Sapientia tua, ac Pastoralis sollicitudo, maxime enituit; ac tanta fuit illius cum Decretis Diamperitanæ Synodi, tamque arcta concordia, ut Spiritus Sanctus, qui Spiritus unitatis est, & pacis, per Diœcesanam Synodum, Apostolicæ sanctionis, rudimentum aliquod ponere, eique proludere quodammodo visus fuerit.

Opus itaque hoc qualecumque, Te Patronum, & vindicem, sibi jure suo, omnino postulabat; ita ut nisi ad id me tua Beneficentia impulisset, adhuc ne operi ipsi, tibique injuriosus forem, illud Tibi nuncupare debuissem. Quod unum ergo superest, hoc observantiæ meæ, & grati animi monumentum sic accipe, ut si quos errores in hocce opusculo obrepsisse animadvertas, qua soles humanitate excuses, eidemque gloriosissimum, quod præfert Nomen tuum, sit

Digitized by Google

contra obtrectatores præsidium munitissimum ; sincerum vero demissi animi obsequium , quod in ipso continetur , & in quo certe errare non potui, plene approbes, & amplectaris. Hoc sane quidem est, tuæ Dignitatis, ac Beneficentiæ erga me tuæ plane impar , sed quidquid pretii ipsi deest , diuturnitate rependam. In Hispaniam enim regrediens , ubique comitatem tuam , Beneficentiam , ceterasque animi tui dotes egregias deprædicabo , & quoad vixero , quibus me cumulasti , beneficiorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. Interim a Summo bonorum omnium largitore , Tibi atque adeo Ecclesiæ universæ , felicitatem omnem , enixe apprecor, tuisque pedibus, paternam postulans benedictionem , me atque mea supplex advolvo.

MONI-

Digitized by Google

MONITUM AD LECTORES.

Vam ex antiquissimis Sancti Thomæ in India Orientali Christianis, coegit olim Diamperitanam Synodum, Alexius de Menezes, Augustinianæ nostræ Familiæ illustris Alumnus, in vetusti, ac pene obsoleti Lusitani sermonis latebris diu abditam, ac per me ultimis hisce temporibus latine versam en tandem in publicam lucem profero. Ut opus hoc sane arduum aggrederer incitamento fuerunt sacra eruditione pollentes, Viri non pauci, cum domestici, tum extranei; e quibus duos, honoris gratia, potissimum memoro; eximium nempe, ac toto orbe literario celeberrimum scriptorem, Ludovicum Antonium Muratorium, qui in suis ad me humanissime datis asserebat, me in excudenda Diamperitana Synodo Rem gratissimam Italis saltem ~~facturum~~, etiam si alias (*quod non constabat*) ab alio fuisset latinitate donata; apud quos vix aliquod ipsius exemplar Lusitanum reperire liceret. *Et Hieronymum Augustinum Zazzeri, Virum omnigena eruditione conspicuum, Italiæ Ex-Assistentem, Cong. Sac. Rituum Consultorem, in Archigymnasio sapientiæ Urbis, sacræ Scripturæ interpretem ac de nostro Religioso Ordine optime meritum; qui zelo nostri cœtus decus ampliandi, quam maxime intensus, & egregiis Menesii virtutibus, rebusque gestis, mirifice captus, susceptum a me onus commendavit, atque ad illud sustinendum me domesticis, atque adeo assiduis hortationibus confirmavit. Illud etiam accedebat, quod cuncti Conciliorum eruditissimi Editores, nostram Synodum vehementer expetebant, & satis*

Digitized by Google

diu inani cura quæritabant. Ejusmodi enim ea est; ut cum in Collectionibus Labbeana, Sirmondiana, Baluziana, & Harduiniana hactenus desideretur, non mediocris per illam lucis, accessio, præstantissimis operibus fieri possit; Nec parum alliciebat, ad id laboris urgendum, quod cum hoc elucubrationum genus, præsentis temporis disciplinæ, atque eruditorum palato, congruere videretur, rem non illis ingratam me facturum arbitrarer; spe demum uberrimi fructus, ac utilitatis, ad improbum laborem excitabar.

Hæc quantum ad scribendi causas, & quæ scripseram promulgandi: quod vero attinet ad Synodum, non ea est, quæ ut primo obtutu quibusdam fortasse videbitur, sit inter Diœcesanas parvi momenti recensenda. Nemo profecto in Ecclesiasticis studiis, vel mediocriter versatus, hanc nisi Nationalem existimaverit; immenso enim sexdecim seculorum spatio, nulla, hanc unam si excipias, ab illa vetustissima Indorum Orientalium Ecclesia, habita Synodus est orthodoxa; universa item Natio, in hac Diamperitana Synodo convenit. Indicta etiam est atque celebrata, jussu Clementis VIII. cujus egit vices, legatus atque Præses, Alexius Menessius Indiæ Orientalis Primas, & Archiepiscopus Goensis. Si rursus in ea dogmata spectes, plenissimi atque accuratissimi Catechismi doctrinam complectitur; si disciplinam aut mores; omnium Conciliorum nucleum continet; si tandem Decreta, & Sanctiones percurras; cuncta eaque gravissima, summa prudentia, doctrina atque solertia discussa, stabilita, librata tandem comperies. Quid plura? Res affert novas, quas in aliis Conciliis frustra requiras; si ergo verum habetur illud, quod omnia nova placent, nulli displicebit, Indorum Malabarensium Ecclesiasticos libros, liturgiam, ritus, maresque cognoscere. Quamobrem, quanta ex hac Synodo, adjungenda sit Ecclesiasticæ disciplinæ lux, quis non videat?

Porro, Nestorianorum in primis tum veterum, tum recentiorum deliramenta, eorumque cognitio, vix aliunde clarius, quam ex hoc fonte, peti ac hauriri potest. Quodque

Digitized by Google

nostrorum temporum Heterodoxi Angli, Batavi, & Dani, per horum Sancti Thomæ Christianorum veteres ritus, in Catholicos moliuntur (irrite quidem, sed moliuntur tamen) nempe Sacramenta Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, usum etiam multiplicis Sacri Olei, & Aquæ lustralis; cultum Imaginum, & si quæ sunt alia, omnia inducta a nobis, nova esse in Ecclesia Dei; id apprime in illos invertitur ac retorquetur, sola Synodi genuina evulgatione, ut plene in ejusdem Vindiciis constabit. Hoc Geddesius, Crozæus, aliique Pseudodoxi, ex nostræ Synodi tractatione prævidentes, illam, ut solent plerumque, qui a recto fidei, & rationis tramite deviarunt, quum non valeant in suas partes trahere, probris lacessere, & omni contumeliarum genere labefactare conantur. Vident enim, hac perfectum iri, ut suis erroribus, ne in Indiis quidem, id est in ultima Thule, ubi extremum perfugium aliquando quæritaverant, requiescere tuto liceat; atque adeo ab universo Orbe depulsis, locus nullus, ubi sedes defigant, reliquus sit; nisi fortasse in spatia illa imaginaria confugiant, sedes nimirum delirantibus non omnino incongruas.

Opus ergo totum, sic in suas veluti partes distribuam. Primo brevi oratione perstringam pauculas notiones, quæ Alexium de Menezes Synodi Præsidem, ejus ingenium ac mores, vobis fideliter exprimant, ac Virum tantum, & Religiosum, & zelo Dei plenum, & de Catholica Religione optime meritum, suis lineamentis adumbratum exhibeant; sequentur elogia aliquot Virorum Illustrium, quæ Synodum ejusque Præsidem Alexium, amplissime commendant. Historiam *deinde Synodi attexam, & in ea ita agam de antiquissima Christianorum Sancti Thomæ origine, incrementis, secessione, & reductione; ac pro re nata de recentium Nestorianorum fraudibus, dolis versutiisque; ut plene de rebus tam longinquis, impeditisque, cognoscere quisque possit.*

Synodus ipsa *quarto loco afferetur, e Lusitano ipso Archetypo, edito Conimbriæ anno* 1606. *septem post Synodum an-*

Digitized by Google

annis, ab Illustrissimo Augustinensi Antonio de Gouvea Patriarcha Armeniæ, & Episcopo Cyrenense; qui Iter Menessianum *accuratissime descripsit, ut e testimoniis veridicis, & schedis commentariisque Alexii ipsius, acceperat, ex illo Lusitano, pene obsoleto sermone, per me Deo adjuvante in Latinum conversa, tanta diligentia tamque sincera fide, ut, nisi forte quod humanum est, fallor, exemplar exacte autographo respondere, non diffidam. Quo fiet, ut ampla, recludatur via, per quam, ut jam attigi, tuto liceat, & antiquos & novos Nestorianorum errores detegere ac refellere, atque ipsorum libros, & codices discindere. Nec sane injucundum fore Catholicis omnibus puto, quodammodo præoculis habere amplissimum triumphum illum, quem ex miseris illis Christianis, ad avitam Religionem, a qua mille circiter annos, divulsi schismate fuerant, Menessii studio revocatis, Romana Ecclesia reportavit.*

Sequitur Liturgia, *quæ potissimum apud eas gentes erat in usu, ex Syriaco idiomate in Latinum translata; quod munus Synodi tempore, cum Europæis in eo sermone versatis, tum Cassanariis illius Diœceseos, Alexius commendaverat. Hanc damus Præfatione illustratam, nec non animadversionibus, & notis apologeticis munitam. Ea tamen talis non est qualis antiquitus, & ante Synodum, ab illis Nestorianis usurpabatur; sed a Synodo emendationibus castigata; quas castigationes tamen si prætermittas, & in ipsarum locum quæ in ima pagina adnotantur substituas, Liturgiam integram ac sinceram, quod plures eruditi Viri exoptabant, habebis. Eamdem Liturgiam Renaudotius, & Le Brun exhibent; mutilam tamen atque deturpatam. Et quamquam Renaudotius præsertim suam jactet versionem, ut nostram deprimat; quasi ab hominibus adornatam, non admodum Syriaco sermone pollentibus; tamen pro certo habendum, ut mox inferius patefiet; non ejusmodi esse Renaudotium, ut cum aliquo illorum, de eruditione linguæ Syriacæ, contendere valeat.*

Dissertationes variæ *proxime accedunt; quarum prior insti-*

Digitized by Google

instituitur; De Apostolatu Sancti Thomæ, *sub quo communi titulo sequitur secunda*; De Apostoli Thomæ, martyrio, sepulcro, Reliquiis, & translationibus corporis. III. De Religione ac moribus Christianorum S. Thomæ. IV. Continet Vindicias Synodi, adversus Crozæum. V. Pertractat de Diœcesi Indica, ejusque Præsulum serie. VI. *Et ultima ad instar appendicis* ΕΜΜΕΛΕΙΑ *inscribitur* & Consensio Synodi Diamperitanæ, cum posterioribus Apostolicis Constitutionibus. *Has excipit* Syllabus vocum exoticarum, *e multiplici peregrino Idiomate Malabarico, & Lusitano; aut etiam ex utroque mixto Hebraico, Græco &c.: quo fiet, ut ubi ejusmodi offenderis voces, præsto earum explicationem habere possis.*

Notis *etiam sive animadversionibus, & quidem perpetuis, totum opus illustratur; quæ si aliquibus plures quam oporteat, & aliis pauciores; nonnullis etiam jejunæ videantur; id criminis benigne a cordatis Viris excusebitur, quod studio inserviendi, variis & inter se pugnantibus hominum ingeniis, obsequiose commisi. At earum nonnullæ reponent aliqui, Satyram olent; obtrectatores hujusmodi, siqui fuerint meminerint; me toto opere, Apologema pro Synodo, atque disciplina Romanæ Ecclesiæ, adornare voluisse; sicuti autem nihil alienum magis est a meo ingenio; ut Religiosum hominem decet; quam alios gratis lacessere; ita nihil mihi antiquius jucundiusque est, quam fidem atque Ecclesiæ Romanæ Sanctiones, ac disciplinam, acriter pro mea virili parte sustinere: quæ differendi ratio langueret penitus, atque legenti oscedinem induceret, nisi urbanis salibus identidem aspergeretur.*

Fortassis etiam non nemo, de eo mecum expostulaverit, quod contenderim in aliquibus notis, Synodi Decreta, sanctionibus Ecclesiæ Occidentalis, cujus disciplina ex diametro opponitur illi, quæ a Diamperitanæ Synodo statuitur, irrito conatu roborare: sed non id in animo habui, nec alia de causa contrariam doctrinam, apud nos vigentem apposui, quam

ut

Digitized by Google

ut res utrobique sancitas, vel adiaphoras esse probarem, vel etiam Romanæ Ecclesiæ disciplinam præ Orientali illa amplectentibus, fontes e quibus illa profluxit, & ad quos confugerent si opus esset, illis indicarem.

Obloquutores *etiam hic prodere, qui nostram Synodum ejusque Præsidem Menessium, quasi ad id mercede conducti, diris omnibus devovent, operæ pretium arbitramur. Alter est acatholicus Crozæus, ac præ ceteris effrons; alter Renaudotius; cui proxime succedit Le Brun; qui autem priorem appellaverit, adversarium invidum, atque fanaticum; alterum ab illo, literatorem gloriosum, & imperitum; tertium tandem, caculam Renaudotii, ejusque congerronem, hujus furfuris Homines paucis verbis graphice describet.*

Quia tamen adversus libellum Crozæi, de Christianismo Indorum, *peculiaris Dissertatio instituitur, in Synodi vindiciis; Renaudotius item & Le Brunus quamquam non pro merito, pluribus in locis castigantur; ab iisdem oppugnandis, nunc supersedeo. Piaculum autem inexpiabile committerem, si in antecessum, quanta fuit Renaudotii in linguis Orientalibus peritia, cujus ostentandæ cupidine, vehementer prurit; omnium oculis non subjicerem. Atque ita fiet, ut omnes animadvertant, non multum fidendum esse ipsius testimonio; si alucinari eo duce nolunt.*

Et quidem etsi plura possem, ipsius sphalmata, in medium adducere, paucis tamen contentus ero; ex iis enim quilibet, quantum sibi ab ejus suspecta fide cavere debeat, pro be tenere poterit. Principio igitur; quæ illi linguæ Syriacæ peritia, aut eruditio esse poterat, qui nesciens prorsus, quid significaretur hac vero: Tabelita, *aut* Thobonita *Dignitatem aut titulum* Oecumenici *vel* universalis Antistitis, *cum nomine proprio confundit? Is plane est clarissimus Renaudotius; ut annotavit Assemanus in sua* Biblioth. Orient. tom. 1. pag. 274. *Quis sibi Præceptorem in lingua Arabica eum deligat, qui piissimo aureo libello Thomæ a Kempis, quem Arabice versum invenit, hunc illi titulum præfixit la-*

ti-

Digitized by Google

tinum : Historia Prophetarum Mahometanorum ? *Quanti ergo facias hominem, qui in ridiculum hunc turpissimumque errorem prolapsus est, cum Catalogum Codicum Orientalium, ornatissimæ Bibliothecæ Mediceæ conficeret ? Quapropter ipsum meritissimo, hoc exornat elogio Archiepiscopus Apameæ Stephanus Euodius in elegantissimo ipsorum Codicum Catalogo, quem accuratissime exaravit, ac typis edidit* Florentiæ anno 1742. in Præfat. pag.XI. *suppresso ipsius nomine, sic de eo loquitur* Confecerat Catalogum, sub Cosmo III. scriptor nescio quis, homo linguarum Orientalium, præterquam Syriacæ, cujus aliqua tinctura imbutus erat, plane rudis atque ignarus, qui ausus est etiam confingere interpretationes quas voluit ; easque adeo quidem monstruosas atque alienas, mirandum ut valde sit, ita eum audacter atque secure imponere ceteris voluisse. Hunc *quem Impostoris nomine, jure multat instructissimus in linguis Orientalibus Judex iste atque Censor, Renaudotium esse & de illo loquutum fuisse Cl. Apameænsem, certissimo comperi testimonio. Renaudotius etiam ipse est, qui* in Histor. Patriarchar. Alexandrin. *Benassalum, Auctorem* Fundamentorum fidei *distinguens a* Collectore Canonum, *hanc* Collectionem, *cuidam Benassali Fratri Germano attribuit; qui nusquam gentium extitit, nec alium Parentem agnoscit, quam alucinationum fecundissimum, Renaudotii cerebrum. Ne tamen amplius, in ejusmodi recensendis, legentem distineam ; quid profectus, sperari potest abeo, qui linguas Arabicam, & Syriacam discernere nescit ? Hac vero ignorantia laborasse Renaudotium ex eo liquido constat quod loquendo, de opere Georgii Bar-Hebræi, qui & Abulpharagius, cui titulus* : Horreum Mysteriorum ; tom.2. pag.47. *ait illud extare in Bibliotheca magni Etruriæ Ducis exaratum Arabico sermone, quamquam Syriacis characteribus scriptum ; cum aliunde certissime constet, laudatum Codicem charactere quidem Syriaco exscriptum esse ; non vero Arabico sermone exaratum, sed Syriaco ; unde liquido fit, versatissi-*

mum in linguis Orientalibus Renaudotium, distinxisse quidem Syriacos, ab Arabicis characteribus; idioma autem Arabicum a Syriaco, distinguere, prorsus nescivisse.

Sed quod maxime miramur est; hujusmodi hominem, tantum sibi peritiæ, in iis rebus arrogare, ut quoscumque alios de inscitia expostulet, atque deprimat; Synodi Diamperitanæ Patres, sive Europæos, sive Indo-Syriacos; indoctos imperitos, & tantum non stipites, aut fungos appellet; & hospites admodum, eosdem in lingua Syriaca fuisse asserat; & Menesium plurimis conviciis proscindat; Virum cæteroqui eximium; quasi imperitissime cuncta disposuerit, acriter redarguat. Quod etiam si verum esset, ob ignorationem Orientalis eruditionis, qua ævo Menesii, cuncti Occidentis homines, laborabant, comiter atque liberaliter, ut tantum Virum decebat, excusare debuisset; secumque tacitus reputare; in quot ipse errores, incurrisset si eo seculo, locum & dignitatem Menesii obtinuisset; quandoquidem in literatissimo illo, quo ipse florebat, multis insuper auxiliis sibi comparatis; Præceptore etiam Presbytero illo Babylonico, cujus versiones, & scriptiones tanquam proprias venditans atque typis edens, plurimum sudavit, & alsit; parum adeo profecit, ut ex allatis apertissime evincitur? Ceterum surdo canitur: ferulam Syriaci sermonis gloriosus Magister, ac Interpres stringit: Miserationes (*ait* tom. 2. Liturg. p. 580.) posuimus, ubi illi (*Patres Diamperitani*) amores verterunt, ridicule prorsus: illos quicumque fuerint, Syriacæ linguæ parum peritos fuisse, multis indiciis agnoscitur. *Auderetne ita loqui Lbedjesus Sobensis, aut Syrorum alius, etiam eruditissimus? Modestiam certe laudandam! In iis autem non secus, ac in laudatis locis cæcutit, ac desipit; cum enim ex eadem radice derivetur,* Rehem *quod est,* Dilexit; Amavit; & *etiam*: Rahem; *id est*, In visceribus habuit; Misertus est; *utroque modo recte, ac ex Themate Syriaco, cuilibet dubatur illius verbi interpretandi, vertendique copia. Immo ex radice Hebraica* רחם *ex qua fit* Misereti

reri & Amare; *ut licet videre, apud Sanct. Pagnin in Lexic. Hebr. colum. 2697. Fit etiam Verbum*, Riham *Pihel activo; quod explicat doctissimus Marinus Brixiensis in sua* Arca Noe, *omnino ad mentem Synodi Diamperitanæ*: Totis visceribus, amore aliquem prosequtus est, includit enim hoc verbum, duas actiones; amandi & commiserandi; & quidem illam tanquam miserationis causam; *ut ergo vis utriusque actionis, exprimerent Patres Diamperitani, congruentius, mea sententia, verbum illud nobis latine reddiderunt, pro to* Amores; *in quo miserandi affectio continetur.*

Habetis eruditissimi Lectores, totius Operis Oeconomiam, & ideam; vestræ humanitatis erit, illud auctoritate, & approbatione vestra fulcire.

Digitized by Google

FR. FELIX LEONI
A JUVENATIO

Sacræ Theologiæ Magister totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. Augustini Prior Generalis.

CUM opus, cui titulus est: *Historia Synodi Diamperitanæ &c. ab Admodum Rev., ac Eximio Patre Magistro Fr. Joanne Facundo Raulin Hispaniarum Assistente* summa cum laude, & solertia elaboratum, & constructum a duobus Religiosis Viris ad id specialiter a Nobis deputatis fuerit jam revisum, & approbatum, idcirco Nos tenore præsentium, nostrique muneris auctoritate, facultatem, quantum ad Nos spectat, facimus, ut typis dari, in publicamque lucem prodire possit, & valeat, dummodo cætera serventur, quæ in Legibus Ordinis, atque Constitutionibus Apostolicis hac de re sancita sunt. Et non aliter &c.

Dat. in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 30. Aprilis 1745.

F. Felix Leoni Generalis.

Nostri numeris aff. Sig.
Mag. Fr. Angelus Maria de Orgio
Ordinis Secretarius

Reg. lib. 6.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. Maria de Rubeis Archiep. Tharsi Vicesg.

APPROBATIONES

DE Mandato Reverendissimi totius nostri Ordinis Præsulis legi *Historiam Synodi Diamperitanæ cum versione latina ejusdem Synodi opera, & studio R. Adm. P. M. Joannis Facundi Raulin pro Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Assistentis Generalis elucubratam*. Cumque nihil in ea deprehenderim, quod Orthodoxæ Religioni, aut bonis moribus adversetur, dignam censeo, quæ publici juris fiat.

Datum in Conventu S. P. Augustini de Urbe hac die 15. April. 1745

Fr. Joannes Andreas Onofri
Proc. Gen. Ord.

JAmdiu est, ex quo plerique omnes Ecclesiasticæ eruditionis amantes, quibus suboluerat pretium, & utilitas Diamperitanæ Synodi apud Indos Orientales, a Clarissimo Viro F. Alexio de Menezes Archiepiscopo Goano, & Indiarum Primate coactæ, & non sine magnis laboribus, immo nec sine præsenti vitæ discrimine celebratæ, summis votis optabant, ut eadem Synodus e Lusitano idiomate in latinum verteretur; quo ejusdem statutorum præstantia esset omnibus pervia. Sed a quadraginta supra centum circiter annis ad hæc usque tempora nullus fuit, qui de publico, & Ecclesiæ bono sollicitus hanc sibi provinciam assumeret, ut communem illam doctorum hominum expectationem impleret. Gratulandum nobis propterea est nostrorum temporum felicitati, quod tandem aliquando a Viro Doctissimo, & eruditissimo id fuerit tentatum, ac magna cum laude perfectum: nimirum ab A. R. P. Magistro Fr. Joanne Facundo Raulin in Cæsaraugustana Academia S. Theologiæ Professore

Digitized by Google

re, Provinciæ Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ, non ita pridem Moderatore, Provinciarum Hispaniæ, Indiarum Assistente; qui non solum laudatam Synodum, ejusque acta scite, & religiose in latinum transtulit; sed etiam utilissimas notas, atque eruditissimas Dissertationes adjecit, aliaque huic tempori congruentia addidit, quæ doctrinæ in Diamperitana Synodo contentæ, cum nuperis Romanorum Pontificum Constitutionibus concinnitatem, egregie demonstrant. Quæ omnia cum semel, & iterum magna cum voluptate degustaverim; ac insuper supremo nostri Sacri Ordinis Præsule demandante, mature, ac sedulo expenderim, in eam sententiam facile descendi, in magnam Eximii interpretis, & Auctoris laudem, in majus nostri Instituti decus, in maximum Catholicæ Religionis emolumentum, fore cessurum, si omnes istæ lucubrationes in publicam lucem deducantur. Ita sentiebam Romæ in Divi Augustini hac die 30. Aprilis 1745.

Ego Fr. Hieronymus Augustinus Zazzari Arretinus in Romano Archigymnasio S. Scripturæ interpres, Academiæ Theologicæ Censor, & Sacræ Rituum Congregationis Consultor.

JOannes Maria Camporeus Societatis Jesu, ex Collegio ejusdem Societatis S. Crucis olim Vaipicotæ in India Orientali sito; Epistolam die 28. Novembris anno 1599. scripsit, in qua res ab Alexio de Menezes Archiepiscopo Goano, & Indiarum Primate, in Concilio Diamperiensi ad Catholicæ Religionis augmentum, & hæreseos Nestorianæ extirpationem, prælare gestas, debitis laudum præconiis exornat. Hanc Epistolam primum quidem Antonius Possevinus, in Apparatu ad Bibliothecam Sacram; deinde vero Labbeus, & Cossartius in amplissima illa Conciliorum Collectione, inserendam censuere, ut, quoniam Acta ipsa celeberrimi, vetustissimæ illius Indiarum Christianæ Chaldaicæ nationis Concilii, in India, & Lusitania sic latebant, ut neque a Latinis legi, neque in publicam lucem emitti possent; historicam saltem ejusdem Concilii Epitomen Sacræ Antiquitatis studiosi haberent, ex qua tamquam ex ungue Leonem, cognoscerent, incomparabilem Goani Præsulis diligentiam, & quid ab ipso fere Lusitanorum in Indias appulsu, pro Christiana religione propaganda, & disciplina Ecclesiastica restituenda, Reges, Præsules, ac Religiosi ejusdem inclytæ Lusitanicæ gentis, summo cum fidei nostræ progressu egerint. Debemus clarissimo viro *R. P. Magistro Joanni Facundo Ranlin, in Cæsaraugustana Academia Sacræ Theologiæ professori, Provinciarum Hispaniæ, & Indiarum Assistenti*; quod tandem aliquando Synodum ipsam Diamperiensem ejusque Acta, & Canones, e tenebris eruens, doctissimis notis atque Dissertationibus illustraverit, idque effecerit, ut non modo sitis eruditorum expleta sit, sed os etiam hæreticorum obturatum, qui ex vitiatis, vel male intellectis quibusdam ipsius Synodi Canonibus, errores suos ab antiqua illa Christianitate propugnari,

Digitized by Google

ri, nostramque Catholicam doctrinam infringi somniarunt. Hæc ego, quum jussu Reverendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri, summa cum animi voluptate legissem, in eam statim ivi sententiam, præclarum istud opus doctis Viris maximo usui futurum, ut perspectis tam antiquis Christianorum Indiæ placitis, & aniles Gentilium hæreticorumque fabulas reffellant, & Catholicæ religionis dogmata confirment.

E Bibliotheca Vaticana Idibus Maii 1745.

Joseph Simonius Assemanus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, & Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Canonicus.

DIamperitanam Synodum labente seculo XVI. a religiosissimo, ac doctissimo inclyti Ordinis Eremitarum S. Augustini Alumno Fr. Alexio de Menezes Archiepiscopo Goensi celebratam, & Lusitano idiomate editam, nunc vero primum Latinitate donatam, Notisque perpetuis, atque egregiis Dissertationibus auctam cura & studio Clarissimi Viri Sacræ Theologiæ Magistri, & memoratæ Augustinensis Familiæ Hispaniarum Assistentis, atque Ex-Generalis F. Joannis Facundi Raulin, jussu Revenendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri attente legi, nihilque in eo Opere offendi, quod Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus dissonum sit; omnia autem inveni non sine magna sapientiæ, atque eruditionis laude conscripta; quam diu in Hispaniarum Scholis, Academiisque ad exactæ Critices normam Auctor præstantissimus sine fictione didicit, aliisque sine invidia communicavit. Opus itaque ipsum Literariæ Reipublicæ bono elucubratum, atque a doctis Vitis expetitum ut quantocius typis edatur, dignissimum censeo.

Romæ XXVII. Aprilis MDCCXLV.

Josephus Catalanus Presbyter.

PUblico Ecclesiæ bono, ac Eruditorum desiderio consulit *Reverendissimus Pater M. F. Jo. Facundus Raulin Ord. Erem. S. August.* fideli sua Latina traductione *Synodi Diamperitanæ*, eruditissimis notis, necnon doctissimis de quibusdam Malabarensibus Ritibus Dissertationibus exornata, Catholico exposita Criterio. Opus hoc omnigena eruditio-

Digitized by Google

ditione cumulatum, numeris omnibus absolutum, de mandato Rmi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistro Aloysii Nicolai Ridolfi, summa animi voluptate, inspexi, quare publica luce donandam censeo.

Ex Monast. S. Bernardi de Urbe. Die 8. Maii 1745.

P. Valentinus Valentini Cong. Ref. S. Bernardi Ord. Cist. Abbas Generalis, & Episc. examinator.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum quæ in hoc Volumine continentur

Vitæ Alexii de Menezes Historica Delineatio.
Elogia & testimonia Clariss. Virorum de rebus Diamperitanæ Synodi, ejusque Præside Alexio de Menezes.

HISTORIA SYNODI DIAMPERITANÆ. Pag. 1

Cap. I. De rebus Malabaricis Profanis, & Sacris. 2
Cap. II. De rebus præviis ad Synodum. 19
Cap. III. De Synodi Indictione, Incœptione, Progressu, atque perfectione. 39
Cap IV. & Ultimum: De rebus post Synodum ejus publicatione atque observantia. 53

SYNODUS DIAMPERITANA. 59

Actio I. 64
Actio II. 69
Actio III. *De rebus ad Catholicam Fidem spectantibus.* 74
Actio IV. De Sacramentis Baptismi, & Confirmationis.
Doctrina de Sacramentis in genere. 114
Doctrina de Sacramento Baptismi. 115
Doctrina de Sacramento Confirmationis. 131
Actio V. De Sacramento Eucharistiæ, ac de Sacrificio Missæ.
Doctrina de Sancto Sacramento Eucharistiæ. 136
Doctrina de Sancto Missæ Sacrificio. 143
Actio VI. De Sanctis Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.
Doctrina de Sacramento Pœnitentiæ. 162
Doctrina de Sacramento Extremæ unctionis. 175
Actio VII. De Sanctis Sacramentis Ordinis, & Matrimonii.
Doctrina de Sacramento Ordinis. 179
Doctrina de Sacramento Matrimonii. 200
Actio VIII. de reformatione rerum Ecclesiasticarum. 216
Actio IX. de Reformatione morum. 248
Epistola Domini D. Andreæ Episcopi de Cochim ad congregatam Synodum. 276
Synodi Responsum. 181
Liturgia Malabarica Menessiana.

Digitized by Google

Admonitio in Liturgiam Malabarico-Meneſſianam. 285
Sacrum Beatorum Apoſtolorum. 293

DISSERTATIONES

De Apoſtolatu, & Eccleſia S. Thomæ

Diſſertatio I. De Apoſtolatu S. Thomæ. 335
Diſſertatio II. De Thomæ Apoſtoli martyrio, ſepulcro, & tranſlationibus corporis. 359
Diſſertatio III. De Religione, Moribus, & Ritibus Chriſtianorum S. Thomæ. 379
Diſſertatio IV. Vindiciæ Synodi Diamperitanæ adverſus Crozæum. 423
Diſſertatio V. De Indorum Orientalium Diœceſi. 428
Notitia Topographica Malabarica. 432
Series Epiſcoporum Indiæ. 451
ΕΜΜΕΛΕΙΑ & Conſenſio Diamperitanæ Synodi cum poſterioribus Apoſtolicis Conſtitutionibus circa Diſciplinam, & Ritus Malabarenſes. 456
Conſtitutio Benedicti XIV. fel. reg. circa Ritus Malabaricos: *Omnium Sollicitudinum.* 508
Eadem Conſtitutio a nuperi nebulonis offuciis, obiter vindicatur. 511
Syllabus vocum exoticarum ex Hebraico, Syriaco, Græco, Arabico, Malabarico, & Luſitanico.

VITÆ

Digitized by Google

VITÆ
ALEXII DE MENEZES
HISTORICA DELINEATIO.

COmmuni omnium, & cum primis Reip, Hiſpano-Luſitanæ bono natus eſt Alexius de Menezes Ulyſſiponæ 5. Jan. anni 1559. præclariſſimis parentibus Alexio, e Comitibus de Cantanhede, & Aloyſia de Noronha, honeſtiſſima fœmina. Is in Aula educatus, vix annum decimum quintum ætatis exegerat, cum aulæ ejuſque deliciis nuntium remiſit, atque ad Auguſtinenſe Cœnobium Dominæ noſtræ de Gratia ſe contulit, ubi primam tyrocinii Religioſi lineam poſuit 24. Febr. anni 1574. & inſequentis anno 27. Febr. profeſſionem emiſit: quo tempore auguſtius præ atavis Regibus cognomen a JESU ſibi uſurpavit.

Quales vero quantoſque, cum in virtutibus, tum in literis profectus inde tulerit, illius Cœnobii tabularia teſtantur; poſt emiſſam enim profeſſionem, ſic vitæ munditia, & ſimplicitate, Auguſtiniani Inſtituti obſervantia, morumque gravitate profecit, ut tam Regulares, quam Seculares perſonas, in admirationem ſui traxerit. Cum autem humanioribus literis, Logicæ, Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ, operam dediſſet in Univerſitate Conimbricenſi, magnus Theologus, & inſignis Concionator evaſit. Quos tamen fructus cum tanta ſui dimiſſione conjunxit, ut oblatum a Philippo II. Hiſpaniarum Rege munus Rectoris ejuſdem Conimbricenſis Academiæ conſtantiſſime recuſaverit. Contra autem, Regii Concionatoris officium, quippe e proximo animarum ſalutem reſpiciebat, gratanter ſuſcepit explevitque.

Tunc enim vero, & Reges, & Auguſtiniani Ordinis Antiſtites, Meneſii merita certatim remunerare cœperunt: ac primo, regimini Cœnobii Turrium Veterum anno 1588. deinde Santarenſis anno 1590. & poſt biennium Cœnobii de Gratia Ulyſſipone, præfectus fuit; anno tandem 1594. tertium ut vocant Difinitorem Luſi-

Digitized by Google

tana Provincia eum designavit. Rex etiam Catholicus paucis interjectis mensibus, scilicet 21. Novem. ad Goensem Archiepiscopalem Cathedram evexit. Anno insequenti Clemens Papa VIII. literis Romæ exaratis die 27. Januar. lustrationem Diœcesis Angamalensis, atque Nestorianorum Malabarensium, quos S. Thomæ Christianos appellant, reductionem sedulo perficiendam commendavit atque injunxit Menessio. Quæ autem in reducendis illis Christianis, & in cogenda illa quam damus hic Diamperitana Synodo egerit Menessius; quanta insuper tulerit, quamque acerba; qua tandem animi contentione, qua dexteritate ad optatum finem cuncta perduxerit, ex Historica narratione ipsi Synodo præfixa affatim constare poterit. Postquam autem vices Proregis Indiæ Orientalis tres annos Menessius prudentissime sustinuerat, cum pastoralis officii munera, secularium negotiorum cura, identidem intermittere ipsum cogeret, utroque illo munere se abdicavit; & eo quidem consilio ut, quod vitæ sibi superesset, in Missionarii munere apud Christianos S. Thomæ aut Armenos sustinendo, totum impenderet.

At vero secus ac ipse secum reputabat, ac intendebat, evenit; evocatus enim a Rege in Lusitaniam, Archiepiscopus, & Dominus Braccarensis, atque Lusitaniæ Prorex renuntiatur; inde ab eodem Philippo, primo Vallisoletum, postea Mantuam Carpetanorum (nomine Arabico *Madrid* vulgo appellatam) ire jubetur: ubi præstantissimo illi Viro novum onus imposuit, Præsidentis, apud Curiam Regiam sanctioris Consilii Lusitani; auctus etiam fuit amplissimis & muneribus & redditibus Archicapellani & Prioris commendatarii Cratensis; quæ munia ad extremum usque spiritum strenue obivit. Et quidem in iis omnibus dignitatum generibus, quæ maximos honores, & officia atque proventus comitantur, nihil magnanimus atque eximius ille Vir sibi retinuit; sed quidquid honoris erat, Deo, quod officiorum, Regi; quod tandem emolumentorum, Pauperibus justissime distribuebat.

Hæc omnia tandem sollertissime Menezium ac fidelissime obeuntem lethifer morbus corripuit, qui etiam lecto decumbens, salutari Viatico quotidie refectus, extremo agoni subeundo se munivit, atque mortem hilari vultu expectavit; spe itaque plenus; fide firmus, & Dei amore æstuans, inter amplexus, & oscula Crucis Christi, efflavit animam die 3. Maii anni 1617. Testamentum ad instar Parentis Augustini nullum condidit, nec ad id facultatem sibi procurare unquam voluerat. Ipsius Corpus quatuor annos jacuit in Sacrario Cœnobii Matritensis S. Philippi, Ord. S. Augustini; quod postea translatum fuit Braccarum apud Augustinenses ad Collegium de

Popu-

Digitized by Google

Populo, atque conditum ad Aram maximam cum hac Inscriptione:

ILLMO ET RMO D.D. F. ALEXIO DE MENEZES AUGUSTINIENSI,
ARCHIEPISCOPO ET DOMINO BRACHARENSI.
INDIARUM OLIM POSTEA HISPANIARUM PRIMATI
ORIENTIS GUBERNATORI LUSITANIÆ PROREGI
SUPREMI CONSILII PRÆSIDI CATHOLICÆ MAJESTATIS ARCHICAPELLANO
CHRISTIANORUM D. THOMÆ APUD MALABARICOS
AD ROMANÆ ECCLESIÆ OBEDIENTIAM REDUCTORI
VIRO RELIGIONE AC FIDEI ZELO ILLUSTRI:
GRATI CLIENTES MEMORIAM POSUERE ANNO DOM. 1628.
ILLMO AC RMO D.D. RODERICO A CUNHA ARCHIPRÆSULE.
OBIIT MATRITI 8. MAII 1627. ANNUM AGENS QUINQUAGESIMUM OCTAVUM.

Nonnulla reliquit Menezius cum pietatis, tum ingenii, literis mandata monumenta; inter quæ præcipue recensentur *Synodus Diamperitana*. *Vidas dos Religiosos modernos que na Religiaon de S. Agostinho de Portugal. floreceraon em virtudes e vida religiosa*, & juxta Gouveam; *Catechismus pro erudiendis in Fide Ethnicis*.

Digitized by Google

ELOGIA

ET TESTIMONIA CLARISSIMORUM VIRORUM

De rebus Synodi Diamperitanæ, ejusque Præside
ALEXIO DE MENEZES.

CLEMENS PAPA VIII. In Literis exaratis Kalendis April. anni 1599. ad Menesium.

Multam in Domino voluptatem cepimus ex iis, quæ de tua fraternitatis pietate, & pastorali vigilantia, gravi nobis testimonio relata sunt: nominatim quod zelo honoris Dei, & salutis animarum incensus in convertendis gentibus istis ad lucem Evangelicæ veritatis strenue laborat. Gratulamur tibi Frater piam hunc sedulitatem, qua animas, immaculati agni Sanguine redemptas, Deo lucrari studes; id nobis pergratum est... Benedicat Deus piis laboribus tuis, tibique tribuat, ut ex tam magna messe, manipulos multos inferas in horreum cæleste.

ANTONIUS DE GOUVEA Ord. S. Aug. in Prologo Da Jornada de Menezes anno 1606.

Foy a obra de se reduzirem os Christaõs, a que nesta India Oriental, chamamos de S. Thome,... tão desejada dos Portuguezes, que quando Deos foy servido, de dar a execuçãon sus desejos, por meyo do Rmo Senhor D. F. Aleixo de Menezes... foy por estremo estimada e celebrada, assi nestas partes da India, como em todas as de Europa, aonde chegou a noticia & importancia della, & ainda em Roma aonde o S. Padre Clemente VIII que por seus Breves lha tinha encomendada, a festejou com estremada alegria, & agardeçeo, com sua Apostolica bemçãon.

JOANNES MARIA CAMPOREUS Soc. Jesu in Epist. Vaipicotæ in Malabaria exarata 28. Novem. anni 1599.

Maxima omnium lætitia, summoque omnium consensu, celebratum est Concilium in Oppido Diamper, in quo hæreses omnes, eorumque sectatores, præcipue Babyloniæ Patriarcham anathematizarunt; Romanum autem Pontificem, Christi Vicarium & Ecclesiæ caput agnoverunt... Pater Franciscus Roz & ego, libris examinandis incumbimus; Delemus, scindimus, integraque volumina in ignem conjicimus. Miraculo tribuebant omnes hoc opus; adeo enim prius suis libris addicti erant (Nestoriani) *ut a nobis nec aperiri paterentur.*

Digitized by Google

tur. Jam vero pro libito eos abradere, detruncare, integrosque comburere, non moleste ferebant... Jam hujus Ecclesiæ faciem, alteram diceres; ubique enim in Ecclesiis Summi Pontificis nomen resonat; Augustini, Hieronymi, Ambrosii aliorumque Sanctorum, quos Catholica veneratur Ecclesia, nomina Sanctissima exaudiuntur. Obmutuit Nestorii, aliorumque impudentium os.

ANTONIUS FERNANDEZ DE MOURE Presbyter Theologus Austanus Bracharensis, in Epistola Dedicatoria, libri, Examinis Theologiæ Moralis, quem eidem Archiepiscopo dicavit. Bracaræ Augustæ 1613. inter alia hæc habet.

Quos o Deum immortalem! pro Ecclesia labores exantlasti? in Indiam navigasti: Goensem Diœcesim tuis humeris suscepisti: sex decennium rexisti: Quadraginta in ea Parochias erexisti; Malabaricos S. Thomæ Christianos invisisti, Schismaticos invenisti, ad puritatem Fidei reduxisti, coacta Synodo, celebrataque non sine miraculo. Verumtamen ex his laboribus uberrimos quidem fructus percepisti, nam Gentiles & Mauros, numero tam multos ex utero Baptismi Christo peperisti.

ANTONIUS POSSEVINUS in Appar.

Concilium Diamperense, non tam statuit, quam ad effectum perduxit, quæ ad Catholicam Religionem, atque ad Disciplinam Ecclesiasticam restituendam pertinent.

RODERICUS DE ACUNHA in Histor. Ecclesiastic. Braccaren. Par.2. a cap.36.

Alexius de Menezes a Philippo II die 21 Novembris anni 1594 Archiepiscopus Goensis electus est; consecratus die 26 Martii anno 1595 & die 29 Pallium accepit a D. Michaele de Castro Archiepiscopo Ulyxbonensi in Conventu D. N. de Gratia, & eodem anno in Indiam navigavit; Synodum ibi Provincialem (Goensem) *celebravit &c.*

EMMANUEL DELA CERDA Lusitanus Augustinensis qui Menessio adfuit in extremis constituto; in Quæstio. *Quolibet*. Quæstione 9. Scholast. Art.1. n.2. ubi de Sacram. Confirm. edit. Conimbricen. 1619.

Antiquissimos Nestorianos eumdem errorem habuisse, sicuti & multos alios contra nostram fidem, mihi persuadent, quæ de ipsis scripta sunt, in Diamperensi Synodo, apud Angamalenses Malabaricos D. Thomæ Apostoli Christianos celebrata, pro reductione, veraque Ecclesiæ Romanæ obedientia præstanda, rejecto Babyloniæ Patriarcha, cui per tot annos seducti, fuerunt addicti Christiani illi Populi Schismatici, quam anno 1599 20 die Mensis Junii, Divina auxi-

Digitized by Google

auxiliante gratia celebravit Illmus ac Rmus D. Alexius Menesius Natione Lusitanus, professione Eremita S. Augustini, animarum zelo post Apostolos ceteris conferendus, si non anteponendus.

LUDOVICUS DE ANGELIS Portuensis Ord. Erem. S. August. & ejusdem Generalis Historiographus; in Epist. Dedicator. Libro *de Vita, & Laudibus S. P. N. Augustini* præfixa, quem eidem Menesio dicavit, Parisiis 1614 inter alia hæc habet.

Quæ fecisti te laudant, & speciatim hæc: quadraginta Parochias cum suis Ministris, & necessariis omnibus in tua Goensi Diœcesi de novo erexisti: hanc in rebus Ecclesiasticis sexdecennium, quorum tres in secularibus, totam Lusitanorum Indiam feliciter gubernasti. Bis te Indiam gubernante Mosambiquium, semel obsessa fuit Malacha per Hollandos hostes; sed utraque Urbs defensa ad victoriam usque & magnam nominis Lusitani gloriam. Gentiles & Mauros numero tam multos ex utero Baptismi peperisti, ut Gouveana de tuis gestis copiosissima historia, plures taceat quam dicat .... Synodum coegisti insignem, Cathechismum veritate catholica resplendentem &c.

AUBERTUS MIRÆUS in Notitia Episcopatuum, & Archiepiscopatuum Orbis Christiani, edit. Antuerpien. 1613 pag. 57.

Thomæi Christiani a S. Thoma Apostolo ad Christum conversi habitant in India Orientali, in tractu Meliaporensi, per Goanos Archiepiscopos, in his Alexium Menesium a Nestorianorum erroribus expurgati.

NICOLAUS CRUSENIUS Augustinensis in Monastic. Augustin. Par. 3. cap. 44.

Majori tamen fructu authoritate & Dignitate in Indias Orientales dimissus fuit Ven. Pater F. Alexius de Meneses, ob generis Nobilitatem, Doctrinæ præstantiam, ac morum integritatem, ex Monacho Augustiniano factus Archiepiscopus Goanus; quo in officio, ita sedulum, ac serium se se exhibuit, ut centena aliquot millia hominum, ad Dei fidem Christianam & Catholicam conduxerit ..... A Clemente VIII Romano Pontifice anno 1595 Angamalensis Archiepiscopatus Visitator constitutus, amotis Schismaticis Episcopis, ac Patriarchis ... Libros omnes Nestorianis erroribus refertos, auferri aut saltem expurgari mandavit; Summi Pontificis authoritatem stabilivit, Diœcesanam Synodum rite celebravit &c.

VINCENTIUS MARIA A S. CATHARINA Senense Carmel. Discalc. in Itiner. ad Ind. lib. 2. cap. 4.

Per concludere Menesio le sue fatiche già vittoriose, convocato in Odiamper un consiglio, con intervento di tutto il Clero, de Principali, e Capi del Popolo, in quello fece dichiarare li articoli della Fede,

Digitized by Google

Fede, abolire gl'errori de' Nestoriani, correggere la Messa, e ridurre gl'officj a miglior forma. Prescrisse li riti, e cerimonie sacre, emendando tutto ciò, che aveva bisogno.

JOANNES HAYUS Soc. Jesu Libro de rebus Japonicis, apud Crusenium in Monastic. Augustin. Par. 3. cap. 44.

Tanta in India præstitit (Menesius) *novem mensium spatio, in animarum salute promovenda, quanta quotquot a B. Thoma, ad hæc usque tempora illam Sedem tenuerunt.*

THOMAS DE HERRERA Augustinensis in suo Alphabeto Augustiniano.

Venerab. Alexius de Jesu, & Menezes Archiepiscopus Goensis iter suscepit ad Insulas Malabaras, ut antiquos illos sed Schismaticos Christianos, ad veram fidem reductos Romanæ Ecclesiæ obedientiæ submitteret... Et anno 1599 *de Mense Junio, Synodum pro reformatione illius Ecclesiæ Anguemallii vel potius Anguemallæ celebravit.*

PHILIPPUS ELSIUS Augustinensis Belga in Encomiastic. Augustin. edit. Bruxellen. 1654 lit. A. pag. 30.

Alexius Menezes & de Jesu, Malabaricos S. Thomæ Christianos invisit, Schismaticos invenit; coacta Synodus celebrata est, non sine miraculo... Ille novem mensium spatio, plus in animarum salute promovenda profecit, quam quot quot a B. Thoma ad hæc usque tempora Sedem illam tenuerunt.

CORNELIUS CURTIUS Augustinensis Historiographus in Elog. Viror. Illustr. ex Ord. Erem D. Augustin. edit. Antuerp. 1636 pag. 180.

Alexius Menezius non modo Pontificis egregiam personam gessit, sed expressit etiam perfectum Apostolum... Goanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, & toti Indiæ Primas, a Rege Philippo datus; deinde a Clemente VIII Pontifice jussus, Ecclesiam Malabaricam, Christianorum quos S. Thomæ vocant, a multis jam seculis Nestorii blasphemiis infectam, purgare, & restituere, difficilem sibi & oppido periculosam, sed Regibus Hispaniarum, & Romanæ Ecclesiæ tuilem in primis & gloriosam operam navavit.

JOANNES BAPTISTA COTTA Ord. Augustin. in Poem. inscripto *Dio*, Fulginii edito anno 1733 supparem Xaverio cantat Menessium, in Hymno 23 qui *il Mare* inscribitur: iis verbis:

Volar stagioni, e ad informar del vero
Così da Dio lontani
Barbari lidi, e strani
Col gran Menesio, e l'immortal Saviero.

LU-

Digitized by Google

LUDOVICUS MORERI Presbyter Gallus in suo Dictionario Gallicè, edit. octavæ Amstælodamensis 1698 in Cap. *Meneses* (Alexis) Archeveque de Goa &c.

Dom. Alexis de Meneses y travailla très-utilement pour la foy (nempe in Archiepisc. Goano) *e principalement dans l'entreprise qu' il fit d' aller visiter dans le Malabar, les Chrêtiens dits de S. Thomas. Toutes choses s' opposerent d'abord a ce dessein, mais ce Prélat l'executa avec beaucoup de gloire, & de bonheur, quequ' il se vit souvent en danger de perdre la vie. Il célebra le Synode, quæ nous avons sous le Titre de Synodus Diamperensis, e peu aprés il revint en Portugal.*

HENRICUS NORIS Veronensis Augustinianus S. R. E. Presbyter Card. & S. Sedis Apostolicæ Biblioth. in primo Tomo Operum Omnium. Veronæ 1719. in Dissert. de Synodo Quinta cap. XI. pag. 783. habet.

Noster Alexius Menezius Archiepiscopus Goanus ac Orientis Prorex & Bracarensis in Lusitania Primas ac Regni totius itidem Prorex, magnum in utroque Orbe Augustinianæ Gentis incrementum, hic inquam, cum in Oriente versaretur, nihil antiquius habuit, quam Nestorianos Orientales, ad orthodoxum dogma revocare. Celebravit Synodum Diamperitanam, quam justo volumine tradidit Antonius Gouvea Augustinianus, Vir insignis & Persica legatione summa cum gloria functus &c.

HENRICUS SPONDANUS Mauleosolensis Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus. In secundo Tomo Annalium Baronii Lutetiæ Parisiorum 1647. Ad annum 1599. numer. XVII. hæc habet.

Celebratum reperitur hoc anno, mensequæ Junii in Civitate Diamper Indiæ Orientalis prope Urbem S. Thomæ, ab Alexio Menezes Archiepiscopo Goensi Ord. S. Augustini Concilium de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ quæ a Nestorianis inficiebatur. Ubi &c.

NICOLAUS ANTONIUS HISPALENSIS in sua Bibl. Hispana.

F. Alexius de Jesu alias de Menezes Ulyssipone natus ... composuit a nullo ut ajunt adjutus, Diœcesis suæ Goensis incolis, Synodum Diamperensem quæ edita extat in Libro Antonii de Gouvea Augustiniani Da Jornada da Serra *nuncupato.*

AUGUSTINUS MARIA ARPE Augustinensis in Panth. Augustin. pag. 345.

Alexius Menezius Regna Malabariæ Christo regenuit... Synodo Goæ & Anguemalli iterum edita; novem supra centum Paræcias convertendis Indis erexit.

P. TA-

Digitized by Google

P. TACHARDUS Societat. Jesu in Epist. in Bengala scripta anno 1711.

Furent reunis (Christiani S.Thomæ) *a l' Eglise Romaine au commencement du siecle passe, par M. Don Alexis de Menezes alors Archeveque de Goa & Visiteur Apostolique. Ce fut lui qui tint le fameux Concile de Diamper, dont les Actes furent imprimez depuis a Lisbonne* : legendum *a Coimbre*.

JOSEPH A S. ANTONIO Augustinensis Lusitanus Par.2. Flor. Sanctor. edit. Ulyssipon. anni 1723 in Epist. Dedicat.

Alexius Menezius
Dioscorum, Eutichen., ac Nestorium.
Debellavit in Asseclis
Scindendo Schismata
Sic ruptum Petri rete sarcivit
Et qui Indicas non quæsierat margaritas
Uniones pretiosissimos expiscatus est
Quos annullo adderet Piscatoris.

MICHAEL LE QUIEN Ord. Prædic. Tom.2. Orient. Christian. col.1281. edit. Parisin.1740.

Alexius Menezius Goensis Archiepiscopus, ad Catholicam fidem, & Romanæ Sedis obedientiam profitendam, ægre adduxit (Archidiaconum Angamalensem) *obtemperavit tamen, ac Diamperano Concilio, quod a Menezio celebratum est interfuit* : : *Sedulo Alexii Menezii studio & opera, illius regionis Christiani consenserunt, ut a Latini ritus Præsulibus regerentur.*

CARD. ALOYSIUS MARIA LUCINI Dell' Ord. de' Predicatori nell'Esame, e difesa del Decreto del Card. di Tournon edit.2. In Roma 1729. pag.24. cap.1. num.23.

La verità è, che fù celebrato questo Sinodo in un luogo della Diocesi Agamalense, al Regno di Coccino soggetto, chiamato da quei Popoli Diamper, nell'anno 1599. *Presedeva in esso l' Arcivescovo di Goa F. Alessio di Menezzes Prelato di gran pietà, e dottrina, come fù gran Religioso dell'insigne Ord. Eremitano di S.Agostino &c.*

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, Dissert. De Syr. Nestorian. pag.168.

Anno Christi 1599 *Alexius Menezius Goæ Archiepiscopus, Malabariam visitavit, Synodum Diamperensem habuit; liturgiam aliosque Chaldæorum libros ab erroribus purgavit : Georgium Archidiaconum, aliosque sive Presbyteros, sive nobiles Viros Chaldæos, Nestorianæ hæresi abrenuntiare coegit, ac præcipue Babyloniæ Patriarcham anathematizare; Romanum autem Pontificem, Christi*

Digitized by Google

sti Vicarium, & Ecclesiæ caput agnoscere; eique obedientiam promittere.

PETRUS LE BRUN Congreg. Oratorii Presbyter Tom. 3. de Liturg. pag. 189. edition. Veronen. anni 1740.

Alessio Menezes preparò gl' Atti del Sinodo, che fù tenuto in Diamper a 20. Giugno 1599. e fù terminato in otto giorni... Cosa veramente da stupire, che la conquista spirituale, di sì gran Popolo Eretico, opposto da tanti secoli alla Chiesa Romana, non abbia costato che poco più di sei Mesi di viaggj, e di fatiche all' Arciv. Menezes.

Et pag. 208. ibidem: Questo Synodo non per anco è stato posto in alcuna Raccolta di Concilj; ne meno è stato tradotto in latino.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS Præpositus Mutinensis, & Ducalis Bibliothecæ Præfectus, in suis ad me humanissime datis 7. Kal. Octob. 1742.

Utinam possem plura quam quæ nosti, suppeditare tibi de Synodo Diamperana, ab Archiepiscopo Goensi de Meneze habita. Hispanicæ ac Lusitanicæ linguæ Libri, perquam rari apud nos sunt; ita ut ne integrum quidem Concilium umquam legerim, eoque minus decernere possim an Latio fuerit donatum hactenus: sed quando peregrinæ hujus mercis, pauci in Italia conscii sunt, etiamsi ultra montes latine legeretur, certum tamen est, te bene de nobis meriturum, si versionem illius instituas, atque in nostrum commodum evulges.

CROZÆUS (a quo vel invito veritas extorquet testimonium) hæc habet de Alexio in Histor. de Christian. Ind. pag. 339.

Une entreprise si difficile (loquitur de reductione Christianorum D. Thomæ) *ne coûta qu' un peu plus de six mois de courses & de travaux a Don Alexis de Menezes qui... entreprit & mit la derniere main, a un si grand Ouvrage.*

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA
SYNODI DIAMPERITANÆ

QUO altius perſpiciantur ea, de quibus hac in provincia, quam ſubjicere aggredimur, acturi ſumus: occaſio nempe celebrandi Diamperitanam Synodum, ejuſdem ſcopus, & rituum Neſtorianorum abrogatio, errorumque omnium, ſive qui veluti nativi fuere, ſive qui adſciti; neceſſitas præterea reformandi S. Thomæ Chriſtianos Malabarenſes; rerum denique decretarum opportunitas, atque præſtantia, ut a ſua prima origine repetantur; (quod plane ad pleniorem rerum geſtarum cognitionem non mediocriter confert) operæ pretium duximus, præviam Hiſtoriam rebus dicendis, veluti facem præferre. Quod quidem nulla clariori, atque faciliori methodo effici poteſt, quam ad præfinita capita res ad hujuſmodi argumentum ſpectantes revocando, eaſque hac illac diſperſas, colligendo. Id vero, quantum noſtræ vires patientur, (neque enim illarum imbecillitatem ignoramus) ſedulo præſtabimus. Quod ſi quis in hiſce rebus eruditior aliquid reprehenſione dignum in hoc, quod informamus, opere invenerit, æquo animo, & addiſcendi cupido, cenſuram omnem feremus. Quattuor ergo præcipuis Capitibus rerum hiſtoricarum ſeriem complectimur; quorum primum res profert Malabaricas Profanas & Sacras; Secundum agit de rebus præviis ad Synodum; Tertium de Synodi indictione, incœptione, progreſſu, ac fine; Quartum demum de

Digitized by Google

de rebus post Synodum celebratam peractis. Id etiam monemus; nos allegationes, testimonia, rerum gestarum publica monumenta, tamquam παρὲκβασιν in imo ordine collocaturos, ut liberiori cursu oratio fluat; ne interjectis veluti salebris, identidem impedita, Lectoris curiositatem moleste distineat.

Res tamen gestas, quas in medium proferemus, suis ita limitibus circumscriptas volumus, ut tempus celebratæ Synodi non prætergrediantur: ultra enim progredi ad rem nostram non faceret, & summo nobis esset labori, & aleæ, atque periculi plenum; oporteret enim & congredi cum Indis ritusque eorum superstitiosos refellere: pseudo-Missionarios Batavos, Anglos, Danos aliosque e Protestantium grege, convincere: demum inter ipsos strenuos Catholicæ Religionis propugnatores, de aliquibus contendentes, quæ salva Catholicorum Dogmatum substantia in controversiam cadunt, pacem conciliare. Quod plane esset nostri instituti limites transilire, atque properantem ad cognitionem Synodi alio evocare. Quapropter id iis, quorum intererit, relinquentes, accedimus ad Caput primum, in quo profanas res & sacras, quantum sat erit, indicabimus: caput hoc vero, & reliqua deinceps omnia, in paragraphos claritatis ergo distribuemus.

CAPUT I.

De rebus Malabaricis Profanis & Sacris.

NEmo nos hic acturos existimet de Malabaricis Ethnicis, eorumque cultu, vel civili, vel religioso; quod esset ab instituto aberrare. Propositum namque nobis est, de Christianis S. Thomæ Indis sermonem unice instituere.

§. I.

Topographia Regni Diamperitani. Num. I. *Etiam Malabaricæ Regionis, & Etymon vocis Malabar.* II. *De Imperatore Xaran Perumal plurimis privilegiis Christianos ad se confugientes a plaga Meliaporensi abactos honestante.* III. *Regis Lusitani clientelam implorant, & munera in obsequentis animi signum ipsi mittunt.* IV. *De Epocha Malabarensium, & urbe Coulan.* V.

I. QUA inter Gangem & Indum in speciem linguæ procurrit Indica tellus, Malabarica Regio jacet & Regnum Diamperitanum, Regis de Chochim ditioni additum. Poli autem conversione, situm est ad gradum latitudinis decimum, longitudinis vero ad decimum quintum supra centesimum. Duplex autem reperitur Cochim; & Magna, & alia

Digitized by Google

& alia prope illam parva, ubi Rex Cochimensis consuevit commorari. Item altera Diamper juxta eam, in qua celebrata est Synodus nostra

II. Vocatur autem Regio *Malabarica* ea Indiæ ora Occidentalis, quæ posita est (*a*) Goam inter & Promontorium Comorim, situm e Regione celeberrimæ Insulæ Sieledivæ, ac Taprobanæ, ut prisci loquebantur; quæ nunc vocatur Ceylan. Ab initio Sæculi sexti, anno circiter 530., quo scripsit Cosmas Indicopleustes, enumeratur *Male* inter Urbes, ac Emporia nobiliora: quo ex vocabulo & voce *Barr* compositum fuisse nomen *Malebar*, seu *Malabar* arbitramur; quasi continens *Male*: vox enim *Barr*, significat *continentem* terram: immo tamquam ex insigniori ea Indiæ parte series illa frequens Insularum, è Regione Occidentali sita, appellatur *Maldivæ*, à voce *Mal*, & alia, quæ Insulam significat. Igitur in eo tractu Malabarico, prope finem situm est Regnum Diamperense, in cujus urbe ejusdem nominis, Synodus præsens pro reductione Christianorum S. Thomæ celebrata est.

III. Summa rerum ac Dominium totius Regionis olim fuit penes magnum Imperatorem Malabaris. Eminet verò super alios omnes Imperatores Xaran Perumal, Regum illius Regionis auctor, & institutor; quippe qui universam ditionem in plura dispertitus fuit Regna, ut illis sibi propinquos, servosque donaret, eosque veros Reges constitueret. Inde Regna Travancoridis, Cranganoris, Coulan, Diamper, Cochim, alia demum complura, ortum duxere, quorum Reges sunt eidem Perumal maximis beneficiis devincti. Ejusdem etiam beneficentiæ, plane singulari, plurimum debent Christiani Sancti Thomæ; nam longo post tempore, ab adventu Apostoli Thomæ legisque Evangelicæ promulgatione; civitate Meliaporensi ab ethnicis penitus deleta, Christianisque omnibus, partim ferro & igne interfectis; partim in exilium pulsis cum ex ejectis nonnulli in Travancoridem, & Todamalam confugissent, reliqui omnes, quotquot supererant; in Montes Malabaricos sese receperunt; ubi non solum tutum perfugium, verum etiam ab eodem Imperatore Xarano pluribus commodis, ac Privilegiis donati, decens hospitium nacti sunt. Quod in causa fuit ut etiam à finitimis Regibus liberalitèr tractarentur. Hi enim sibi dedecori futurum esse jure ac merito putabant, si quos beneficiorum consortes unus idemque beneficientissimus Imperator effecerat, eosdem ipsi hostiliter insectarentur. Porro nec parva, nec pauca Xarano Christiani referebant accepta; quippe eo conciliatore, Regibus cari, potiori Malabaricæ nobilitati adnumerati, Nairibus, quo nomine primores, ac nobiliores viri appellantur, etiam præferebantur; atque ipsius Xarani, aliorumque Regum benignitate, ad eum dignitatis apicem pervenerunt, ut vel ad Sæculum 16. in Regnis ultra montana Pandè, non alio, quam filiorum Regum nomine vocitarentur. Solis item Christianis licebat in nuptiis crines aureo flore revincire; iter facientes, Elephantibus vehi; pavimen-

(*a*) Baudrandus describit Malabariam ad partem australem peninsulæ cis Gangem, ad occasum, inter Regnum Decani ad Septentrionem, & Promontorium Comorinum ad meridiem, & extenditur versus oram Maris Maldivarum per 125. Leucas; in qua numerantur Regna majora sex; minora vero unum & viginti. *Baudran. Diction. Geog.*

Digitized by Google

vimentum, ubi sederent, peristromate ornare; alia quamplurima prætereo; quæ tamen anno 1506. pessumibant. His aliisque honestati muneribus, cum facile sit eo plures confluere, ubi res feliciter cedunt, adeo illorum Christianorum numerus in Malabare crevit, ut suum sibi Regem præficere in animum induxerint suum. Nec mora, quendam nomine Beliarte, Regem sibi constituunt, eique titulum *Regis Christianorum Sancti Thomæ* impertiuntur. Beliarti, serie non interrupta, alii successere, quousque omnium postremo absque liberis decedente, vir illi affinitate conjunctus, communi Populorum consensione in Regem Diamperensem eligitur. Regum deinde Diamperensium stirpe (quæ rerum humanarum conditio est) penitus extincta, simili jure ad Reges de Cochim Regnum Diamperense pervenit. Christiani interim, juxta Regiones diversas, sub diversorum Regum dominio fuere. Rex tamen de Cochim aliquanto majorem auctoritatem, ex antiquiori jure derivatam in Christianos exercuit.

IV. Hic erat rerum status, cum Lusitani, Vasco Gama Duce, quod per annos 75. incassum alii contenderant, eo appulerunt, prope Calicutum civitatem Malabaricam, 18. Maii anni 1498. (*a*) Postquam vero Gama classi præfectus, iterum Ulissipone solvens, id quod iterum aggressus fuerat, tandem perfecit, & felici cursu Cochim tenuit anno 1502., & cum compertum haberent Christiani, eum oras & regiones illas in Christiani Regis dominium ditionemque redacturum, ultrò sese illi sistunt; & ut in Regis illius opem atque clientelam recipiantur, enixe orant obsecrantque; qua nempe ab iniquis ethnicorum Regum vexationibus redimantur; eique tamquam obsequii & spontaneæ subjectionis signum, virgam tradunt rubram, summitatibus argento circumclusis; tribus insuper argenteis tintinnabulis instructam, quæ apud Nationes illas sceptrum est, ac Regiæ Majestatis insigne. Vascus, ea, qua erat benignitate præditus, illorum votis precibusque indulsit: at cum adversa rerum conditio passa non fuerit, ut eorum desideria complerentur, antiquorum Regum jugum excutere minime potuerunt; qui tamen satis indulgenter in rebus ad Religionem spectantibus se habent, & vix se rebus civilibus immiscent, immo auctoritatem & jurisdictionem fere omnem, liberam Diœcesanis Episcopis relinquunt.

V. De Epocha Malabarensium, & usitata inter eos annorum computandorum ratione, id ex Antonio Gouvea habemus; nimirum ipsos ab urbe Coulan condita; ut olim ab Urbe sua Romani fecerant; computum exordiri consuevisse; propterea quod inter Malabaricas erat nobilissima; quamobrem annus, ut idem laudatus Scriptor tradidit, cum esset nobis millesi-

(*a*) Hic annus assignatur à Gouvea nostro; neque isti præferenda est supputatio Raynaldi, nec appulsus inde Lusitanorum in Indiam recensendus anno 1490. in Epistola enim quam Episcopi Indiæ Thomas, Jaballaha, Jacobus & Denha certiorem reddunt de Lusitanorum adventu suum Patriarcham, id contigisse non anno Græcorum 1801., & Christi 1490., aut circiter innui videtur: porro Epistola scripta est anno Græc. 1815. Christi vero 1504. omne vero dubium sustulit Osorius, qui *lib. 1. de Reb. Emman. fol* 17. ait, Gamam Ulyssipone navem conscendisse VII. Id. Jul. anni MCCCCXCVII. ut Indiam peteret.

Digitized by Google

simus sexcentesimus secundus, erat illis (a) septingentesimus octogesimus à Coulan condita. Unde juxta hanc computationis formam, urbis illius erectioni assignandus est annus octingentesimus vigesimus secundus æræ vulgaris. Minime tamen dubito, quin ad præsens Malabarenses viri Christiani, à Christi Nativitate feliciores annos sibi computent.

VI. Quod attinet ad urbem Coulan nobilem, nec infrequentem; dum Alexius Malabarica Regna circuibat, Rex Travancoridis, Reginæ de Canganate adoptione conjunctus; ad quem ditio Coulani pertinebat, per speciem Pagodem construendi, ut arx septem propugnaculis munitissima construeretur, diligenter curabat; quod cum plurimum detrimenti afferret Lusitanis; ea præsertim de causa, quod prope Christianorum ædes, eorumque Ecclesiam ædificaretur; Alexius Templi inspectoris speciem obtendens, novam arcem attente observavit, atque dimensus est. Insuper propugnaculum a Christianis, aliquot annos ante construi cœptum, pendensque opere interrupto, perfici jussit; eique novum aliud à Mari aversum, terrasque prospectans, ac veteri longe majus adjunxit; demum murum interposuit, quo novum veteri copularetur. Fortissimum hoc munimentum erit auctori suo æternum famæ monumentum; quippe quod ab illius nomine appellatum fuit propugnaculum S. Alexii.

§. II.

Religio Malabarica incerta I. *Prædicatio Apostoli Thomæ. Martyrii annus, locus, & translationes Corporis* II. *Origo Christianorum Divi Thomæ nuncupatorum, eorumque incrementa* III. *Persecutio Meliaporensis, & fuga Christianorum ad montes Malabaricos.* IV. *Ecclesia Montana Malabarica, in Metropolitanam Indiæ erigitur.* V. *Denique ad Nestorium deficit.* VI.

I. QUem Religionis cultum sectarentur ethnici Malabarenses, cum Apostolus Thomas, eos Evangelica fide illustraturus, illùc appulit, scrutari, plus haberet curiositatis, quam utilitatis; præterquam quod nihil certi ex antiquioris ævi latebris eruere nobis, quantumvis conantibus, liceret, præsertim quum, vel iter ipsius Apostoli, peragratæ regiones, prædicationis qualitates, martyrii genus, locusve, non adeò in luce collocata sint, ut etiam seclusis Criticorum rigidis conjectationibus, tenebris aliquibus non obscurentur. Ea tamen, quæ fere omnibus probantur, in medium proferemus.

II. Igi-

(a) Cl. Asseman. Differt. de Syr. Nest. pag. 442. rejicit supputationem Gouveæ, & Crozaei, qua assignatur fundationi Coulani annus 822. nec illi placet Scaligeriana anno 907. neque Vischeriana; ex qua anno 825. Coulanum esse conditam evincitur; & e binis Codd. Syr. Vaticanis annum 855. statuit. Ceterum omnium optima nobis est Vischeriana; propterea quia, inter nostras Schedas habemus exemplar *Conventionis*, & *Juramenti* facti ab Ecclesia Christianorum S. Thomæ die 20. Junii Castorti in Ecclesia parva anno 1704. cujus initium est: *Anno a Nat. Christi* 1704., & *anno Coulam* 879. *die* 20. *Jun.* &c. Unde sumitur Epocha ab anno 825.

Digitized by Google

II. Igitur Apostoli tessera, qua vera Christi Religio internosceretur, muniti; Divini afflatu Numinis in diversas Mundi Regiones, unusquisque in eam, quæ fuerat ipsi attributa, discesserunt, atque ubi erat impetus spiritus, illuc ferebantur; quo quidem ductante, Apostolus *Thomas* hebraicè, græcè autem *Didymus*, quod est *Gemellus*, seu *duplex* (*Lebæum* etiam, *Corculum*; immo & *Judam* juxta Eusebium vocatum fuisse asseritur) Parthos, Æthiopes, Medos, Persasque invisit. Ex Arabia deinde, vel eo tantum nomine felice, ad Indiam propriè sic appellatam pergere paratus (antiquiores autem Scriptores & SS. Patres, populos quoscumque longinquos, Æthiopes præsertim, Parthosque conterminos, *Indos* etiam appellare consueverunt) conscensa navi, & Oceani vastitate emensa, felici cursu Socotoram tenuit. Exinde in Indiam, quæ à flumine Indo appellationem Indiæ sibi propriam sortita est, appulit; & civitas Cranganoris, tunc nobilissima, ac Regis inter Malabaricos potentioris sedes, ab Apostolo prima omnium Evangelii lucem accepit; quod qua ratione factum sit, (*a*) paucis exponam. Ea in urbe ob filii Regis nuptias, evocatis puellarum diversarum nationum choris, regale parabatur Convivium; hoc solemniter cum celebraretur, puella quædam hebræa, pro more suæ gentis, hebraica poesi Deum unicum, rerum omnium Dominum, Divinæ Legis œconomiam, filiorum Israel ostenta, Prophetarum oracula, Deorum, quos ethnici adorabant, vanitatem, modulatè canebat; Fortè aderat Apostolus, cui præ rei novitate stupenti, attenteque (quod admirantis est) puellam aspicienti, ministrantium assentator quidam audacissimus, quasi moderationem loci, temporisque prætergresso, excussa manu, alapam impingit; at gravissima ceteroquin injuria, nihil commotus Apostolus, statim oculis in Cœlum sublatis, reposuit; ignoscat tibi Deus; sed ut palam fiat, Christi servos injuris hujusmodi non dehonestari, & quem colunt Christum; similia & multo graviora passum, verum esse Deum, qui in Mundum venit, ut peccatores salvos faceret, id esto signum; eam ipsam manum, antequam à mensa recedatur, canis a te avulsam, nobis afferet: prædictionem eventus illico comprobavit; verum a suo Divino Præceptore Discipulus non degener, quotquot aderant potentiam illius, ac mansuetudinem admirantibus, brachio sanguine fluenti manum denuò Crucis signo copulavit emortuam; inde glorificare Deum omnes, Regem eventu commoveri, novos Conjuges, quibus Apostolus benediceret, acciri, fidem Christi ipsos suscipere, Regem, filiosque Sacra Unda ablui, una eademque res visa est. Accessit, sponsos Deo castitatem obtulisse; ipsique cum voti nuncupatione Sponsa se devovisset, Sponsum Diaconos inter fuisse solemni consecratione cooptatum; plureque & prodigio & Regalium conjugum exemplo permotos, Christi fidem suscepisse.

Dein-

(*a*) Plura iis fabulosa interseruntur; ea damus, quæ improbantur minus: rejectis quod Thomas a Christo fuerit cuidam Mercatori Habano venditus, cum quo in Indiam profectus fuerit; quod Architectum agens palatium Indorum Regi excitaverit; illud de ingenti trabe, quam zona e mari in terram traxerit; aliaque id genus, quæ ex confictis a Leucio Carino *Thomæ Periodis* hausta videntur.

Digitized by Google

Deinde ultra excurrens Thomas, Coulanum perrexit, postea Meliaporem, tunc temporis Indicarum civitatum facile principem, quæ hodie, eo quod ibi Apostolus strenue Martyrium subierit, *Civitas Sancti Thomæ* appellatur, ibi Rege, populoque ad veram Religionem conversis, pluribus etiam allectis Discipulis, Sinenses naves, quæ Oceano illi circumfuso latè dominabantur, alacriter conscendit, & in Sinas prætervectus, civitatem tunc temporis (a) *Camballe* dictam, attigit: quo nomine verò civitas illa hodie appelletur, incertum est. Ea in urbe multos ad Christi cognitionem, verique Dei cultum adduxit. Quæ tamen non adeo explorata sunt, ut multi non sint, qui censeant, Apostolum, non in Sinas, sed in regionem, aut Mogolis, aut Thibeti fuisse prætervectum. Conjecturam ducunt ex Christianæ Religionis vestigiis, quæ in iis regionibus olim reperta, non alterj, quam Thomæ, ibi Evangelium promulganti, quod alium neminem fecisse tunc temporis constat, probabiliter tribui posse videntur.

Sed ut ut res fuerit; ab ea regione Thomas Meliaporem reversus, ubi Regem, Populumque Christiana Religione imbuerat, Bracmanum fraude; qui falsæ, quam profitebantur Religionis errores detectos, confutatosque, veramque, quam Apostolus promulgabat, manifestis signis confirmatam, iniquo animo ferebant; lapidibus impetitus, lancea deinde transverberatus, nobilissima atque honestissima morte, martyrum laureolam sibi comparavit. Gloriosissimi Apostoli & Martyris corpus in civitate Meliaporis repertum, translatum fuit primo in Edessam, inde Chium, postremo Orthonam in Apulia. Martyrii vero annus a S. Nilo post (b) martyrium Apostolorum Petri & Pauli; qui anno 66. aut 69. interfecti sunt, computatur. Quamobrem probabili calculo (certitudinem enim hac in re frustra requiras) annus emortualis Apostoli Thomæ fuit annus (c) a Christi Nativitate 73.

III. Cum sanguis Martyrum semen sit Christianorum; Christiani Meliaporenses, post Apostoli mortem & aucti sunt numero, & diu floruerunt; quousque capta Meliapore, atque solo æquata, ferro, ac igne in ipsos sæviente, fuerunt in varias regiones dispersi: ubi cum Christianis hominibus mitius agebatur, nimirum in regna Cranganoris, Coulani, Travancoridis & in civitates Calecuti & Todamala & in montes præsertim Malabaricos; verum longo temporum tractu, errorumque permixtione, vix quicquam præter nomen Christianorum, dum Menessius hos invisit, reliquum illis erat.

IV. Com-

(a) Cham-Balle; hodie Pechin. *Vide Dissert. 1. num* 10.

(b) Ex supputatione P. Sentz Yvani Societ. Jesu *decad. 1. par. 2. §. 4. ad Mensem Decem.*

(c) S. Nilus apud Phot. in Biblioth. Cod. 276. Ceterum frustra anni certitudo quæritur: verosimilius tamen videtur opinio Henschenii tom. 7. Maii. Dissert 1. qua assignatur Passio S. Petri una cum S. Paullo 29. Junii anni 65., quod vero alii ad annum 69. necem Petri ducant, fortasse factum est, quod deciperentur verbis Eusebii asserentis, sedisse Romæ Petrum *usque ad ultimum annum Neronis*; quod non de ultimo vitæ Neronis anno, sed de ultimo, quem Romæ egerat, nimirum 65. intelligere oportuit; inde illo digresso in Græciam; nec amplius in Urbem reversus propria se manu in Campania interemit, anno æra vulgaris 68.

Digitized by Google

IV. Commodiorem ac honestiorem præ aliis nacti sunt locum, qui ad montana Malabarica pervenere, nam à finitimis Regulis honorificè accipiebantur illi Christiani propter indulgentiam, ac privilegia ipsis concessa a Xarano Perumalo, magno Malabaricorum Imperatore, ut superius indicavimus. Quæ quidem omnia referri debent accepta cuidam (a) Armeno Thomæ Cana dicto, aut Mar-Thomæ, quod idem sonat, ac Dominus Thomas, qui opibus ac potentia pollens apud Reges, præsertim Cranganoris, ab iis ultra non pauca privilegia, impetravit etiam facultatem extruendi Ecclesiam; cujus (b) Ollas æneis laminis incidi curavit, quas deinde Episcopus illorum Christianorum Mar-Jacob apud Officium Procuratoris Lusitani recondidit, quæ demum injuria ipsius abstractæ fuere. Nec parum contulit ipsius numerosissima soboles incrementi cœtui Christianorum Cranganoris, Caturte, Cottete & Diamper, qui per Mar-Thomæ posteros plurimum fuit auctus; nisi quod filii legitimi cum filiis famulæ cujusdam, quæ pariter Christiana erat, & Naira concubina, tamen de ingenuitate natalium contendentes, discordiam non levem, & Schismatis speciem aliquam concitarunt.

Sed nec prętermittendum, quod paucis a fundatione Coulani annis, advenerint duo è Babylone Chaldæi (ut creditur, Nestoriana hæresi infecti) quibus nomen Mar (c) Xabro, & Mar-Prodh, qui amplissimam obtinuerunt ædificandarum Ecclesiarum in iis regionibus facultatem; proventibus etiam, ad hoc non exiguis, attributis; cujus Privilegii aliorumque exemplar laminis æreis insculptum, litterisque non tantum Malabaricis, verum & Canarinis, Tamulianis & Bisnaganicis exaratum, ostensum fuit Menessio in Tevalecare; ubi inter pretiosiores Ecclesiæ res in Cimeliarchio asservabatur. Ea de causa fortasse factum est, ut illæ Ecclesiæ duos illos Chaldæos inter Sanctos reposuerint; eos appellando *Gade Yagal*, quod ipsorum lingua est idem ac *qui sunt Sancti*.

His affectis muneribus Christianis illis, eorum animos vehemens incessit

(a) Thomam istum Cana Mercatorem Armenum facit Crozæus. Assemanus, non alium fuisse sibi videri ait Tom.4. pag.443. a Thoma Episcopo, circa annum 800. misso in Indiam a Patriarcha Nestorianorum Timotheo cum sociis Jaballaha, Kardago Davide aliisque, cum quindecim Monachis ex Monasterio Beth-Abensi. Male tamen (ait) dici Armenum, eo quod Malabarenses, Episcopos tantum Syros, aut Chaldæos admittebant, non Armenos. Lusitani tamen voce *Aramæum*, id est Syrum, delusi forte, substituerunt *Armenum*. Binæ etiam uxores & filii ipsius, nihil aliud sibi videri, quam binę a Thoma Ecclesiæ administratæ, Angamalensis nempe & Cranganorensis, & ipsarum Christiani.

(b) *Ollæ* sunt Diplomata & rescripta quæ non in carta, sed in palmarum foliis, stylo, aut potius celte inscribuntur litteræ. *Vide infra cap.3. §.1. n.2. in Not.*

(c) Post 100. fere annos ab erectione Coulani, id est anno 925. dicuntur missi in Indiam isti duo Episcopi *Sapores* scilicet, & *Peroxes*, juxta pronunciationem Persicam, si credendum sit Crozæo. Gouvea ipsos nominat *Mar-Xabro*, & *Mar-Prodh*, de quo acriter conqueritur Crozæus, dicens pag.47. Hist. Christian. Indor. *Gouvea qu. corrompt tous les noms &c.* Ipse vero pag.265. vocat primum *Mar Zapor*: & *Calaminam* appellat: *Castel da Mina*; si immitaturus est, cur reprehendit Gouveam? Is vero ea nomina scripsit, eo modo quo Malabarensium pronunciatione suis auribus sonabant. Illi vero tanquam Sancti reverebantur a Malabarensibus. Synodus autem Diamperit. Act.8. Decr.25. jussit, ut Ecclesiæ, quæ eorum nomini erant dicatæ, omnibus Sanctis dedicarentur; donec constaret eos non fuisse Nestorianos, quod magnopere verebatur.

Digitized by Google

inteſſit cupido, Regem aliquem ſibi deligendi, qui regimini præeſſet ipſiſque contra finitimos Reges præſidio foret; ut narravimus ſupra. Atmaleſanus ethnicorum Regum furor, quamvis in ſolam Meliaporenſem Eccleſiam ſæviret, totam Chriſtianam Rempublicam in iis Regionibus propemodum extinxit. Cum enim ex illa Eccleſia ſibi Paſtores Sacerdoteſque aſciſceret Eccleſia Montenſis Malabaris; illis vel vi in exilium pulſis, vel interemptis; quique tunc temporis aderant, decurſu temporis juxta mortalis naturæ conditionem e vita egreſſis, in eam redacta eſt orbitatem, ut Epiſcopis ac Sacerdotibus fuerit penitus deſtituta, unuſque dumtaxat remanſerit Diaconus, cui tamquam Præſuli obtemperabant: immo tantæ jacturæ intolerantia, Sacrarum rerum ignoratione & oblivione illam ſubſequuta, Diaconum (a), qui unus ſupererat, coegerunt, ut Miſſas celebraret, ac reliqua Presbyterorum munia; uſque dum idonei Eccleſiæ Miniſtri aliunde accerſerentur; temerè prorſus obiret. Florebat tunc temporis Doctrinæ, ac Sanctimoniæ fama Eccleſia Babylonica. Cumque major etiam cum ea urbe communicatio per viam Ormuſii, ac proinde major eſſet facilitas in deducendis inde Epiſcopis, ac Sacerdotibus; miſſis illuc nonnullis Chriſtianis, tres ex Eccleſia illa Epiſcopos acceperunt: unum pro India cum titulo Archiepiſcopi, cujus Indica Sedes Metropolitana in Malabaris Eccleſia collocanda erat; reliquos duos, tamquam Provinciales, ac Metropolitæ ſubjectos, alterum pro Inſula Socotora, alium pro Maſina; quippe eo conſtitutis in loco navigationis ope promptius atque aptius, quam à Babylone, ab Indicis plagis conſuli poſſet. Tres vero illi Epiſcopi deſignati, fuere Mar-Dua, Mar-Thoma, (b) & Mar-Joannam, qui antequam ad ſuas pergerent Cathedras, in Cranganorem convenere; at eorum duo, ut fertur, & ſoli & navigationis denuo inſtaurandæ pertæſi, Babylonem remearunt; in quorum locum alii miſſi, plures ii Ordinibus, Baptiſmoque (qui ferè in deſuetudinem Miniſtrorum penuria abierat) initiavere.

Hoc ordine Eccleſiæ Indicæ ſub Babylonica informabantur; cum Conſtantinopoli, optimi Paſtoris Chryſoſtomi peſſimus Lupus ſucceſſor Neſtorius, vertente anno 427. omnium lacrymis deplorandum funeſtumque jam ſuſcitaverat Schiſma: unde ſimplici ignorationi dogmatum, error Neſtorii, ignorantia longè deterior, ſucceſſit. Erat is Natione Syrus, civitate Germanicius, profeſſione ex Monacho, Presbyter Antiochenus, lingua diſertus, inani quadam ſanctimoniæ ſpecie larvatus, indole protervus, ac vafer. Homo plane teterrimus; Anaſtaſio quodam præcurſore, duas in Chriſto aſſeruit Perſonas; atque Mariam purum genuiſſe hominem, non Deum; Unde non Deiparam, ſed Matrem Chriſti dicendam eſſe; Chriſtum autem hominem, vocari Deum, propter unio-

(a) Nulla memoria de iſto Diacono invenitur in Tabularis Indorum.

(b) Ex Epiſtola Epiſcoporum Indiæ ad Patriarcham anno 1515. id quod de iſtis tribus Epiſcopis narratur; nempe Mar-Dua, aut Dona, Thoma & Jonnam, videtur falſum; quia duo tunc tantum miſſi fuere; Joannes ſcilicet ac Thomas; idest anno 1490. Solus deinde Thomas fuit in Meſopotamiam regreſſus, tres inde alios ſecum Epiſcopos in Indiam deduxit, anno 1503. Denham ſcilicet, Jaballaham & Jacobum.

Digitized by Google

nem quamdam moralem Dei, in illo inhabitantis tamquam in Templo. Cujus novum dogma damnatum mox fuit à Cœlestino in Synodo Romana, anno 430. ac subinde in generali celeberrimo Concilio Ephesino, anno sequenti; ac rursus in Chalcedonensi; ipse vero damnatus, depositus, in exilium pulsus, Caini more vagus, in extrema demum Thebaide, lingua a vermibus corrosa, miserrimè decessit.

Sed nec amplitudo ingens Patriarchatus C. P. immane illud errorum ostentum proprio valuit continere sinu; quinimmo Syriæ, ac Persidis maximam partem pervasit, atque infecit: malum publicum fovente; ut assolet, Schola, (a) quæ Edessæ erat, novi dogmatis infelici laurea exultans; adeo impotenter, ut *doctrina Persica* à cunctis vocitaretur. Neque comburere libros Nestorii (quod Concilium Ephesinum edixerat, ac Imperator Theodosius constituerat) præsenti periculo, ut optabatur, consuluit; cum illius affectæ mox Theodori Mopsuesteni scripta, ipsius Nestorii Institutoris, ac Diodori Tarsensis simili imbuta veneno, Syriacè, Armeniace ac Persice in medium produxerint; quo factum est, ut brevi indoctos simplicesque homines tenuerit. Babylone autem (ominosum ab antiquis usque temporibus religioni nomen) tanto fuit plausu ea doctrina excepta, ut Episcopi deinceps Babylonici, se se primarios illius doctrinæ Magistros exhibuerint, arrogato sibi novo Patriarchæ titulo; quodque consectarium erat, jugum Ecclesiæ Romanæ omnium Magistræ, prorsùs excusserint.

Babylone (quod nostri est Instituti) nova ista doctrina ac errorum colluvione confusa ac perturbata, ab ea, ut à capite, Ecclesiæ Indicæ ipsius membra, ferali haustu virus trahere cœperunt; inde Ecclesiæ Malabaricæ ac Zocotorensi Episcopi designati sunt Nestoriani, qui hos omnes Populos eamdem hæresim edocuerunt; perstiterunt denique in ea, ad annum usque 1599. quo Archiepiscopus Goensis Alexius de Menesses, nostri Augustiniani Instituti splendidissimum sidus, demonstrata errorum falsitate, eos in antiquæ veræque doctrinæ lucem traduxit, quod incassum per annos plurimos tentaverant Lusitani; inaccessæ enim Montium crepidines impedimento erant, Montanos illos homines adire, eorumque errores impugnare cupientibus.

§. III. *Labo-*

(a) Scholarum erectio ab ipsis Ecclesiæ primordiis repetenda est, Hierosolymis, Alexandriæ & Antiochiæ, ac in præcipuis Palestinæ, Syriæ, ac Mesopotamiæ Ecclesiis; ubi etiam Laici docebant, quales erant Pantænus, Origenes, & Didymus, sub quo Hieronymus, interdum Discipulum egit. Edessæ Schola celebris evasit; immo plures ibi Scholas ex Theodoro Lectore apparet floruisse, quas inter illa numeratur, quæ *Persicæ gentis* audiebat; cujus usu factum est teste ipso Theodoro *lib. 2. pag. 558. Ut Persæ Nestorianam hæresim sequerentur*: illam docentibus Simeone Elita, Acacio, Barsuma, & aliis; quos omnes circa annum 431. ejecit Rabulas Edessæ Episcopus, quia ut Nestorium defenderent, Libros Diodori & Theodori in Syriacam linguam verterunt. Ibas eos revocavit; at qui Ibæ successit Cyrus, jussu Zenonis Imp. *Scholam Persicam* evertit, anno Græcorum 800. & Christi 489.

Digitized by Google

§.III.

Labores Apostolici ad evellenda Nestoriana Zizania I. *Erigitur a PP. Societatis Vaipicotæ Collegium, in quo Adolescentes Chaldaicam, & Syricam linguam addiscant* II. *Mar-Joseph Archiepiscopus Angamalensis evocatur Romam* III. *Nestoriani ad novum accipiendum Antistitem clam Babylonem adeunt.* IV. *Mar-Joseph Roma redux, Mar-Abraham suam interim sedem nactum deturbat. At dum Romanæ Sedi fidem non servat, ac promissis non stat, iterum Romam evocatur, ac inibi obiit* V.

I. QUamvis Episcopi Ducesque Nestoriani non sinerent, ut Christiani Sancti Thomæ Romanæ Sedis Catholica doctrina imbuerentur, non destitit tamen Evangelicus Operariorum zelus in illius vineæ cultura laborare. Omnium primus Joannes de Alburquerque, Seraphicæ Familiæ alumnus, Goæ Episcopus designatus; quem ejusdem Religiosæ Familiæ ven. vir quidam, Vincentius nomine, comitatus est, cum in civitate Cranganoris domicilium fixisset, sæpius interiores terras penetravit, ibique in Ecclesiis conciones & catecheses habuit; earumque plures ad nostratium normam instauravit; antiquæ enim aliter, ut Pagodes scilicet in quibus impia superstitio, & Idolorum vigebat cultus; extructæ erant. Verum cum ex tot laboribus, emolumenti fere nihil Catholica religio caperet; annuente Episcopo, ac Pro-rege, anno 1546. Collegium Cranganore erexit, ubi pueri Christianorum filii, literis, moribus, & quod magis est, veritatibus Catholicis optime formati, sacris initiarentur mysteriis; ut postea ex eorum numero concionatores & catechistæ haberentur; à quibus, utpote non exteris, sed indigenis, expeditius ac apertius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrina illarum gentium animis instillaretur.

II. Verum spes successu caruit; nam qui latinos ritus profitebantur (tanta vis est præjudicati erroris) nec tamquam consanguinei, nec tamquam populares habebantur. Id unum effectum est, contubernii illius erectione; ut nempe, qui ibi alebantur, libere sacris initiari possent, aliisque Presbyteris latinis advenis obsequium deferrent, & Catholica doctrina instruerentur. Ceterum in Ecclesiis Sacrum celebrare aliter, quam advenarum more, inter populares suos residere, vel quæ ad Religionem ritusque pertinent, innovare, fuit illis penitùs interdictum. Aliquid solum commodi in Diœcesim Cochim inde derivatum est, in qua cum libentius Christianorum filii, quam neophiti, consecrarentur, fuit ex Collegii alumnis numerus Presbyterorum auctus. Quamobrem arbitrati PP. Societatis Jesu, id in causa esse ejusmodi aversionis, quod alumni Collegii Cranganorensis chaldaicè & syriacè nescirent, quibus linguis populi illi in re sacra utebantur, in eam abierunt sententiam, fore ut tamquam populares haberentur, eorumque Sacra ministeria accepta

Digitized by Google

essent, si duplici illo idiomate instruerentur; quamobrem an. 1587. Chanotæ, aliàs Vaipicotæ (Christianorum Oppidulum est, à Crangore leucæ spatio distans) Collegium, in quo illæ linguæ addiscerentur, erexerunt; annuente Rege de Cochim, in cujus erat ditione; attributis etiam ex ærario Regio Lusitano proventibus: futurum insuper, ut inviso Latinorum nomine obsolescente, Syros, ut Sacerdotes ceteros Malabaricos audirent; qua ratione doctrinæ Catholicæ via complanaretur.

Sed hoc etiam inventum, ubi incœptum, fuit prorsus irritum; grati enim animi non esse putabant Vaipicotenses alumni, adversus doctrinam Episcoporum, à quibus sacrum acceperant characterem, mussitare; vel in eos, penes quos erat ipsos præmiandi puniendique jus omne, quoquo modo invehi. Igitur ii, quorum intererat, perpendentes mali radicem Antistites esse, populorum moderatores, id ceperunt consilii, ut (*a*) Mar-Joseph, qui tunc clavum tenebat, in Urbem ad Pontificem mitteretur; tria inde sibi spondentes bona; cum ipsius Joseph resipiscientiam, tùm ampliorem liberioremque instruendi Christianos facultatem; & quod consectarium erat, ipsorum Christianorum, eo absente, minus coarctatam meliora sequendi libertatem. Fuerat is Mar-Joseph in Malabarem missus à Patriarcha Babylone Mar-Audixo (*b*); & planè præ aliis cuncta ad Ecclesiæ cultusque Divini decorem optimo in loco collocarat; verum quantum ad Nestorianam labem attinet, nihilo melior aliis erat, & quod verius puto, simulandæ tantum Religionis gratia, nonnullos è Lusitanis inter juvenes familiares adsciverat.

III. Quærebatur tamen id perficiendi ratio; probè enim noverant, arduum sane esse, Archiepiscopum Mar-Joseph ad suscipiendum iter illud adducere. At cum interea delatum esset, ab ipsis pueris Lusitanis, quos apud se habebat, ad Episcopum de Cochim, ipsum Mar-Joseph, privata Catechesi, ad Nestorianas partes eos seducere, dum B. Virginem in Oratione Angelica, sic & non aliter obsecrandam suadebat: *Sancta Maria Mater Christi ora pro nobis peccatoribus &c.* Collatis consiliis cum Archiepiscopo Goensi Menessio, & Pro-rege; omnium consensione effectum est, ut occasione è re nata, evocaretur Goam, & inde in Lusitaniam, & ex Lusitania Romam, ut ibi summo Pontifici de actis & fide sua rationem redditurus, se sisteret. Quum verò in Lusitaniam pervenisset, adeo sibi devinxit Reginæ Catharinæ, quæ decedente Rege Joanne,

(*a*) *Mar* est vox Syriaca & significat, quod inter Hispanienses *Don*, & apud Italos *Signore*: qua voce Syri, Præsules præcipue liberaliter colunt.

(*b*) Hic Mar-*Audixo*; ut vocat Gouvea, & Crozæus *Abdiebio*; creditur fuisse eumdem, ac *Abd Jesus*, qui an. 1562. a Pio IV. Romæ fuit constitutus Chaldæorum Patriarcha. Hunc Crozæus Tridentino Synodo interfuisse asserit; contra quod ipse in Professione Fidei habet, quam Romæ emisit in ædibus Cardinalis de Urbino anno 1562. die 23. Julii: *Juro & polliceor cum mihi non liceat ad Sanctam sacram Tridentinam Synodum accedere, sed necesse sit, ut ad Patriarchatum meum me transferam &c.* Ita ille Chaldaice cujus fuit Interpres quidam Indus, nomine Joannes Baptista Abiscinus. Vocatur autem ibi *Abd-Isu filius Joannis*: qui tunc sexagenarius erat. Vide Collect. Conc. Harduin. tom. X. col. 306. & duabus sequentibus.

Digitized by Google

ne, summam tenebat Imperii, ejusque Sororis Mariæ gratiam ac animos, fucatæ probitatis specie; ut (priùs coràm Cardinali Infante Henrico, tunc temporis supremo Fidei Quæsitore, interposito Sacramento, pollicens, se operam deinde omnem locaturum in sua Diœcesi, ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reducenda) prætermisso ad Urbem itinere, Indiam versus cum commendatitiis Reginæ Litteris remeaverit.

IV. Interea Montenses Diœcesani, nulla præconcepta spe reditus Mar-Joseph, clam Babylonem petitum mittunt, ut novus ipsis Archiepiscopus designaretur. Præerat tunc Cathedræ Babylonicæ Mar-Simeon, qui illicò Ecclesiæ Malabaricæ designavit quemdam Mar-Abraham; hic vero arrepto itinere, eadem Nestoriana lue infectus, in Ecclesiam Montanam penetravit: excipitur ingenti omnium plausu; Ordinationes statim celebrat; omnia demum Pontificis munera obit. Verum ipsum suosque asseclas nihil tale cogitantes, ex improviso occupat Mar-Joseph è Lusitania redux; cui utpote Reginæ litteris munito, nullus obsistere ausus fuit. Studia in contraria dividuntur Christiani; quorum aliqui Mar-Abraham partes sequuntur; res etiam Ecclesiasticæ in hoc rerum tumultu pessum eunt. Interim Mar-Joseph (Goæ antea, ostensis Regiis litteris) Archiepiscopo Menessio & Pro-regi scribit; non esse cur intrussus Episcopus sustineatur; ea potissimum de causa, quod plurimis novis erroribus populos imbuere pergat. Ergo capitur ille Mar-Abraham jussu Regis de Cochim & suggestione per Ducem Militiæ Lusitaniæ in Cochimo existentem proposita: mittitur deinde Goam, indè in Lusitaniam, postea Romam, coram Papa causam dicturus. At ubi Mozambicum casu appulere naves; clanculum conscenso navigio, Babylonicum mare remetiri cœpit; paulo post, tamen mutato consilio, eo quod Patriarchæ Babylonici jussa, renuente Pontifice Romano, felicem exitum habitura non essent, Romam rectà perrexit.

Perveniens ad Urbem, Pio IV. tunc sedenti se sistit, rem illi totam aperit, modo tamen, ut hæretici solent, occulte doloso & fraudulento; inde detestatur errores, fidei professionem emittit, spondet tandem, sibi commissum gregem ad Romanæ Ecclesiæ unionem reducturum; & quia optimi Patris est, filium etiam exlegem, submissum tamen, benigne suscipere; verbis ipsius præstare fidem, nec facile suspicari de fraude; ultra quam par erat, petitionibus ipsius ille Optimus Pontifex indulsit. Quoniam vero ex confessionis errorumque textura, quos jurejurando interposito reprobaverat, satis constabat, illum fuisse inaniter & sine effectu Sacris Ordinibus insignitum, iterum fuit sacris initiatus, & inauguratus Sacerdos ab Episcopo S. Salvatoris, atque à Patriarcha Venetiarum Sacra infula decoratus; quorum testimonia, exhibita postea Menessio, in Archivio Angamalensis Ecclesiæ servabantur.

Qua animi sinceritate promissa esset Mar-Abraham soluturus, affatim portendebat, obscura fidei professio Romæ peracta, & ejus postea autographum, quod ex Archivio item Angamalensis Ecclesiæ Menessio ostensum fuit, & Syriacis verbis exaratum fuerat; nam ubi confitebatur, Verbum assumsisse naturam humanam, atque hominem fuisse factum, ver-

Digitized by Google

verbum quoddam Syriacum interseruerat (astu hæreticis familiari) quod non *Naturam*, sed *Suppositum* indicabat. Nihilominus Pius Pontifex suo Diplomate eum in Episcopum Montensis Regionis confirmavit; quinimmo titulo Archiepiscopi eum honestavit; ac tali munere ac titulo dignum, honorificis literis ad Proregem Indiæque Præsules testatus est.

V. Interea Mar-Joseph (in longinquas Regiones depulso Mar-Abraham ejus æmulo) pacifica Episcopatus possessione gaudebat; ast contra fidem Goæ & in Lusitania præstitam, errores erroribus cumulavit; immo eosdem populis pro concione inculcabat; qua re comperta ab Episcopo de Cochim ac Archiepiscopo Goensi atque per hos Cardinali Infanti Henrico, qui tunc pro Rege Sebastiano clavo Lusitaniæ assidebat, ac demum Pontifici Pio V. delata, suis literis in forma Brevis ad Archiepiscopum Georgium, quibus adscripta erat dies 15. Januarii anni 1567. jussit, ut Mar-Joseph à militibus comprehensus in Lusitaniam deportaretur, eidemque Archiepiscopo injunxit, ut si veri essent delati rumores, eum ad Sedem Apostolicam mitteret. Statim ac redditæ fuerunt Pontificiæ literæ, Mar-Joseph nihil tale suspicans, captus fuit in Cochimo, & in Lusitaniam primo, deinde Romam ablegatus, ubi demum è vita decessit.

§.IV.

Redux Mar-Abraham detruditur in Cœnobium Fratrum Prædicatorum Goæ. I. *Fugit inde ad antiquam Sedem* II. *Gregorii XIII. mandato accedit ad Concilium Goense tertium.* III. *Veterator quidam sacris non initiatus se Episcopum simulat à Babylone missum, atque a Regina Piperis protectus, in Carturte Sedem Episcopalem sigit, & à Sixto V. ejus astus detegitur* IV. *Concilium Quartum Goense, cui interesse renuit Mar-Abraham* V. *Ormutii Exploratores constituuntur, ne quis Episcopus Babylonicus accedat* VI. *Ultimi Nestorianorum Mar-Abraham & Jacobus Vicarius Generalis Simeonis e vivis excedunt.* VII.

I. ADventante Mar-Abraham Roma Goam cum literis Pii IV., quibus Archiepiscopus Montensis designabatur, ab anno proximo elapso iter in Lusitaniam Mar-Joseph arripuerat: quamobrem Archiepiscopalem Sedem æmulo suo vacuam reliquerat. Sed huic impedimento fuit illud ipsum Pontificium Diploma, cui plurimum confidebat; nam cum hoc sibi exhibitum Archiepiscopus Goensis, una cum sapientissimis viris attentè expendisset, deprehendit, ea omnia, quæ in illo narrabantur, falsitate laborare, atque adeo Mar-Abraham Summo Pontifici impudenter imposuisse: qua turpi fraude comperta, ne veteres errores recuderet, eum in Goensi Cœnobio Sancti Dominici custodiri jussit: Inde tamen malis artibus noctu se surripuit, & in Malabaricam Regionem clanculum

Digitized by Google

culum regressus, Sedem suam Archipiscopalem repetiit. Inopinatus illius adventus à Malabaricis Christianis, qui duobus Episcopis parvo temporis intervallo abductis, nullum deinceps è Babylone se habituros sperabant, fuit incredibili populi frequentia lætisque acclamationibus celebratus.

Hujus rei certior factus Pro-rex, unacum Præsulibus Goensi & Cochinensi, lapidem omnem movit, ut Antistitem transfugam in custodiam reduceret; at ille longe a maritimis oris, ac Lusitanorum investigationibus in interioribus Montium recessibus morabatur. Ut velum tamen aliquod suæ pervicaciæ obtenderet, summique Pontificis jussionibus parere videretur, quos jam ante Sacris initiaverat, iterum initiavit; eo facto palàm significans, se tunc temporis verum Episcopum non fuisse. His aliisque per literas ad Pro-regem aliosque Indiæ Antistites observantiæ erga Romanam Ecclesiam significationibus, nuntiatis, improbitatem suam subtilius contegi, sibique cautum satis putabat, cum interim novis in dies erroribus suam suorumque Sectatorum pertinaciam magis magisque obfirmaret. Nihilominus artibus hisce, sed longe magis locorum asperitate protectus, vitam aliquandiu tranquillè liberèque egit. At catecheses juxta Nestorii errores habere, Patriarcham Babylonis sacris tabellis appingere, Romani Pontificis verendum nomen subticere, atque id genus alia, ut consuetudinis erat, intermisit numquam.

III. Probe autem perspicientes Goensis ceterique Indiæ Antistites, doctrina non sana eos infelices innutriri populos, Summo Pontifici tunc temporis Gregorio XIII. rem detulerunt, qui per Breve sub 28. Novembris anni 1578. septimi Pontificatus, ad Archiepiscopum Mar-Abraham directum, injungebat ei, ut accessum expeditum Missionariis Catholicis præberet, seque Conciliis Provincialibus Goensibus sisteret, ipsorumque decretis, quoad regimen propriæ Ecclesiæ inviolabiliter sancteque obediret, concedebat ulterius ipsi commeatum Apostolicum, quo tuto ac libere valeret accedere, quin aliquis ipsi obstaculo foret, quod & reliquis earum partium Præsulibus notum faciebat. Igitur cum indiceretur tertium Concilium Goæ per Archiepiscopum Fratrem Vincentium Fonsecam; ne gratiam Lusitanorum amitteret; neve ut Schismaticus vexaretur, si venire detrectaret, Goam solicite petiit, & Concilio interfuit: ubi iterato errores abjuravit, Fideique professionem emisit, ejus decreta servare spopondit, traditurum se etiam libros, aut flammis absumendos, aut calamo purgandos promisit. Fassus etiam sponte fuit, in Presbyterorum institutione, Calicem se vino vacuum porrexisse, & panem tantum; quapropter jussum illi fuit, eosdem iterum ordinare; utpote qui propter diminutionem materiæ (a) rem ordinis nullatenus acceperant. At ex iis, quæ pro

(a) Traditio instrumentorum in Ordinationibus Sacris inaudita fuit per plura secula in Occidente; in Oriente vero numquam fuit in usu. Morinus in id propendet ut ad annum fere millesimum introducta sit, fultus codice Constantini Cajetani. Ceterum ex ipso *de Sac. Ordin. Part.3. Exercit.7. cap.1. num.18.* & Sacramentario Gregoriano Bibli. Vatic. constat, in ordinatione Episcopi dari tunc ipsi *Patenam cum oblatis, & Calicem cum Vino*. Certum autem videtur cum ipso Morino, Tournely *de Ordin.* & alius, in sola manuum impositione, Presbyteratus materiam tuto collocari posse. Nec mirum

promiserat, nihil servavit præter institutionis Presbyterorum redintegrationem, quam executus fuit forsan ob adstantes nonnullos Syriace doctos Vaticotensis Collegii alumnos. Immo postea scitum est, literas misisse ad suum Patriarcham Babylonicum de rebus Concilii, quibus literis significabat, se habitæ Synodo ultramodum coacte interfuisse, *eo quod* (ajebat) *Lusitani capiti meo imminent, ut Mallei super incudem.*

IV. Et quamquam jam pene tædet tot scenarum siparia ducere ac reducere; juvat tamen cœptis insistere, donec ad ultimum Nestorianorum Angamalensem Episcopum perveniamus. Ergo extremam attingebat senectam Mar-Abraham, cum simili qua foras truserat arte Mar Joseph, ab alio Babylonico propemodum elusus fuit. Nam ecce quidam Mar-Simeon (quod ipse dicebat) à Patriarcha Babylonico missus apparet, quasi Abrahami successor designatus. Iterum omnia perturbari, Christianos, hos pro Simeone, illos pro Abrahamo stare, & in contraria studia scindi; Interim Simeon protectione Reginæ Piperis potitus, in Carturtem; ejus Regni nobile Christianorum D.Thomæ Oppidum, concessit; ubi à cunctis Ecclesiis in ejusdem Reginæ ditione constitutis, tamquam Episcopus excipitur, Excommunicationes inde ac Anathemata (res ridicula) quasi missilia, alter in alterum mutuo intorquet; Christiani obedire verentur, eorumque plurimi ancipites hærent; intrepidus autem Simeon, munia quæcumque Episcoporum expeditissime assumit: Pro-rex atque Goensis pro Abrahamo stabant, quod à Pontifice Romano consecratus fuisset: quamobrem, adnitente Rege de Cochim, capitur Simeon; at ipse, id suadentibus Patribus Franciscanis, Urbem petere constituit: quod nisi faciat, idem sibi timet infortunium, in quod alii incurrerant. Tritum exinde iter aggrediens, petit Cochim, Goam, Lusitaniam, Romam. Sedebat tunc in Apostolico Solio sagax ille juxta, ac rerum usu peritus Pontifex Sixtus V., hic ut omnia æqua lance librabat, districto examini subjicit Simeonem; jubet fidem, mores, animum, chartas, schedas etiam quascumque ipsius perpendi; detegitur denique ex ipsius literis, ipsum Nestorianum esse, & nulla ratione Episcopum: immo ne Presbyterum quidem, habebat enim miser penes se epistolæ cujusdam exemplar (quod coram agnovit suum) quam ad Patriarcham Babylonicum scripserat, in qua nuntiabat, se, cum in Indiam venisset, ac non sine mœrore animi perspexisset in Episcopatu Malabarico ipsi subjecto, omnia in deterius prolabi, jurisdictionem ipsius conculcari; Lusitanos cunctis superbe dominari; ritus tandem Babylonicos, ac doctrinam Chaldæorum penitus aboleri; totius etiam mali causam esse, quod Mar-Abraham præ senio fractis corporis animique viribus languesceret; opportunum atque pergratum Deo & illi se facturum arbitratum esse, si (quod fecit) personam ac speciem Episco-

Menessium & alios cum Scholasticis eam tenuisse opinionem, ut instrumenta essent de essentia Ordinis, quæ tunc erat communior: ut Patres similiter Trullani (ea ducti Sententia, quod trina mersio esset de essentia Baptismi) statuerunt Can. 95. *rebaptizare Eunomianos, qui in una demersione baptizant*: neque mirum quod in rebus ad disciplinam Ecclesiæ attinentibus, Theologorum ingenia opinionibus ævi sui, alioquin innoxiis, tutius indulserint.

Digitized by Google

Episcopi indueret; post hæc addebat, se efflictim obsecrare ab ipso, cum arrogatæ auctoritatis veniam, tum etiam verum titulum; demum ut quæcumque egerat; etiam facta collatio ordinum, rata, validaque haberentur. Quibus compertis Sixto Papæ, etsi reus pœnas graviores mereretur, mitius cum illo actum fuit, nec aliam habuit pœnam, quam relegationis in Cœnobium, in quo Catholica fide probe instrueretur. Sententiam autem in eum latam, ipsemet detulit ad Philippum II. Hispaniæ, ac Lusitaniæ Regem, quam postea hic Alexio Menessio tradidit, cum eum in Indiam misit. Simeon itaque in Lusitaniam fuit amandatus, atque in Cœnobio Ulyssiponensi Sacræ Familiæ Sancti Francisci custodiri jussus: e cujus latebris tamen haud omittebat literas in Malabarem mittere ad Cassanarium Jacobum, cui Vicariam discedens contulerat potestatem, quibus eum hortabatur, ut partes suas ac errores valide sustineret; præterea se in dictis omnibus epistolis Indiæ Metropolitam appellitabat.

V. Pulso procul Simeone, tuto degebat Mar-Abraham; nisi quod Jacob Simeonis Vicarius, ac Ecclesiæ Piperinæ ipsius obedientiæ refragabantur. Interea indictum fuerat Concilium Quartum Goense anno 1590. ab Archiepiscopo Matthæo; & quamvis illo accedere deberet Mar-Abraham jussu Gregorii XIII. in suo Brevi superius recensito; obstinate obedire recusavit, & in sua sede permanens, Simoniæ, ac Nestorianis erroribus, ut antea indulsit. Quo explorato, Clemens VIII. in Brevi sub 27. Januarii anni 1595. Pontificatus tertio, injunxit Archiepiscopo Goensi Alexio de Menesses, ut cum constaret de veritate criminum delatorum, eum Goam evocaret, & carcere detineret; designato interea in Episcopatu Angamallensi Vicario Apostolico Latini ritus, utque e vita decedente Abrahamo, nullos ex Armenis (a) aut Chaldæis Episcopos pateretur; sed quem Ecclesia Romana designaret, opperiretur. Præcipiebat insuper illi, ut adversus quoscumque, de quibus talium errorum suspicio haberetur, sedulo inquiret.

VI. Sublata omni mora, judicialis caussæ cognitio, sive *Processus* (b) instituitur, reusque eorum criminum convincitur, ac ad Pontificem acta mittuntur: Abrahamum vero apprehendere & difficillimum arbitrabatur, eo quod montes asperrimi ipsum tutabantur, & inutile, eo quod clinicus lecto decumbebat. Ut autem caveretur successoris Chaldæi accessus, qui timebatur, ad Ormuzium unicam viam Exploratores missi sunt, qui caverent, ne aliquis Ecclesiasticorum e Chaldæa, Perside, aut Armenia transiret in Indiam, absque speciali Goensis facultate; nec in cassum id cessit; abactus enim fuit illinc quidam designatus Abrahamo Archiepiscopus successor cum ejusdem filio, aliisque comitibus. In omnibus præterea Portubus Indiæ inquisitum fuit in exteros quoscumque illuc adventantes, ac diligenter cautum, ne personati, aut Nautæ, aut Trapezitæ (quod erat frequens) larvis, Episcopi, vel Presbyteri Babylonici aditum ad eam Regionem invenirent; quæ quidem agendi ratio unicum

 fuit

(a) Cautum id fuerat in Concil. III. Goensi, cui ipse Mar-Abraham subscripserat; ut apparet ex ipso Brevi Clementis VIII. laudato.

(b) Ponitur hæc vox, licet latine minus sapiat, quia notior, & usitatior.

Digitized by Google

fuit opportunumque cum præsenti, tum futuro discrimini auxilium.

VII. Nec cum aliis jam res erat Menessio, præterquam cum duobus Nestorianis, Abrahamo & Jacobo, & quidem hic, etsi non alio charactere insigniretur, quam Vicarii Generalis Simeonis; hominis intrusi, & plane secularis; in tantam devenit audaciam (nescio an & amentiam) ut Aras consecrare, ac Pyxides auderet, aliaque Episcopi munera sibi usurpare. Non tamen destitit Menessius identidem hortari, ut se Archiepiscopo Angamallensi submitteret, ac usurpata jura, atque Ecclesias Piperinas restitueret, deinque ad meliorem frugem mentemque rediret: verum surdo cecinit: immo triduo ante mortem, cum literas Officii amorisque plenas à Menessio accepisset hujus argumenti; frigide dixit, responsurum se triduo post; sed illomet die obiit: uno verbo; refractarius vixit, refractarius decessit.

Quod attinet ad Abraham, æque officiose erga eum se gerebat Menessius, ac erga Archidiaconum ejus Georgium, sæpissime eos hortando, ut Nestorianos exuerent errores, atque ab illis Ecclesiis eam pestem quam longissime amandarent; sed perinde pervicaces ac Jacobus se se exhibuere, & eo progressa est pervicacia, potissimum (a) Abrahami, ut cum mors illi immineret, atque jussu Menessii ad eum accessissent Patres Societatis Vaipicotensis Collegii, quo eum Sacramento Pœnitentiæ expiarent, Pœnitentiæ Sacramentum ejusque Ministros contemserit; ac tandem in hoc misero statu e vivis excessit. Æquam post mortem sortitus fuit sepulturam in Ecclesia, (dignum patella operculum) quam ipse dicaverat in Angamalle Hormisdæ cuidam Abati, Nestorii assectæ, quem illi Christiani Sanctum Hormusium vocabant.

CA-

(a) Fallitur Franciscus Machieta eruditus Auctor libri *de Divino Officio*: anno 1739. Venetiis edito, quum cap. 10. pag. 122. scribit Mar-Abrahamum Synodo Diamperitanæ interfuisse; cum ipse ante ejus celebrationem obierit. Interfuit sane Synodo Goensi, anno circiter 1585. & tertiæ Goæ celebratæ, ubi abjuravit Nestorianismum, in quem fuit relapsus: ceterum Synodo quartæ Goensi anno 1590. coactæ, adesse noluit.

Digitized by Google

CAPUT II.

De rebus prævviis ad Synodum.

§. I.

Incumbit sedulo Menessius in reductionem Malabarensium ab erroribus Nestorii ad fidem, & Ecclesiæ Romanæ obedientiam. I. *Designat Vicarium Ecclesiæ Angamallensi, Archidiaconum Nestorianum Georgium, & hujus astus ac subterfugia* II. *Perturbatis rebus, Menessius ipse ire eo constituit* III. *Novæ cavillationes Georgii; quo id impediat* IV. *Iter arripit Menessius, ac tenet Ostia Cuñalis* V. *Colloquium init cum Georgio, atque Vaipicotam contendit* VI. *Omnia denuo perturbantur, atque Menessius in Paru secedit* VII.

I. UNica via per Ormuzium Babylonicis interclusa, Simeone illo pulso; atque Abrahamo & Jacobo vita functis, nihil superesse videbatur, quod metum incuteret, ne vetusta fides ad eos Christianos longo quasi postliminio rediret. Vix itaque de obitu Mar-Abrahami, dum Diœcesim suam visitaret in Damano die 16. Februarii 1597. nuntios accepit Menessius a Pro-Rege Mathia de Alburquerque; confestim juxta præscriptum Clementis VIII. designavit in Gubernatorem ac Vicarium Apostolicum Angamallensis Diœcesis Patrem Franciscum Roz (*a*) Soc. Jesu, qui postea fuit Episcopus ejusdem Ecclesiæ: omnes enim prærogativas, quas Clemens in Gubernatore designando exigebat, cumulate habebat; virtutem, doctrinam, prudentiam, linguas præterea callebat Malabaricam ac Syriacam; erat denique illis Christianis acceptissimus. Ceterum res effectu caruit, eo quod ea Diœcesis suum jam haberet Gubernatorem, Archidiaconum nempe Georgium, (*b*) quem Abraham morti proximus elegerat, & de quo spes erat, ut à Babylonicis Episcopus designaretur. Erat hic de ea gente benemeritus, ac illorum pluribus sanguinis nexu devinctus. Quibus auditis, cum Goam post tres menses rediisset Menessius, collatis consiliis congruum visum est, eumdem Georgium Gubernatorem ac Vicarium Apostolicum instituere; tum quia nemo latini ri-

 tus

(*a*) Pater Franciscus Roz ex Gotholonia Gerundensis.

(*b*) Archidiaconatus erat unica Dignitas in Ecclesia Angamallensi; qui vero in Archidiaconum ordinabatur, prius Episcopi, Cleri & Populi suffragia habere debebat; & quidem jure merito, cum is esset Vicarius Generalis Episcopi, & in contentiosis, & cura temporalium Minister. Populi autem & Cleri suffragia frequentissime in aliquem Decessoris propinquum ferebantur; contra quem morem is Georgius Dignitatem præripuit cuidam Cassanario Thomæ Curia (qui postea fuit Menessii Comes) prioris Archidiaconi Nepoti.

Digitized by Google

tus homo (ut erat Pontificis votum) reperiebatur, uno excepto Rozio, qui muneri par esset; nec ex Babylonicis quisquam erat Georgio aptior, tum etiam quod res Ecclesiæ, eo in partem honoris vocato, expeditius transigi posse videbantur. Impendenti autem de fide ipsius discrimini tutissime occurri posse, si ea provincia ipsi committeretur hac lege, ut in ea gerenda duos sibi adjunctos haberet veluti administros, & consiliarios. Assignati autem ipsi fuerunt Franciscus Roz, & Rector Collegii Soc. Jesu Vaipicotensis, qui professionem fidei juxta Tridentinum, ac formulam Pii IV. prius à Georgio exigerent, (& quidem publice) ut res postulabat, emittendam.

II. At Georgius homo dolis instructus, ac vulpem in pectore servans, accepto nuntio, recusare id primo cœpit, causando (quo Romanæ Ecclesiæ contemtum, ac suam pervicaciam tegeret) non decere sibi adjutores dari. Fraudem ac simulationem ea excusatione celatam intime novit Menessius; nihilominus eam caute dissimulans, conditionem adjectam revocavit; tum ille munus acceptavit frigidis hisce & nugatoriis verbis: *Id accipio, quod præhabebam*. Quod attinet vero ad professionem fidei, se eam spondet emissurum Feria V. in Cœna Domini, ut solennior confertissima Populorum frequentia redderetur (dilationem quattuor mensium poscebat homo astutissimus, quia sperabat futurum, ut intra spatium hoc temporis novus Episcopus, Babylone electus, Ecclesiæ illius potiretur) Id non ignorabat interim Menessius, illum artificiose moras quærere; nihilominus perversi animi significationem clariorem expectavit, quæ porro elapsis quattuor mensibus clarissima fuit, nam Georgius palam & perfricta fronte professus est, Ecclesiæ Sancti Thomæ cum Ecclesia Romana nihil esse commune, ac proinde se eum non agnoscere ut Præsulem ordinarium illius Ecclesiæ, immo neque ut delegatum. Cogere subinde cœpit plures Cassanarios, potioresque e Civitate, quasi Synodum celebraturus, Populos etiam Montenses vocare. Conveniunt itaque omnes Angamallem totius Diœcesis caput; totius vero Synodi summa hæc fuit: Jurejurando interposito, se quotquot erant, quod eorum etiam omnium nomine, quorum personam gerebant, pollicebantur, nihil acturos præter voluntatem Archidiaconi; nihil novi diversumque ab iis, quæ antiquitus acceperunt, se amplexuros; legem Sancti Thomæ pessumdari, minime toleraturos; Antistitem demum aliunde, quam a Babylone electum, nullo pacto admissuros; quæ omnia facultatum, & vitæ ipsius impendio se promoturos polliciti sunt; atque id testimonio publico per totam Diœcesim evulgarunt.

III. Exinde omnia, quæ parabantur remedia, executione, & fructu caruerunt. Sacerdotibus Latinis Missarum celebratio interdicta fuit; quin etiam Jesuitam e Collegio Vaipicotæ (qui, ut consuetudo ferebat, Angamallam concionaturus accesserat) interficere conati sunt: sicuti & alium ejusdem instituti in Molandurte, ac duos Clericos in Carturte, quibus, dum somnum caperent, duos colubros (*a*) cucullatos submiserunt. Itaque

(*a*) Serpens *Cuculla*, aut *Cucullatus* vocatur in Malabaria, propterea quia ejus collum vesica circumdatur ampla, Caputii aut Cucullæ speciem referente, in qua præsentissimum nec medicabile continetur toxicum; Illius tres recensentur species, de quo legi

que rebus pene desperatis, ipsemet Menessius, cui plurimum cordi erat illius pessimi Nestoriani veteris fermenti expurgatio, ire ad eos statuit, cum primum liceret. Res tamen erat plena periculi; obstinatio hominum summa; odium in Lusitanos ob utilitatem comercii, præsertim piperis, simulatum quidem, sed maximum; Ecclesiæ ac præcipua oppida difficile adeunda, tum quia in interioribus Regionis illius recessibus sita, tum quia ipsis dominabantur diversi Reges, & omnes Ethnici. Verum Menessius pavere nescius, iis omnibus, quæ à Magistratu Civitatis, Optimatibus, Canonicorum cœtu, Præsulibus, Clericis ac Equitibus in contrarium adducebantur, rationibus nihil est motus; immo nec suasiones Episcopi Cochimensis, in cujus Diœcesi plures erant eorum Christianorum pagi, ipsum remorari potuerunt. Quia tamen per ea tempora exarserat bellum inter Regem Mangatensem, & Parvanum intra Malabarem, ut ipsi significavit Antonius de Noroña Dux Militiæ in Cochim, id unum in causa fuit, ut iter ad proximum distulerit annum: cujus rei illicò certum reddidit Georgium, exigens ab eo ut interea staret promissis, & in suo proposito persisteret profitendi fidem, libros tradendi, & Ecclesiæ Romanæ obedientiam præstandi.

IV. Consilii, quod Menessius susceperat, certior factus Georgius, tota animi sui audacia atque vafritie unus fuit, ut novo aliquo colore suam dissimularet perfidiam, ac iter Menessii præpediret: fraudulenter itaque respondit, se paratissimum esse fidem suam profiteri apud cujuslibet alterius Instituti Religiosos, præter Jesuitas, quos inter & ipsum simultas intercesserat. Porro non latebat Archiepiscopum, hanc esse meram fallaciam, quam inveteratæ perfidiæ obtendebat: attamen ut indulgentius ageret cum ipso, atque animum adeo pervicacem mansuetudine deliniret, ei morem gessit, atque id muneris commisit viro probo, gravique Ordinis Minorum, exigens interim à Georgio, ut palam eliceret fidei professionem, ipsamque lingua vernacula Malabarica scriptam, manu propria subscriberet ac muniret. Igitur ne ampliorem procrastinationem interponens, indicium evidens suæ perfidiæ exhiberet, ad incitas, ut ita dixerim, redactus, apud Patres Minores professionem fecit, sed clanculum (ne, ut ajebat, aliis præberet occasionem dicendi, ipsum prius non fuisse Catholicum) sed diminutam, sed nec (a) Pianam, in qua ne verbum quidem habebatur de dogmatibus Nestorianæ sectæ oppositis, nec ulla fiebat mentio Romanæ Ecclesiæ. Hac nihilominus fidei professione imposuit multis, at non Menessio optime callenti vulpinas hæreticorum frudes. Is ergo illi significans suam animi indignationem, ab incœpto numquam se destiturum obtestatus est, nisi quam & qualem exegerat professionem, ipse Cochimi eliceret. Sed en ille novam fabulam exorditur, diem itaque solennis fidei professionis emittendæ cunctis indicit. Magistratus Co-

potest P. Vincentius Maria à S. Catharina Senense lib. 4. Itin. Ind. cap. 18. pag. 417. Infelices autem illi Indi, ut antiqui Romani, Febri, Morti, &c. Aras timore ducti erexerunt, ita ipsi colubri hujus Simulacra in Pagodis colunt.

(a) Exegerat ab eo Menessius, ut præscriptam a Concilio Tridentino professionem fidei emitteret, juxta Bullam Pii IV., quod Georgius abnuit.

Digitized by Google

Cochimensis, Militiæ Dux, Religiosi plures, ac Proceres multi ad designatum accedunt locum (Ecclesia erat Dominæ Nostræ de Vaipim) ille ex adverso veluti à suis fugax, solo Cassanario aliisque paucis sibi familiaribus comitatus accedit: sedet in Cathedra; Latinus quidam professionem legit Lusitanice, cujus idiomatis ille erat ignarus: postremo rogatur, an ita credat, ut lectum fuerat? An Papam tamquam universæ caput Ecclesiæ, & Archiepiscopum Goensem tamquam suum superiorem agnoscat? Annuit ille; quo nutu finitur fabula; de qua postea à suis rogatus, dicebat, se accessisse ad Ecclesiam ostensurum, fidem suam rectam esse; audiisse legentem quemdam Sacerdotem idiomate sibi occulto; deinde agnovisse Papam ut caput Ecclesiæ, sed Romanæ, & D. Petri, non autem Divi Thomæ; Menessium etiam tamquam Metropolitam Indiæ, sed latini ritus, non vero Babylonici, atque adeo tota res recidit in ludricam scenam & histrionalem simulationem.

V. Quibus non sine ingenti dolore à Menessio acceptis, amplius sibi non protrahendum iter arbitratus (nequidquam Goensibus refragantibus) Goa discessit die 27. (a) Decembris 1598. Cochimum versus; atque conscensa Trireme, Ostia tenuit Cuñalis, inde Cananorem perrexit, ac per sexdecim dies visitatoris, sive inspectoris munus peregit; exacti enim erant quattuor supra viginti anni, ex quo Præsulum nullus eo perrexerat: omnibus Ecclesiis Presbyteros Malabarice doctos dedit, quos eo fine secum ducebat, quique circumcursabant proximos civitati Pagos interdiu, noctu verò à se gesta eo die unusquisque illi referebat. Plurimorum corda Deus eorum prædicatione emollivit; inter alias eminet conversio nobilis Ethnici, qui ethnicam amassam decem annos deperibat, Menessius ipse virum & mulierem sacra unda tinxit, Chrismate unxit, matrimonio copulavit. Die 26. Januarii Cananòre discessit, atque prima Februarii pervenit ad Cochimum, ubi summis gratulationibus ab Episcopo, Optimatibus ac Præfecto Militiæ excipitur, atque in præparatam domum deducitur.

VI. Ut de rebus ad bellum Cuñalis pertinentibus inter Reges (b) Samorim, Calecut & Cochim pertractavit, & cum isto id peregit, ut Lusitani tutius ad eas oras accedere jam possent; illicò animum intendit ad res Angamallenses, inter quas primas tenebat, versutiam Archidiaconi Georgii quoquomodo expugnare, aut eum sibi devincire: nec mora, ipsum ad se Cochimum evocat; verùm Georgius præteritarum fraudum conscius, & ex conscientia rebus diffidens suis, aliquot dies responsum differt; at Menessius caussas dilationis pernoscens, trepidantem & ancipitem hac ratione securum reddidit. Misit nempe illi commeatum, Sacramento interposito, à se nullatenus vexatum iri; quinimmo se de rebus antea gestis ne verbum quidem habiturum. Hac securitate illectus Georgius accessit, eo quod Cassanarii, ac reliqui, quibus hac super re consilium inierat, in hanc conspirabant sententiam: admittendum nimirum

(a) Gouvea scribit fol. 13. col. 3. Menessium non valuisse iter arripere illo an. 1598. Crozæus ait pag 99. ipsum Goa discessisse in Malabariam 27. Septembris illius anni.

(b) *Samorim* idem est ac Imperator.

Digitized by Google

rum Alexium esse, sed tanquam hospitem, sepositis iis omnibus, quæ ad Jurisdictionem pertinent; fortasse interea fore, ut e Babylone expectatus designaretur Episcopus. Id quod præcipue difficultates omnes emolliebat, erat timor, ne exclusis Lusitanis, commercium Piperis cessaret. Rebus ita statutis, tria millia armatorum ascisciuntur; quæruntur præterea duo Panicales, (a) qui in Archidiaconi defensionem se se Amolcos (b) Malabarico jurant more. Ii gladiis, parmisque; Panicales vero ancipiti gladio de more instructi, proficiscentem Georgium assectantur Cochimum: ubi ab Archiepiscopo comiter ille accipitur, ipsiusque manum genuflexus deosculatur, quod etiam præstitere duo Panicales, aliique comites Cassanarii; considentibus autem Menessio, ac Georgio, Panicales exertis gladiis pone Sedem Archiepiscopi utrumque latus cingunt; specie quidem convenientem sibi quærendi locum, re autem ipsa capiti Menessii ob inopinæ proditionis suspicionem impendentes. Habetur demum quod optabatur inter eos colloquium; quo tandem constituitur, postridie Archiepiscopum perrecturum Vaipicotam, ubi Georgius, Cassanariis, ac Optimatibus Montanarum Regionum comitatus, ipsum oppeniretur.

Igitur Menessius septem Tonis (c) mari se, suosque committit; atque Vaipicotam appulso, inter plurimorum officia, tres Seminarii Vaipicotensis Alumni trino gratulantur idiomate, alter Latino, secundus Syriaco, tertius Malabarico. Ad Ecclesiam confestim itur; ubi Pontificalibus indutus concionem ad Populum habet, argumento desumto ex iis verbis Joan. 10. *qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro, qui autem intrat per ostium Pastor est ovium*, quæ verba nemo non videat quam opportune ad ea, de quibus agendum erat, selegerit. Ea die Archidiaconus, ejusque Cassanarii concioni minime interfuere; ne præsentia ac silentio rebus dictis acquiescere, easque approbare viderentur: interfuere tamen post biduum. A Menessio, qui consilia, quæ præconceperat corde, premebat, Georgius humaniter excipitur; immo ut eum magis magisque proliceret; plura ad Ecclesias pertinentia cum ipso confert, qui ut erat animo ad simulationem composito, omnia quæ ipsi Menessius proposuit, simulate approbavit. Interea ad novum scopulum navis offendit: intererat Menessius matutinis ac vespertinis horis, & Missæ solenni in Ecclesia, utque animadvertit bis in sacro, bisque in Officio Patriarchæ Babylonici nomen recitari; id jam pacato animo ferre impos, etiamsi in dissimulantiam (quod tempus exigere videbatur, quodque aliis placebat) propenderet; scrupulis tamen, aut indole victus, anathemate percussit omnes, quotquot in posterum Patriarcham inter Officia Divina nominaret, cujus præterea in locum nomen

(a) *Panicales* vocantur à Malabarensibus Lanistæ, quibus quantum deferant illæ gentes, & quantum illi armatorum Discipulorum numerum adlegere valeant, vide in Syllabo Voc. Exotic.

(b) *Amolcos* vocant illos, qui in alicujus tutamen & defensionem jurejurando interposito, vitam profundere sunt parati, atque expediti, cetera vide in Syllabo.

(c) *Tones*: genus est Cymbæ à nostratibus prorsus dissimile; remos quippe tantum habet binos, unum in prora, in puppi alterum; constat etiam Carbaso, ut lemborum ceteri.

Digitized by Google

men Romani Pontificis sub eadem pœna, & *latæ* quidem *Sententiæ* subrogandum esse indixit.

VII. Rogatus ut hanc sententiam suscriberet Georgius, inopino gelu obriguit, ejusque vultus varios induit colores, sed cum Menessius instaret his verbis: *Subscribe Pater, etenim securis ad radicem usque immittenda est*, volens nolens post Menessium subscripsit; mox subscripsere Cassanarii singuli: verum inde omnia denuo concuti, omnes tumultuari, circulos undequaque cogere, dejerare demum ante Cœlum Terræ committendum, quam mutarent vetustam legem D. Thomæ cum lege Divi Petri, soli Patriarchæ Romano congruente, non sibi. Quæ non è re nata, sed temere & inconsulto facta esse Lusitani ipsi censebant: verum sibi semper similis Menessius constanter affirmabat, nisi aliud attulisset boni ea res, illud unum tamen esset maximè faciendum, quod nempe pus tandem latens foras prodierit, & qui sani essent, quive infecti, certo internosci jam posset.

Proximo mane (interim concoquendam Vaipicotæ rem tempori permittens) in Paru contendit Archiepiscopus, Paruani Regni caput; urbs erat ex æquo nobilis (*a*) atque Ecclesiæ Romanæ rebellis; ubi ad captandam Archiepiscopi benevolentiam; utque mitius cum ipsis ageret, Paruani illi solennem ac festivam pompam paraverant: ast cum prævolasset illuc rumor tumultus Vaipicotensis, parato gaudio successit luctus, nec ultra octo ex illis, aut decem cum Georgio, (qui ut adventanti Menesio obviam iret, maturius eo accesserat) ad excipiendum Archiepiscopum accurrunt. Is in Ecclesia Orationem habuit de amoliendis erroribus, ac Sacramentis suscipiendis; verum ut de Confirmatione vix sermonem habere cœpit, curritur ad arma, stringuntur enses, nec passuros se esse clamitant, Sacramentum novum à Christo non institutum quoquomodo adhiberi; inventum merum id esse Lusitanorum, per quod frontes signantes Chrismate, ac alapa impacta alienos subditos sibi mancipabant. Obniti contra Alexius, ac obtestari, atque Pastorali pedo elato pene lacessentis more, puram esse, quod prædicabat, veritatem asseverare, addens intrepide, se gladiis non terreri; quodsi mihi, inquit, (*b*) pro isthac fide mor-

(*a*) Gregorius XIII. concessit duobus Cassanariis, qui e Paru Romam venerunt, quod in Ecclesia Paruana Altare Privilegiatum haberetur; quod solita sibi insulsitate irridet Crozæus Hist. Christian. Ind. pag. 108. quia in primitiva Ecclesia (sicuti inter Orientales) unum tantum erat Altare. Ast quid inde? Rideat quia nunc Ecclesiæ habent testa, habent Nolas, & Organa Musica, quæ homines Apostolici non agnoverunt. Antea plures Sacerdotes in uno Altari una concelebrabant; cessante etiam concelebratione anno circiter 1330. plura congruentius Altaria servata sunt; poterat demum illud Altare privilegio donari etiam si esset unicum.

(*b*) Cachinnos tollit Crozæus pag. III. quod invectivæ, & declamationes Menessii, hominis Lusitani percipi potuerint à Malabaricis & Chaldæis, ut supponitur in Actis, cum tantum Lusitane loqueretur; attamen cum Georgius aliique in Ecclesiam Romanam debachantes adversus Menessium vociferabant Malabarice, Syriace, & Chaldaice, & quidem hominem Lusitanum, non ambigit istum omnia percepisse, quæ ab illis effutiebantur: ridendum hoc potius; & quod adeo insane, viri alioquin eruditi, adeoque impotenter a recto rationis tramite quam longissime aberrent, eo vel ma-

Digitized by Google

mortem machinamini, me ad eam subeundam paratum habetis. Ad hæc silente turba, Georgius præter expectationem, paucos e Pago deductos pueros, Menessio sistit Chrismate muniendos; ceterorum autem nullus accessit. Post hujus Sacramenti administrationem, Archiepiscopus ad Tones, ut ibi noctem transigeret contendit, a Mari potius eo die quam a terra malaciam sibi promittens.

§. II.

Cavet Menessius paratas sibi insidias à Paruanis. Commigrat e Paru ad Mangate, Chegure, & Cannur. I. *Georgius Archiepiscopum primo à se delusum adit cum aliquot Viris literatis e suis Cassanariis. Disputatur utrinque de Religione. Dat manus victas tandem Georgius, ac de Synodo celebranda convenitur, & publice conventa ab omnibus subsignantur* II. *Ab Ecclesiis septentrionalibus obstinatis, ad Australes mitiores digreditur Menessius* III. *Diamper tandem ingreditur, ac Ordinum Sacrorum collationem indicit, nequidquam abnuente Georgio* IV. *Hic e contra Regulos solicitat; & Menessii constantia, & Responsa* V. *Georgius obtentu salutis servanda illum a sententia celebrandæ Synodi abducere incassum conatur* VI.

I. QUam prudenter egerit Menessius, oblatum hospitium repudiando apud Paruanos, & rediens ad Tones dormitum, clam aperuit illi Christianus quidam e Paru, nuntians ei insidias fuisse paratas, atque Amolcos in promtu esse, qui ea nocte eum jugularent: quo vitato discrimine, in Mangatem contendit, primariam Urbem Mangatensis Regni, ubi deprehendit, totum pene Muliebre genus ad Ecclesiam alto muro vallatam confugisse metu acerrimi belli, quod gerebatur a biennio, ut memoratum est, inter Reges Mangatensem, & Paruanum. Habet concionem ad Mangatenses, quæ pronis auribus excipitur, immo Cassanarius Octogenarius a Menessio rogans, an ut a suis semper audierat Episcopis, non fidei, sed æmulationis contentio esset inter Ecclesiam Romanam, & Babylonicam, & an illa superbe potius quam vere jactaret, se unicam esse veramque Christi Ecclesiam? Responso accepto, verbis Menessii acquievit, & statim optimus Senex Romanam Ecclesiam, ut suam Matrem agnovit. Hic etiam certior factus Alexius a suis exploratoribus, illa nocte Amolcos Regis Paru, eum denuo in hac urbe quæsituros, tota nocte fugiens, in Chegure pervenit, Regis Cochimensis ditionem, ubi se illum expectaturum promiserat Georgius, ut apud se hospitaretur, quippe, qui ibi domicilium fixerat; illectus soli ubertate, gratisque nemorum umbris. Hospitium hoc Menessius recusavit, eo quod sæpius de-

lusus

xime quod Crozæus ipse aliis in locis referat & recenseat longa Menessii alloquia ad Indos illos, medio Interprete habita.

lusus fuisset à Georgio; ad quod etiam accessit, quod cum sub ortum Solis Tones relinquere, atque in Ecclesiam ire vellet, ei nunciatum est, fores esse occlusas, ac Oppidum inane omnino esse, ac hominibus desolatum, unde tota ea die in navi mansit, & dumtaxat Sole vergente ad occasum, in terram descendit, & ad Ecclesiam se contulit, ubi ipsius jussu reseratis foribus, preces fudit, & inde noctu clanculum recessit ad navim (jam enim illum fugillare cœperant sui, eo quod astutum, & illiberalem Georgii modum fatue dissimularet) literas tamen dedit perferendas ad eundem Georgium amoris, ac benevolentiæ plenas, quibus ad congressionem illum denuo invitabat, omnia tuta, neque de iis, quæ prius acciderant, verba facturum se spondebat; amicè deinde hortabatur, ut ipse cum suis aperto, ac sincero sermone, pectoris curas & mentis ambages patefaceret.

II. Perlecta epistola, consultisque suis, ignavi jam animi Georgio visum fuit amplius tergiversari, & per cuniculos à congressu declinare; unde conferto armatorum cuneo, quippe qui erat semper ad suspicandum pronus, & comitatus à nonnullis e peritioribus Cassanariis, Tones Archiepiscopi conscendit; miscentur sermones; Archidiaconus asseverat; nefas esse recedere se a suis Patriarchis, penes quos mille amplius annos regimen Ecclesiæ illius fuerat, aliis etiam se validis dubietatibus, angi, ceteroquin se libenter fateri ex primo Joannis; *Et verbum caro factum est*, vere carnem in unitatem suppositi assumsisse Deum, nec in illa ut in Templo tantum, ut ante crediderat habitasse. Atquo extra Ecclesiam Romanam, atque obedientiam Romani Papæ nulla esset salus, id plane in Evangelio Joannis non haberi; quin potius ex Epistola S. Caii, & quidem Pontificis Romani oppositum constare, immo ex alia mirabili Epistola (a) Dominicæ e Cœlo in Ecclesiam delapsa idem apertius stabiliri. Opposuit tamen graviter Archiepiscopus, ex eodemmet Joanne haberi hæc verba Christi ad solum Petrum Romanæ Ecclesiæ Caput; ac in ipso ad ipsius Successores directa: *Pasce Agnos meos: pasce oves meas*: eique uni, Fratrum curam commissam fuisse per ea verba; *Confirma Fratres tuos*: quæ habentur ex Evangelio Lucæ; Epistolas vero Caii, ac Dominicæ meras esse aniles fabellas, atque apocrypha scripta, nulla auctoritate inter veros Catholicos suffulta. Quibus auditis extemplo ille dexteram jungere, ac manus veritati victas porrigere promisit, dum hæc eadem, coacta Synodo Sacerdotum, ac Populorum unanimi sensu à cunctis admitterentur, atque ut rei gravitas postulabat, perquam exacte perpenderentur. Postremo addidit, se interim Menessio tamquam Episcopo advenæ facultatem

(a) Octavo seculo celebris habebatur Epistola quædam, dicta *de Dominica*, quod tali die e Cœlo delapsa sit in Hierusalem digesta a Christo, & exarata ab Angelo; & hæc innui ab Archidiacono videtur; similis quædam Epistola *Dominicæ* legitur apud Baluzium in Capitular. Regum Gall. Qui eam integram legere aveat, adire poterit Fabricii *Collectionem Scriptorum Apocryphorum novi Testamenti pag.* 309. *& seqq.* De qua, ut putamus, hæc habet Capitular. Aquisgran. Lib. 1. C. 78. *Pseudographa, & dubia narrationes, vel quæ omnino contra fidem Catholicam sunt; ut Epistola Dominicæ, & falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, quod de Cœlo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur*

Digitized by Google

tem prædicandi, ac benedicendi, conferre; interdicto tamen quocumque alio exercitio Ordinis, & Jurisdictionis. Subscriptere hoc constitutum Archiepiscopus (tempori ratus indulgendum aliquid) Archidiaconus, atque Cassanarii; indictum est etiam Synodi tempus, nempe ante Patcha; & adjunxit Georgius, nullam ultra factionem adversus Menessium se suscitaturum, immo ad omnes Ecclesias ipsum assectaturum.

III. Ergo Menessius Chegure solvens, Cannur Tonibus digreditur; Archidiaconus iter terrestre carpit, eo quod amnibus, & Catholicis ex æquo diffideret: excipitur Menessius opera Georgii, & Cassanariorum liberalissime, ut tantum hospitem decebat, ita tamen ut nulla illi tamquam proprio Antistiti exhiberentur Officia; nihil Menessius ex condicto ultra agit, quam benedicere, ac prædicare, verum munus hoc tanta animi contentione, atque adeo præfervide exercet in Nestorium, ac Babylonicos, ut Georgium concessionis, suæque indulgentiæ pœnituerit; quamobrem ad lenimentum doloris causam prætexuit discedendi, ac alium dolorem simulans, consulendi ergo, ut ipse dixit, propriæ valetudini, Menessio vale dixit, nec nisi post varia discrimina eum revisit.

Proposuerat Alexius reliquas ad Septentrionem Ecclesias percurrere, at conjectans ex eventibus istarum quinque, se nihil inde proventus relaturum, eo quod simili omnes laborarent vitio, obstinatione nimirum animi, atque nimia ad res Archidiaconi propensione; aliò proram vertendam existimavit, ac lætiori spe ad australes Ecclesias properandum, sperans fore, ut ibi Ecclesiæ Romanæ partes, nova atque sinceriore accessione assectarum munirentur. Quamobrem prima Martii Cannur discedens, ad Arcem proximam duas leucas Cochimo, Tonibus prætervectus, in Porcaa contendit; ibi à Porcano Rege, onerato magis quam ornato monilibus pretiosissimis invisitur, atque in Ecclesia concionandi, ac benedicendi munus imperturbate obit. Rex Porcanus à Malabarensibus *Numbraxes*, idest *Sacerdos major* appellatur; Idolorum enim observantiorem præ aliis affectat cultum; quæ licet numero nongenta sint, (a) quotidie eorum singulis & prece, & muneribus litare debet. Eo demum præcipiente, sacrum postridie audierunt homines illi, atque Chrisma susceperunt à Menessio, cui, ut obedirent, injunctum fuit omnibus, non parum auxilii ferentibus Patribus Soc. Jesu, quibus ibi residentiam Rex ille benigne concesserat.

Noctu deinde ex Porcano littore solvens, pervenit proxima die Calecoulanum, nocte concubia; cujus Rex cum Regi Cochim, tum Lusitanis valde erat infensus; ibi cum totam diem transegissent impransi, tumultuarie ob periculi metum parum cibi degustarunt, diluculo autem digredientes, Coulanum appellunt: ibi tamquam Metropolites, ac Indiæ Primas excipitur Menessius: actutum autem inde discessit Cochimum, & Vaipim, belli negotiis inter eos Reges, atque Lusitanos finem, optata pace impositurus. Exinde Molandurte, ubi (nequicquam obstrepen-

(a) Rex Porcanus quotidie Matutino tempore sex ad minus horas colendis 900. parvis Idolis impendit; adeo Religiose, ut toto eo, nullo quantumlibet magno negocio, aut Officio, ipsum licitum sit interpellare. Gouvea lib. 1. Cap. 12.

Digitized by Google

te refractario Georgio, qui ex Angamale anathemata dixit Menessio, Epistolas vero ad finitimos Reges misit, quò eum, ut perturbatorem longe ablegarent) cuncta, utlibuit, Pontificis munia exercuit.

IV. Pace cum Samorimo firmata, Diamper tandem, illorum Christianorum locum principem, nonnullorumque Episcoporum Montensium pristino tempore sedem pervenit. Atque citocitius indicit Ordinationes in Diamper pro tota Diœcesi, jam biennium Præsule orbata, peragendas sabbato ante Dominicam Passionis, ad quas Archidiaconum Angamale degentem (proximam illius rebellionem dissimulans) invitat. Ira exarsit, eo accepto Nuncio Georgius, & contra clamitare cœpit, id adversari e diametro conventis utrinque, quibus nullum Jurisdictionis usum ab eo exercendum fore, stipulatum fuerat, nisi coacta Synodo, cujus celebrandæ tempus pariter erat exactum, quod si ipse secus faceret, non esset cur in posterum Synodus cogeretur, quoniam quod in ea potissimum erat discutiendum, num scilicet legitima Jurisdictione ipse penes eos polleret, Ordinum celebratione præripiebat; quapropter satius fore, Synodi coactionem opperiri, aut de ea cogenda non amplius cogitare; verum hæc ipsa quam suis querelis Georgius innuebat, erat causa cur Menessius censeret, se non amplius obstringi promissis; quia nempe præstitutum tempus abstinendi à Jurisdictionis usu elapsum erat.

Perpendens optime Menessius eo Georgii artes omnes spectare, ut ipse procrastinatione diutina maceratus, locum animumque mutaret, aut saltem Synodi tempus ultra modum protraheretur, ad illius querelas respondit: se habere omnem prorsus Jurisdictionem, eaque usurum juxta concessionem Pontificis Romani, cui omnes Ecclesiæ obaudire tenentur. Obsecrare tunc Georgius, ut saltem solis Latinis, non vero Syris Ordines conferret; at ex adverso Menessius renuere protestarique se non ob alium finem illuc appulisse, quam ut ex Syris, & Latinis fieret unum ovile, & unus Pastor. Ubi ad restim negocium devenit Georgio, nihil non molitur, ut Ordinationem interturbet, ac præpediat. Ex omni parte curis premitur, atque angitur, eo vel maxime quod non amplius de Jurisdictione inani & veluti de aere, ut antea, sed de quæstu ac de crumena agebatur; certo enim certius illi erat, Alexium pro more Ecclesiæ Romanæ, gratis ac sine ullo pecuniarum impendio Ordines collaturum, ac proinde brevi futurum, ut semel impressa in Christianorum animis hac veritate: nempe scelus esse solvere, aut accipere vel assem pro re spirituali, spes omnis evanesceret, oves & commissos Agnos Simonis forcipe deglubendi.

V. Reges præterea, nequid intentatum relinquat, ac Populos præsertim Cochimi, Angamallis, ac Mangatis commovet; anathema in omnes, quotquot Ordines ab Alexio susceperint in Ecclesis illis, edicit; ac tam ipsis, quam eorum Parentibus, Propinquis, & fautoribus, Regum iram comminatur; qua super re exaratam Ollam Diamperitano Populo ejusque Cassanariis transmittit; ex quibus Senior aliquis illam tamquam inviolabiliter servandam obiicit Alexio, exprobatque illius violationem; verum hic iniusta postulatione contemta, Sacro Ministerio constanter nisi-

Digitized by Google

institit. Ut Ollam felici, quam sperabat, exitu caruisse cognovit, novis iisque validioribus, Regem Cochimensem, sub cujus erat Ditione Diamper, Georgius incitamentis extimulat. Rex jubet Diamperitatum Præfectum omni ope contendere, ut Ministrorum altaris inaugurationem impediat: quo jussu Incolæ Diamperitani, atque etiam Naires finitimi arma capessunt, ac Regis nomine, Alexio, & suis mortem comminantur; quamobrem noctu ad sui custodiam Alexius excubitores adhibuit, non ut apertam vim propulsare vellet, aut posset, sed ut inopinam aliquam proditorum aggressionem, quam prudenter timere poterat, caveret; ipse non alia sibi timens mala, quam quæ animam possunt occidere, etiam sub dubia ac vespertina luce, sine sociis inter urbi proxima palmeta obambulare solebat; quam ob causam cum die quadam à suis quæreretur anxie, ac inventus, blande redargueretur, eo quod fidenter nimis ageret, nec cautela, qua par erat, propriæ consuleret incolumitati, humiliter demisseque de se sentiente, constantique viro dignum dedit responsum: *non Goæ, ait, inter meos adeo securus incesserim; conscientia enim meorum criminum, quibus indignus sum, qui pro fide subeam Martyrium, omnem mihi metum adimit.*

Nec absimile tulit ab eo responsum Nairus quidam, necem illi obambulanti minitatus, pridie quam ordines conferret, nisi à Sacro Ministerio desisteret; quo responso in iras exarsit, & multa male ominatus discessit. Nec malum omen eventu caruit, nam proxima die antelucano tempore, Præfectus totum Diamperitanum Oppidum, ramis circumpositis, carceris instar claudi jussit, ne quis Ecclesiam, ubi erat Archiepiscopus, sub pœna proscriptionis bonorum omnium adiret, aut in re aliqua cum illo communicaret. Est in more positum apud Reges, ac Præfectos Malabaricos, dum aliquem Populum pro meritis vexare, atque punire volunt; ut arborum ramis circumfixis, totum Oppidum ad præfinitum spatium ambiant; dum vero aliquem ex Populo arctiori custodia propria in domo detinere volunt, domorum fores, ramis appositis circumclaudunt, & quandiu rami non amoveantur Magistratuum jussu, omnibus sub pœna capitis interdictum est, extra septum illud ex ramis constructum exire, vendere, emere, aut commercia inire. Sed hoc etiam artificium inane, & irritum fuit, quum ordinandi, non in Oppido, sed apud Archiepiscopum, & in Ecclesia hospitarentur. Igitur octo supra triginta eo die sacro Charactere insignivit, vitæ morumque integros, ac lingua Chaldaica & Syriaca sufficienter instructos, qui rejectis primum Nestorianis deliriis, aliisque vetustis erroribus rejectis; præterea solenniter professi fidem ad Tridentini normam, obedientiam Romanæ Sedi spoponderunt, ac submissionem erga Babylonicam Sedem, ejusque primatum, ac auctoritatem omnem solenniter ejurarunt.

VI. Postquam hæc peregit Diamper, statuit Alexius majorem Hebdomadam, ac Pascha Carturte celebrare, nobiliori Christianorum Oppido infra Reginæ Piperis ditionem, & a quo aliquandiu Episcopi Montenses Malabarici appellati sunt. Prima Aprilis Mangalanum pervenit, ubi contrarias fortunæ vices una eademque die expertus fuit. Nam in eum,

eum, qui primo mane fuerat humaniter exceptus, nocturnæ parabantur insidiæ, quas mortemque ipsam, trajecto celeriter flumine, evasit. Archidiaconus, quod caritatis erat Christianæ (aut fortasse verius sagacitatis Nestorianæ, ut Menessium à Consilio celebrandi Synodum abduceret) de vitæ, in quo versabatur, discrimine per epistolas identidem ipsum commonuit, at vero iste, Sociis contrarium sentientibus, si unum Georgium de Castro excipias, in eadem sententia propositi tenax persistit, disserte multisque rationum momentis ostendens, periculis audentius contranitendum, nec à cœptis ubi de promovenda Dei gloria agebatur, ignave desistendum censuit; ceterum abscederent qui vellent Meticulosi Cochimum. Verba hæc ab intrepido viro prolata Sociorum erexerunt animos, & confirmarunt; itaut nec comiter quidem rogatus, quisquam discesserit; quod quidem altissimo Dei consilio accidisse arbitrati sunt, ubi paulo post acceptæ sunt Literæ (a) Clementis VIII. quibus gratulabatur: *Quod zelo honoris Dei, & salutis Animarum accensus in convertendis gentibus istis ad lucem Evangelicæ veritatis strenue laboraret*, deinde eum incitabat his verbis: *Hortamur, ut ardentius opus Dei, divina adjutrice gratia urgeas, & persequaris. Benedicat Deus piis laboribus tuis*: nec enim inquiebant, absque speciali Dei providentia factum est, ut quo die omnia periclitabantur, ipsemet Christi Vicarius, literis suis securitatis veluti Syngrapham exhiberet: susceptis laboribus benediceret, & ad strenue subeundum discrimen quodcumque, nos paternis suis hortationibus incitaret.

Solvens igitur Menessius e Portu de Collegeyra Mangalano, pervenit Carturtem feria sexta ante Dominicam Palmarum, ubi secreto eos participes faciendo suorum consiliorum (qua re maxime devinciuntur animi, præsertim indigenarum) plures allexit, ac potissimum e potentioribus duos (b), Iti Matum, & Iti Manem Mapulas, qui opibus, ac potentia florentes, plurimum ad rem Catholicam augendam, promovendamque profuerunt. Officium ibi Dominicæ Palmarum solenniter, etiam conductis Choraulis, & Cantoribus celebravit, una cum Sacerdotibus Latinis ipsum comitantibus; in qua solennitate pietas, atque sanctitas latini ritus plures admiratione tenuit defixos; plurimorum etiam oculos majestatis splendor perstrinxit.

§. III. *Archi-*

(a) Breve Clementis Papæ *Multam in Domino* die 1. Aprilis anni 1599. ad Alexium missum ait Govvea; putamus tamen irrepsisse errorem, signatumque fuisse anno priori, scilicet 1598.

(b) Ex Josepho de Sancta Maria nomina propria horum erant Mato, & Mane, Iti enim quod præponitur, idem est ac Dominus, & æquivalet Hispanorum *Don*. & Gallico *Monsieur*. Vox etiam *Mapula* idem est lingua Malabarica ac honestus, aut gravis. Vide laudatum Josephum de secundo Itin. in Indiam pag. 107.

Digitized by Google

§. III.

Archidiaconus Georgius Regem de Turubele, atque Reginam Piperis adversus Menessium stimulat I. *Is renuit e Carturte discedere; immo ibi Officia majoris Hebdomadæ celebrat* II. *Nobiles, & Cassanarii astantes Officiis Parasceves errores suos detestantur* III. *Eos benigne & humaniter alloquitur Menessius* IV. *Populus demum Carturtensis in processione Resurrectionis convertitur* V. *Digreditur Menessius in Molandurte, ubi illiberaliter tractatur* VI. *In Diamper revertitur, & Rex Cochimensis indicit Christianis illis, ut pareant Menessio* VII. *Pontificalia munera exercet, atque Georgium & fautores Anathemati subjicit* VIII.

I. HArum rerum nuncio commotus Archidiaconus, plures e finitimis Regibus concitat, quasi Menessius Religionis obtentu, ipsorum jura, quæ in Christianos D. Thomæ ab antiquo exercebant, nomine Regis Lusitani invadere conaretur. Rex etiam de Turubele Reginam Piperis stimulat, ut Menessium a Terris ditioni suæ subjectis ejiciat: diversabatur tunc Regina in quodam Palatio duas Leucas a Carturte; hæc Præfectum mittit, qui feria tertia majoris Hebdomadæ indicat Menessio, ac suis, ut a Piperinis finibus sub pœna mortis post triduum alio concedat. Postridie responsum dedit Reginæ Menessius, illudque obsequiosum, & quale strenuum Antistitem decebat, se nimirum ceteris ipsius jussibus obsequi paratissimum esse, non vero huic postremo, quod nuper acceperat; Regia & nomina & jura sibi sancta futura, nec ea umquam ne leviter quidem violaturum, non esse itaque cur ob talem metum a Regno ipsius discederet, illique quoquomodo pareret, eo vel maxime quod obediendum Regibus exactissime quoad res temporales subditos perdoceret, nec de re alia cum ipsis ageret, quam de æterna Animarum salute. Antiquorum tot Malabarensium Regum, ac etiam ipsius Reginæ decessorum privilegia ipsi conservanda esse, & ad id Reginam ipsam obstringi. A mille & quingentis (*a*) annis, Episcopis, ac Meteranis (*b*) exteris aditum in Regiones illas patuisse; nec esse cur solis Lusitanis fores modo obstinate adeo atque contumeliose occluderentur. Postremo se ad mortem subeundam potius quam ad discedendum paratum esse: quodsi mortem hac de causa subiret, eam proculdubio & Deus, & Lusitani ulciscerentur. Eo responso perculsa Regina, consilium se dixit Præfectorum exquisituram; verum adnitentibus Iti-Mato, & Iti-Mane, corruptisque Reginæ Præfectis, decretum Regina revocavit, ac omnia tuta spopondit.

II. Et

(*a*) Non ita id intelligi debet ut per tot secula interrupta successione Episcopos acceperint a Babylone, sed quia plurimos ab ea sede acceperunt.

(*b*) *Meteran* hic significat idem ac Episcopus, & videtur vox Lusitano-Malabarica. Vide Syllab. Voc. exoticarum. Desumta vox ista ab Arabica voce *Meteran*, derivata a Græca *Metropolita*, quæ in toto Christiano Oriente significat in genere *Episcopum cuiumcumque*, in specie vero *Metropolitanum*

Digitized by Google

II. Et quamquam illi & qua Reginæ, & qua Feminæ parcius fides habenda esset, nihilominus, & quia ibi Menessius cum suis hyemare cœperat, (a) & quia illinc semel digresso difficilis fuisset regressus, ibi manendum sibi esse duxit: ac feria quarta horas Canonicas cantare jussit alternis, in Presbyterio Ecclesiæ, primum Latinos; iis demum discendentibus, ritu suo Chaldæos, Alexius autem utrisque præsedit in sua Exedra, ut Syrorum ac Latinorum Antistitem se præberet. Feria quinta in Cœna Domini in Pontificalibus celebravit, ac solenni ritu sacrisque benedictionibus de more Sanctum Catechumenorum, & infirmorum oleum expiavit, de quo ejusque usu vix Populi illi ullam habebant notitiam, nisi quod de ejus consecrandi ritu, sanctitate, atque virtute pridie Menessius ad illos sermonem habuit. Sacratissimum etiam Domini Corpus latino more sepulcro decenter præparato condidit, adjunctis diurnis, atque nocturnis excubitoribus, quarum sacrarum ceremoniarum decor plurimos in admirationem traxit, & mira jucunditate perfudit. Quod tamen illorum animos vehementer commovit fuit lotio pedum facta ab Archiepiscopo ad pedes Cassanariorum se demittente, eosque deosculante. Tunc enimvero Christianorum ritus plane divinos esse, Deoque gratissimos voce & lacrymis Cassanarii, ceterique de Populo testati sunt. Sub id temporis pro concione graviter de Mysteriis, quæ recolebantur, lingua vernacula Malabarica P. Antonius Toscano e Soc. Jesu loquutus fuit, cujus verba prônis auribus exceperunt.

III. Postridie Sacras Parasceves functiones, una cum Crucis adoratione peregit Menessius, cui cum plurimum ab antiquo venerationis atque cultus constanter detulerint Christiani Malabarenses, haud facile exprimi valet qua animi demissione, quibusve lacrymis, dum ad adorationem Crucis perventum fuit, Christiani illi ipsam coluerint, atque suaviati sint. Ita ut virtuti Crucis tribuendum fuerit, & ipsius adorationi, & piæ solennique ceremoniarum pompæ, Menessii demum in peragendis illis sacris muneribus modestiæ, ac pietati, quod eomet die, nequidquam Cassanario illo rebelli adventante ad vesperam cum novo anathemate Georgii adversus Menessium, & asseclas, eo inquam die Nobiles, atque Cassanarii, absolutis Canonicis horis Matutinis Latinorum, ad pedes Alexii provoluti, erratorum obstinationisque veniam postulaverint, Ecclesiam Romanam Matrem ac Magistram veritatis agnoverint, illi obedientiam ut legitimo Pastori exhibuerint, Babylonicos demum Pastores fuerint execrati: illud addentes: fieri non posse, ut quæ Ecclesia, fidei suæ mysteria adeo graviter, pie ac decenter per Ministros suos recoleret, non esset Sancta, ac vera Christi Ecclesia.

IV. Quo animi gaudio exceperit eos Menessius (id quod tandiu exoptarat) pressis, sed gravissimis verbis illis testatus fuit, asserens, nihil umquam

(a) Hyems apud Malabares frequenter initium sumit in Aprili, cum quadrimestri pluvia, & maxime ad Oras Maritimas: quod autem omnium ingenia superat, illud est, nimirum quod in eadem Cœli plaga, pari solis accessu atque recessu iisdem anni mensibus ab ortu trans Gatis juga æstas est ac siccitas, ab occasu vero cis Gatem ubi Malabaria, hyems est atque assiduæ pluviæ, ut scribit Mateus Hist. Indic. lib. 1. fol. 20.

Digitized by Google

unquam Deo sibique gratius hactenus accidisse; quapropter curaturum se, ut omnes paterna dilectione amplecteretur, fructus etiam, quos Apostolus Thomas in ipsis erudiendis retulerat, suo labore, suisque sudoribus irrigaret, ac ad maturitatem perduceret; eorum tantum esse, alacres paratosque sese exhibere, nec retro aspicere, & eo turpiter regredi, unde discesserant.

V. Datæ sunt præterea communi Cassanariorum consilio viginti dierum induciæ Georgio, ut resipisceret; exinde quam professi fuerant obedientiam Romanæ Ecclesiæ, atque Menessio Optimates, & Cassanarii Carturtenses feria Crucis, professus est Populus universus coram Menessio, dum (a) Processio die Dominica Resurrectionis ibi fieret, qua die non sine miraculo factum est, ut inter plausus, & festivos tormentorum bellicorum ictus, tormenti alicujus dissilientis frustum, tibiam cujusdam ibi astantis citra læsionem pulsaverit, quamvis inde resiliens in murum, eum comminuerit, atque pervaserit. Quæ cum ita se haberent, incredibile est, quantum indignarentur Bracmanes Ethnicique, qui eò pervicaciæ ac vesaniæ processerunt; ut cum quidquid hactenus contra illum moliti fuerant, irritum & inane fuisse viderent, veneficum conduxerint, qui palam, dum in publica supplicatione Menessius lentis gressibus incederet, visus fuit præstigias mille, circulos, signa, & veneficia conficere ad eum finem, ut illum prius diu maceratum, sensim e vivis expellerent. At frustra fuerunt hæc omnia. Quinimmo Præstigiator morte mulctatus fuisset, & (b) caloete, sive præacuto stipite confixus, nisi eum Regina Piperis (quamquam rebus Menessii clanculum infensa) eodem Menessio intercedente, ei mortis pœnam cum damnatione ad Triremes commutasset. Populus hic fuit omnium primus, qui Ecclesiæ Romanæ plene se submisit: ibique Menessius guadentibus cunctis, omnia Sacramenta ministravit, ægrotos invisit, pauperes sublevavit, cuncta denique legitimi Pastoris munera strenue obivit.

VI. Sequenti die venit Menessius in Nagpili; domicilium illius Cassanarii Jacob, dimidiam Leucam à Carturte; inde ad Molandurte quum antequam discederet obsecrasset Carturtenses, ut perseverarent in cœpto bono, ac ad Synodum celebrandam Procuratores electos, & evocatos mitterent. At ut rerum vicisitudo fert, Molandurti, qui pridem plausibus exceperant Menessium, modo Ecclesiam illi obserarunt turpiter & è lembo desilientem, ne unus quidem excepit. Inopinæ hujus rerum conversionis causa fuerat Georgius, qui ad Regem de Cochim, cujus erat locus ille, detulerat, & Regiam auctoritatem, & se spretum ab ipsis fuisse, cum diebus elapsis Menessium, & sui, & Regis inimicum tot acclama-

(a) E duplici Ecclesia *Nairum* scilicet, & alia pro *Castis* abjectis juxta eorum morem duplex Processio celebrata fuit cum Populo ad unamquamque Ecclesiam pertinente; cumque nunquam consociarentur, hac tamen die, qua in unam fidem convenerunt congregati etiam fuere omnes simul, ante fores Ecclesiæ, ubi erat Menessius. Vocantur autem, & habentur abjectæ stirpis quilibet præter Naires.

(b) *Caloete* erat acuminatus palus terræ infixus, quo tamquam veru a posteriori parte ad ventrem reus transfigebatur, atque avibus ferisque relinquebatur in Campo devorandus.

Digitized by Google

tionibus excepissent. Quamobrem simulatus Rex (a) Junconem denuo ipsis imposuerat solvendum in pœnam.

Graviter tamen interpellatus Rex Cochimensis ab Alexio super iis; misit ad eum e Cochimo Præfectum suum primum, qui palam Regis nomine edixit omnibus in Ecclesiæ propylæo coactis, ut Archiepiscopo Menessio in cunctis obedirent; verum hæc simulate loquebatur, metuens jacturam lucri, & commodi non mediocris, quod ipsi ob commercium cum Lusitanis ex Telonio, sive ex Alfandega (b) obveniebat; ceterum longe aliter loquebatur secreto in aurem suorum Ministrorum; hoc etiam verebatur, ne accedentibus ad Lusitanos, & Catholicos e suo Regno Christianis Sancti Thomæ, destituerentur ejus castra, optimis, ac strenuis Militibus; præsertim in displodiendis sclopis; ex quorum hominum genere habebat in Militum albo conscriptos ad numerum usque quinquaginta millium. Simulata tamen Regis patientia usus est Menessius, ejus subditos baptizando, ac professionem obedientiæ, & voluntatis erga Ecclesiam Romanam propensæ ab illis excipiendo; Quin immo ad unum omnes Alexio digredienti spoponderunt, se neque Regis minis, neque Archidiaconi Georgii artibus, fracturos unquam datam fidem, accessuros insuper ad Synodum celebrandam, si ad eam vocarentur.

VII. Urbem Diamper tandem revisit Menessius e Molandurte digressus, atque ad se accedentem regium Præfectum acerrime increpavit, ob totius Bazar, aut Oppidi (c) consueta circumpositione ramorum, secretionem, ab omni commercio, ac hominum societate; non alia de causa, quam quia gentes Lusitano Regi, Regis de Cochim jurato Fratri, subjectas admiserant. Addidit insuper ob exhibita humanitatis, & benevolentiæ signa, hominibus amico fœdere junctis, graves adeo intulisse pœnas, flagitio non carere: atque adeo non aliter Regem Lusitanum placandum; nec aliter ipsum, an bona fide secum ageretur cogniturum, quam præcipiendo cunctis nomine Regis Cochimensis, sibi ut in omnibus obedirent, ac sua jussa facerent. (conjectabat ille, neque Regem, neque Præfectum palam Regi Lusitano adversaturos) Annuit iste; atque illicò per præconem universos in Ecclesiæ propylæo convenire jubet; quibus in unum coactis Regis jussu indixit, ut Menessio in omnibus parerent, neque audirent eos, qui contra clam assererent, aliam esse Regis voluntatem.

VIII. Sic tandem factum est, ut Ecclesia denuo, ac confidentius recluderetur Romanis, nequicquam refragantibus Babylonicis (Romanorum nomine appellabantur Christiani Malabarenses, & Europei, quo nomine

(a) *Juncon* est vectigalis aut, potius multæ genus, quo Reges illi quandoque subditos gravabant.

(b) *Alfandega* est vox Arabica derivata ex Græco *πανδοκεῖον diversorium* aut *taberna* [illegible] Italice *Albergo*: Hispanice *Meson*: ex antiquis autem Arabibus, Cæsar-Augustam nobilissimam Aragoniæ Urbem incolentibus, adhuc vocatur Diversorium, quod extat prope insigne Augustinense Collegium Divi Thomæ Villanovani *El Meson de la Alfandega*, & corrupte *Alfondiga*.

(c) *Bazar* est vox Arabica & significat *Forum*: Italice *Fiera*, *Mercato*: hic autem pro toto pago accipitur, eo modo quo Mauri Septenses & Oranenses vocant *Aduar* viciniam castrum exignarum, & aliqui etiam Basar.

Digitized by Google

mine a Schismaticis internoscebantur) qua usus occasione Alexius, nihil cunctatus, munia Pontificalia exercet, atque Catholicam fidem mordicus amplectendam edicit; rebellem insuper Georgium, ejusque fautores anathemati, ac perpetuæ separationi subjiciendos denunciat. Pronum fuit illis Christianis in iis omnibus Menessio morem gerere, eo quod apud se taciti perpenderent Menessii, ac Romanorum moderationem, illosque aliena Simoniace non rapere, quinimmo propria Orphanis, viduis, ac inopibus elargiri; tum etiam, quod sub Romanorum umbra arbitrarentur, perpetes quibus vexabantur extorsiones à Regibus, declinare posse; demum quod Romanorum partes majora indies incrementa sumerent, additis jam præter plura ignobilia loca, tribus e potissimis, Carturte, Molandurte, atque Diamper; exadverso deficerent plurimi à partibus Babylonicis, & ut ferebatur, Reges ipsi, quorum Regna ad septentrionem vergebant: nimirum Regem de Porcaa, de Gundara, de Marta, ac de Batimena.

§.IV.

Respondet Menessio Georgius laudans fidem Catholicam, sed Nestorianismo inhærens I. *Minis territus Menessii, Nestorianismo nuntium remittere spondet* II. *Exhibetur illi articulorum Decas, quam Sacramento firmari ab eo exigebat Menessius* III. *Cranganorem concedit Menessius, admonito prius Rege Cochimense, ne reluctanti Georgio suppetias ferret.* IV. *Auctoritas Menessii apud Reges: & fluctuatio Georgii acceptis Menessii Literis, qui octiduum ei præfinit, intra quod temporis spatium obediat* V. *Conqueritur acerrime cum Cochimense Rege Menessius de fracta ab eo fide, quam religiose tandem se servaturum promittit* VI.

I. GEorgius vehementer animo agitatus, quod vereretur, ne Menessius ipsum dignitate Archidiaconatus Angamallensis spoliaret, ut in Thomam Curia indigenam benemerentem, consanguineis etiam, atque amicis munitum, munus illud transferret; nunciat per Cassanarium Menessio, se & errores Babylonicorum à Turcarum deliramentis non admodum distantes, & morum Romanorum præstantiam probe nosse; verum quam à teneris annis Sancti Thomæ legem cum suo capite, aliisque primoribus viris profitebatur, nunc abjicere, inhonestum prorsus putare; contrà ad extremum usque spiritum (quod majores præstiterant) sartam atque tectam ipsam servare, honestati, & constantiæ suæ tribuendum.

II. Ut Menessius hæc accepit, nulla mora literas ad miserum Georgium misit, quibus, remotis ambagibus, hæc vaticinantis instar scripsit, nimirum; veritatem nosse, eique data opera refragari, peccatum esse contra Spiritum Sanctum; proinde timendam ab ipso esse punitionem meritis æquam brevi infligendam, eamque gravissimam, cum ejus causa tot Animæ miserrime perirent. Ubi mortis comminationem sub obscure sibi

innui agnovit, vel quia Malabarenses suapte natura sunt Ominibus (a) deditissimi; vel quia Menessii laboribus indulsit, & Georgii saluti Deus benigne prospexit; mutatus ea Epistola Georgius, id responsi Menessio dedit; se nolle amplius resistere Spiritui Sancto, cujus luce, Populi, quos Menessius edocebat, illuminabantur; proinde Ecclesiam Romanam, ut veram Ecclesiam, ac ipsum ut ejus Præsulem se demum agnoscere, atque ab eo errati veniam se demisse efflagitare. Perlata fuit epistola Georgii ad Alexium, dum e Diamper ad Narame locum Christianorum jam concesserat. Unde e Narame rescripsit illi per Cassanarium; vehementer se gavisum adeo felici nuncio, sibique auspicatissimo; ceterum quod ab eo pluries illusus fuisset, neque negari id posset, res exigebat, ut qui serio animi proposito ad fidem Catholicam venire cupiebat, solenniter juraret, se servaturum ea, quæ in adiecta decade continebantur, quodsi earum rerum aliquam respueret, non esset cur veniret; & absque illius opera posse Deum Ecclesiam illam veræ fidei reddere. Decas adjuncta hæc continebat.

III. Primum omnium; *quod ejuraret universos errores Nestorii, ejusque (b) assecularum Diodori, & Theodori, quos, ut Sanctos venerabantur, immo fateretur, hæreticos fuisse maledictos, atque æternis mancipatos suppliciis; quippe qui in erroribus obstinati emortui fuerint* (c) II. *ab ipso fatendum esse, ac per Pagos quoscumque ubi cum Archiepiscopo perveniret, palam denunciandum cunctis; nullum esse discrimen Legis Divi Thomæ a Lege Divi Petri, sed unicam tantum esse Legem Christi, quam Apostoli unanimiter per totum Orbem prædicaverunt.* III. *profiteri debere fidem in manibus Archiepiscopi, & quidem juxta formulam, quam Goæ ipsi præscripserat, cum eum Gubernatorem Archiepiscopatus in obitu Mar-Abraham constituerat.* IV *quod omnes traderet libros, tam proprios, quam Archiepiscoporum decessorum, & qui essent apud Chaldæos, & Syros; ut qui id pati possent, expurgarentur; qui vero secus, comburerentur.* V *Obedientiam Sacramento interposito Papæ promitteret, ut Divi Petri successori, Christi Vicario in Terris, totius Ecclesiæ Capiti, Patri, atque Magistro, Doctori, ac omnium Christianorum Antistiti, atque adeo etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatium, & Patriarcharum totius Orbis*

(a) Malabarenses sunt præ aliis augurandi dementia præstantes; plurima observant omina, quæ videntur Terentio non ignota in Phorm. Act. 4. Scen. 5.
Introiit in ædes ater alterius canis.
Anguis per impluvium cecidit e tegulis.
Gallina cecinit &c.

(b) Revera Nestorius fuit Assecla Diodori & Theodori; & non vice versa, illos enim Magistros habuit Nestorius præcursoresque; ast Menessius isto in loco, propter famæ Nestorii celebritatem, vocasse videtur Nestorianos & assecias Nestorii, quos simili doctrina imbutos cognoverat, etiam si Nestorium tempore præcessissent: eo prorsus modo quo asserente Jano Vinc. Gravina *de Ort. & progres. Jur. Civil. Cap.* 144. veteres ob nominis celebritatem, Pythagoreos appellarunt eos etiam Phylosophos, qui ante Pythagoram in Italia floruerunt; & propter eamdem rationem, ait ipse, a Jurisconsultis *sincera omnis, & erudita interpretatio* (etiam ante Cujacium) *Cujaciana juris prudentia nuncupatur.*

(c) Id verum est de Nestorio, & Theodoro, non autem de Diodoro, qui in pace Ecclesiæ defunctus est. Vide nostros Lupum in Not. ad Conc. V. Gen. & Norisium Hist. Pel. lib. 4. c. 9.

Digitized by Google

bis; insuper confiteretur, quod omnes ei debent obedire, & qui secus fecerint à via æternæ salutis aberrare. VI, *quod deberet anathema dicere Patriarchæ Babylonico, ut hæretico Nestoriano, Schismatico, atque Ecclesiæ Romanæ rebelli; jurare præterea se illi non obediturum, nèc habiturum amplius cum eo commercium, neque cum eo communicaturum, ne in accipiendis quidem, reddendisve literis.* VII *sibi jurandum esse se non admissurum Episcopum, aut Præsulem aliquem in Montanis illis Regionibus, nisi à Pontifice Romano missum, & per Archiepiscopum Goensem acceptatum.* VIII *Jurandum pariter esse Archiepiscopum Goensem esse suum verum, ac legitimum Superiorem, & auctoritatem habere tamquam à Sede Apostolica delegatum, seque etiam quandiu proprius Pastor non accesserit, jussionibus ejus pariturum.* IX *se Ollas, atque Mandata expediturum pro Synodi celebratione in Loco ab Archiepiscopo designando, in quem convenire debeant omnes Sacerdotes, atque electi Procuratores Populorum; omnia etiam, quæ in ea decernantur, sese obsequenter servaturum.* X *Archiepiscopum quoquo iret, se comitaturum pacificè, neque armatis viris stipatum, sed iis tantum, qui de ipsius essent familia; in eisdem etiam Lembis navigaturum cum Archiepiscopo, ac easdem omnes Ecclesias ingressurum, quarum ipse visitationem institueret.*

IV. Subscriptione obsignatos hos articulos Cassanario tradidit Archiepiscopus, ad Georgium perferendos; ipsi rescribens, quod vel omnes admitteret fideliter postea servandos, vel aliquo ex iis prætermisso ad ipsum non accederet. Remigravit subinde Menesius in Cochimum, quo Regem Cochimensem conveniret, ne (quod jam spoponderat) Georgium a consilio accedendi ad Ecclesiam Romanam præpediret, vel quoquo pacto averteret. Quod denuo promisit Menesio Rex ipse, dum eum adiisset, ipsius invisendi gratia. Digressus inde Menesius, Cranganorem contendit, nobilissimam, atque olim Christianorum Sancti Thomæ primariam Urbem, atque etiam opibus, & gente refertissimam, Arcem etiam munitissimam Regis Lusitani, ubi initium sumsit Lusitanorum commercium cum Malabaricis, ut demostratum est, commendabilem tamen præ omnibus prærogativis illam reddit Crux quædam, miraculis præfulgens, quæ ut traditio apud illos habet, à Thoma Apostolo eo ipso in loco, ut Christianorum Vexillum, & devictæ Gentilitatis trophæum erecta fuit, & quæ etiam nostris hisce temporibus visitur, ac reverenter colitur.

V. Postridie ejus diei, quo Menessius accesserat Cranganorem, pervenit quidam Patamar (Tabellarius terrestris est) quo eum certiorem Rex Samorim reddebat de instaurato contra pacta conventa bello a Rege Cochimensi, adversus Caimalem Cuñalensem. Qua occasione clare apparuit quantæ esset authoritatis Menessius apud eos Reges; nam illico acceptis Menessii Epistolis, quibus de hoc ipso querebatur cum Rege Cochimensi, hic cum ceteroquin bellum æstuaret, ac vastationes, direptionesque late grassarentur, statim Milites revocavit, & è Terris Caimalis, Cranganorem fuit digressus, ut Archiepiscopum inviseret, ac de præsenti rerum statu pertractaret. Interea temporis Archidiaconus, acceptis litte-

Digitized by Google

iteris Menessii, anceps hærere visus est, & in utrumque latus sese versare, veritatis enim agnitione, & Dignitatis conservandæ studio trahebatur ad Menessii & Catholicorum partes, ad Nestorianas vero partes cum erroris consuetudine, tum gratia obsequendi, assentandique Regibus Paganis rapiebatur; quamobrem, quod in perplexitatibus fieri solet, cunctationis remedio usus est; rescripsit itaque Menessio, nullum ex illis decem articulis se repudiare; quin potius paratum esse eos omnes Sacramento affirmare; sed negotiis distineri urgentissimis à Rege de Mangate, impedirique, ne tam cito accederet, ut percupiebat. Eo nuncio commotus Menessius, e vestigio literas dat ad Regem Mangatensem in cujus ditione Georgius tunc versabatur, obsecrans illum, ut Georgium expeditum ad se mitteret, cum necessitate urgeretur de rebus gravissimis cum eo agendi, quem si mittere renuat, id sibi injuriosum fore intelligat, ulturumque Lusitaniæ Regem hujusmodi offensionem. Atque alia via octidiuum, tamquam ultimum cunctationis terminum Georgio præscribit.

VI. Dum hæc agerentur, pervenit ad Cranganorem Rex Cochimensis, ut de negotio belli intermissi cum Menessio ageret; congressione autem facta, gratulatus est illi Menessius humanissime de reductis copiis, ac interrupto bello; post quæ gratulationis officia dixit, se non levem habere causam ob quam & suo & Lusitani Regis nomine, de ipso quereretur, eamque esse, quia ambo deciderant spe, quam præconceperant, Ecclesias Christianorum antiquæ, veræque Religioni, erroribus propulsis, reddendi, ad quem unice finem ipse ad Malabaricas Plagas missus fuerat. Felicis exitus ipsis certam spem fecisse, quæ plurimæ sub ditione ipsius, utpote hæredis Regni Diamperensis erant Ecclesiæ, in quibus tuto, ac libere putabatur exerceri posse Sacra Ministeria, cum in clientela ipsius essent, qui fraternitatem cum Rege Lusitano profitebatur, quique ab eo fuerat multis beneficiis auctus, ita ut ad summum authoritatis, ac opulentiæ fastigium evectus, inter Reges alios Malabaricos præemineret. At vero rem secus quam opinabatur accidisse; nam in aliis Regnis, inquit, expertus sum, me commodius, tutiusque degisse; ex adverso hic non nisi vexari Christianos, eorum reductionem præpediri, res Babylonicas promoveri, mihi mortem dolosis machinationibus parari, Georgium fultum tuis occultis auxiliis, mordicus refragari, atque impudenter prorsus, & veritati, & mihi obsistere: quodque deterius; tecum Ethnico Rege, atque futilibus dedito Idolis, de arcanis Religionis nostræ agere, ac tecum de rebus tibi penitus ignotis, & sanctissimis deliberare; quapropter se illi ultimum contumaciæ terminum proximum sabbatum præscripsisse, alioquin certo futurum, ut eum & Anathemate & Dignitatis expoliatione mulctaret. Excanduit vehementissime Rex, Idolorum suorum spretu; callide tamen veri doloris rationem dissimulans, quasi res tantum Georgii ageretur, præfervide clamavit: ita ne vero? Neque hoc Sabbato, neque altero, neque tertio id erit. Cui Menessius actutum zelo abreptus, reposuit (quæ dicens terram quatiebat baculo) quid ni! Audacter dico: non tertio, aut secundo, sed proximo id fiet.

Ve-

Digitized by Google

Verum Rex constantia Menessii deterritus, simulandique ante non leviter imbutus (quod vitium etiam in Barbarorum Regum aulis invaluit) perinde ac si jocose iram simulasset, ad subrisum vultum componens, omnia ad nutum Menessii pollicitus est; atque mutuo alter alteri vale dicens, animo pacato discessere.

CAPUT III.

De Synodi Indictione, Incœptione, Progressu, ac Perfectione.

§.I.

Reges Cochimensis, & Mangatensis de reducendo Georgio datam fidem servant I. *Is tandem Catholicam fidem sincere profitetur, atque una cum Menessio Syodum Diamper indicit* II. *Comitia simul Christianorum Divi Thomæ cum Synodo aguntur; atque propterea quatuor e singulis Populis electi, ad Synodum evocantur* III. *Secedit Menessius Craugonorem, rebus Synodi prælusurus; inde in Paru commeat, ac Sacras Ordinationes pro illis Christianis celebrat* IV. *Quæ scripto digesserat, in linguam Malabaricam transferri jubet, quo ab omnibus plene percipiantur, atque Diamper contendit, ubi adventantes liberaliter excipit* V.

I. SUmmam pene totius negocii confecisse visus est Menessius, ea collo quutione cum Rege Cochimense; quippe qui statim Georgium monet, eique persuadet, ut Archiepiscopum adeat, eique in omnibus morem gerat; idem præstitit Rex Mangatensis: quorum Regum opera, mirabili, & occulta providentia, Deus ad revocandas ab erroribus eas gentes, sibique integra fide devinciendas, benigne usus est. Quod tamen Ethnicos Reges illos ad petitionibus Menessii indulgendum impulit, fuit, ne si amplius Menessio obniterentur, bellum Lusitani adversus eos aggrederentur; tum etiam ne commercium cum ipsis, quo ditiores in dies efficiebantur, abrumperetur. Utut fuerit, Deus tandem miserans illorum Christianorum, qui per mille, & quingentos annos nec fidem Sacri Baptismatis, neque Crucis Dominicæ cultum, venerationemque intermiserant; id effecit, ut Georgius una cum illis schismaticis, sincere fidei Catholicæ restitueretur. Verebatur interim Georgius Cranganorem petere; utpote Lusitanorum Arcem, animum etiam Menessii non adeo sibi perspectum, & quod alium esse, ac reapse erat, suspicabatur, aliquæ diffidentiæ umbræ ipsum territabant: quamobrem afflictim exoravit Menessium, ut Vaipicotam sub Regis Cochimensis ditione sitam, ibique ad Collegium Jesuitarum contenderet; annuit statim Menesius, atque Ecclé-

Digitized by Google

clesiam ingrediens exceptus fuit ab Archidiacono Georgio, qui cum pluribus Cassanariis, & Christianis eum opperiebatur, & vix ingressi ad pedes, demisse provolutus, filii prodigi verba sibi usurpavit, inquiens: *Pater peccavi in Cœlum & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus; erroris, quem ingentem fateor veniam imploro*. Ad hæc Menesius amplexu officiosissimo erexit Georgium; illique congratulatus quod Animæ suæ, ceterorumque Christianorum Regionis illius prospicere vellet, ei perseverandi constantiam apprecatus fuit; asseverans etiam, se in ea spe fore, ut ipsius exemplo, plurimi ad Catholicam fidem adducendi essent; pollicitus est demum, dum in suscepto proposito constanter permaneret, se nullam habiturum esse deinceps rationem de iis, quæ antea acciderant; immo de iis omnibus, ne mentionem quidem esse facturum.

II. Et quamquam aliter antea videretur Menesio, tamen occulte emittere fidei professionem ipsi permisit; qui juravit illos decem articulos sibi missos; quos omnes, ut sinistre suspicandi aditus intercluderetur, propriæ manus subscriptione munivit, adscripto tempore etiam & loco, ne facti illius memoria ulla oblivione deleretur: subscripsit etiam Archiepiscopus, & demum P. Franciscus Roz tamquam testis. Promisit subinde Georgius Menesio, ollas (*a*), aut edicta pro convocanda Synodo, ut ipsi visum fuerit, se publicaturum. Postridie cum in Ecclesiam convenissent plures Cassanarii utriusque factionis, alloquium valde prolixum habuit ad eos Menesius, ubi maxime de Synodi celebrandæ necessitate, ac opportunitate diseruit, quò propellerentur errores, longa tot annorum serie in illa Regione constabiliti. Synodi celebrationi omnes palam assensere; ii qui à Menesio erant, quia id necessarium existimabant; illi vero, qui pro Georgio stabant, quia quæ gesta erant ignorantes, impossibilitate cogendi Synodum, ut ipsi falso putabant, & suo errore delusi, suffragium inutile, liberaliter concedendum esse arbitrabantur. Vix habito consensu, continuo cœpit Menesius cogitare de loco. Eorum aliqui Angamalam designarunt, at id Menesio minime arrisit, eo quod ibi degisset multis annis Mar-Abraham ultimus dissensionum auctor, & Nestorianæ pestis propagator; commodiorem itaque putavit Diamper, tum quia sita erat pene in meditullio Regionis; tum quia e proxima Cochim celerius, atque expeditius, quæ ad Synodum necessaria existimarentur, adduci possent; id quod etiam expetebant Cochimenses Christiani; Regem enim habebant sibi benevolum, atque Lusitanæ potentiæ obnoxium; unde collectis suffragiis, designatus fuit locus de Diamper, atque indicta Synodus, inchoanda die 20. Julii, quæ eo anno 1599. erat Dominica tertia post Pentecosten. Pro indictione itaque Synodi ab Archiepiscopo, & Archidiacono, qui ambo eas subscripserunt, expeditæ

(*a*) *Olla* Sunt literæ authenticæ Principum, & Superiorum ad subditos directæ; ejumodi autem literæ in foliis Palmarum exarantur ab illis mira celeritate; quarum exemplar ivdi in Bibliotheca Angelica Urbis hoc anno 1744. literas Malabaricas exhibens, variis columellis digestas, ut speciem Rhythmi alicujus præseferant: sunt autem laudata folia duos digitos lata, longitudinis vero ultra spithama: vox autem olla materiem in qua scribitur ab aliquo proprie significat; Hispanice *oja*.

Digitized by Google

tæ sunt Ollæ ad universas Ecclesias, Oppida, Pagosque, ut præfinita die in Diamper convenirent; aliis etiam, quibus libuisset, fuit accedendi facultas concessa.

III. Nec prætereundum, quod Synodus celebranda, comitiorum simul speciem, habitura esset. Enimvero illi Christiani, sub diversis licet Regibus degentes, nihilominus peculiaribus sibi legibus, ac juribus, quantum ad politicum regimen gubernabantur, quæ ut intra debitæ moderationis limites, si opus esset, coercerentur, non solum in rebus Ecclesiasticis, sed etiam in Civilibus, solis Episcopis subdebantur, quo fiebat, ut de ejusmodi legibus, moribus, atque consuetudinibus agere necessarium esset, cum sæpe contingeret, ut earum plures, rebus Ecclesiæ, ac Fidei adversarentur; quamobrem opus esset, dogmata, ac res Ecclesiæ restituere, & simul non consentaneas veræ religioni leges, & jura temperare, vel corrigere: itaque decretum fuit, ut ab unoquoque Oppido quatuor eligerentur viri probi, ac honesti, qui tanquam Procuratores, nomine suæ communitatis, lites, postulationes, aut querimonias exponerent; requirendi etiam, ac respondendi facultate gauderent; proponendi demum in Synodo, tanquam in generalibus comitiis quidquid vellent.

IV. His Vaipicotæ peractis, remeavit Menessius Cranganorem, ubi in secessu, secum ipse quæ agenda erant, reputans, in ordinandis, aptandisque punctis in Synodo agitandis, tam circa fidem, quam mores, resque civiles, operam omnem sedulo collocaret; interea quo nihil præteriret eorum, quæ ad instaurandam Catholicæ etiam disciplinæ, atque Divini cultus rationem, prodesse possent, cum Episcopi Babylonici Malabarenses, aut aras lapideas nulla ratione, aut non rite consecrarent: neque enim illas Sacro Oleo liniebant, sed tantummodo septies per Ecclesiam circumferebant; jussit Menessius plurimas aras fieri in singulas Ecclesias distribuendas; easque solenniter consecraturus in Paru commeavit, advocatis illuc pluribus finitimarum Ecclesiarum Cassanariis, ut e Majestate, atque sanctitate rituum, Babylonicæ, ac Romanæ Religionis discrimen perspicue agnoscerent, hujusque sanctitatem, atque præstantiam, oculis ipsis patentem, adamarent, atque præferrent; ibi etiam Sacros Ministros inauguravit in die solenni Sanctissimæ Trinitatis, & ex Incolis, quos idoneos putavit, post ejuratos errores, ac fidei Catholicæ professionem, atque obedientiam erga Romanam Sedem juramento promissam, quinquaginta Sacris Mysteriis addixit; qua ratione ipsorum potissimum Parentes ac propinquos devinciendo, non parum præsidii rebus Synodi accessurum arbitrabatur, augebatque numerum eorum, qui parti adversæ, Babylonicis nempe, obsistere possent, & suffragiis prævalerent.

V. Ut Menessius literis consignavit, quæ Synodo proponenda esse ducebat, quæque vel firma fide credenda essent, vel matura discussione decernenda: nonnullos Sacerdotes Malabarenses, Diœceseos Cochimensis accersivit, quibus curam commisit, ea omnia in linguam Malabaricam transferendi, quo non solum ab Ecclesiasticis in Synodo congre-

Digitized by Google

gatis, sed etiam à Laicis plene percipi possent. Dum hæc geruntur, nuntiatur ipsi à Rege Porcano; quod jucundissimum ipsi fuit; nempe universos earum partium Incolas hilariter, atque jucunde itineri, Cochimum versus, ut ibi Synodo interessent, sese accingere; quo nuncio accepto, Menessius in Diamper statim contendit, cum ut adventantes pro merito exciperet, tum etiam, quo rebus providendis curam impenderet. Die itaque nona Junii iter Diamperitanum arripuit, comitatus plurimis Cassanariis, (a) nonnullis etiam Theologis, cum Patre Roz, & eo qui ipsi erat à Confessionibus, (b) multis etiam (c) Chamaziis, aliisque Christianis, qui adventantes ad pacem, consensionem, atque integram Christianorum reductionem hortarentur.

§. II.

Privatim recitat e Commentariis Menessius, quæ paraverat; ea conferens cum Archidiacono, & octo Cassanariis I. *Dat initium Synodo, celebratione solennis Missæ pro tollendo Schismate* II. *Officium, statutasque preces recitat ad inchoandam Synodum, atque verba facit opportuna, de necessitate cogendæ Synodi, aliisque rebus* III. *Die* 21. *Junii emittunt professionem fidei illi Christiani, Papæ obedientiam promittunt, & Concilium Ephesinum admittunt* IV. *Emissæ professionis articulos exponit Menessius, & subortum rumorem sedat ingeniosa solertia* V. *Archidiaconus professionem emittit Malabarice, & Jacobus, unacum reliquo Populo; Cassanarii singillatim profitentur.* VI. *Additamentum professionis fidei* VII. *Tumultum alterum pari sagacitate declinat Menessius* VIII. *Recens conversi Christiani in clientelam Regis Lusitaniæ recipiuntur* IX.

I. IGitur cum convenissent in Diamper universi Cassanarii; quatuor præterea electi, seu Procuratores pro singulis Populis, Menessius ex Cassanariis octo optimi nominis selegit, ut iisdem una cum Archidiacono apud se congregatis, prælegeret, ac de scripto recitaret primas rerum agendarum, quas meditabatur, adumbrationes, maxime decretorum, quæ ipsi Synodo proponenda fore videbatur. Atque hoc non una de causa; primum enim, ut cum de iis consultatio haberetur, ipso-

(a) *Cassanar* vox est Syro-malabarica, ex *Cassa* Presbyter & *Nar* sive *Nair* nobilis; quasi Presbyter Nobilis.

(b) Pater Blasius a S. Maria Augustinensis.

(c) *Chammas* aut *Chammas* est vox Syriaca, & sonat Ministrum, seu Diaconum; ex Syriaco enim *Sciamesc* fit *Sciammascin*, vel *Sciammas* Diaconus. Consonat vox Hebraica שמש *Sciammasc*, & ita vocant Hebræi *Ministrum* Scholæ seu Sinagogæ, qui luminaria accendit, librum lecturo porrigit &c. Aliquando inter Hebræos *Sciammasc* erat idem qui חזן *Chazan* sive Cantor: vide Aulisium *De Schol. lib.* 1. *cap.* 12. & Maurocenum in *Via Fidei tom.* 1. *p.* 232.

Digitized by Google

ipsorum menti altius ea imprimerentur; deinde ut si res propositas approbarent, proclive ipsis deinde esset, eas ceteris persuadere, acriterque inculcare, & quia rectas, & quia suas; postremo, ut eorum hæsitationes, dubietates, & scrupulos, si qui essent, in antecessum clanculum per Menessium sedarentur, aut traditione, Scripturis, Patribus, & consensione Ecclesiarum, si erga fidem atque disciplinam versarentur; aut si ad mores indifferentes, & civiles pertinerent, vel sincera rerum narratione, vel pravitatis, si quam secum admitterent, extirpatione; vel necessitate, consuetudines aliquas inveteratas, ab omni superstitionis umbra depuratas, saltem ad tempus tolerandi. Eo demum apparatus hic spectabat, ut cum propalam ea recitarentur, vel nullus de re dubitare prudenter posset, aut si contentiose id aliquis auderet, ab ipsis Cassanariis quippe indigenis, dubiosi instruerentur, & qui contentiosi essent, compescerentur. Ne tamen quid securitatis, vel prudentiæ desiderari posset, dum de consuetudinibus locorum agendum esset, quatuor e gravioribus, ac honestioribus Montanorum senes, interesse voluit, qui super his juxta opportunitates consulerentur.

II. Perpensis itaque omnibus in congressione illa; omnia tanquam optima communiter approbata sunt. Cumque indicta dies advenisset, atque Capitulum Sedis Cochimensis Menessio in solenni, & Pontificali Sacro ministraturum, Musicorum item Chori, plures è clero, Civitatis Magistratus, Regii Ministri, plurimi denique de Populo accessissent, jussit Menessius cunctos Presbyteros ea die sacrum celebrare, reliquos autem, qui Sacramento Pœnitentiæ expiati essent, Sacræ Mensæ participes fieri, qui vero secus, & generatim omnes, Deum obsecrare pro felici Synodi celebratione; quotidie etiam litaniascani chaldaice prius à Syris, deinde suo more à Latinis. Hora deinde competenti celebravit Menessius solenne sacrum de more, & juxta Romanæ Ecclesiæ præscriptum: *Ad tollendum schisma*: concionem etiam habuit Malabarico idiomate P. Franciscus Roz, qua ingenti adstantium profectu, Synodi necessitatem, atque debitam Romanæ Sedi obedientiam exposuit, validisque argumentis confirmavit.

III. Peracta Missa, iisdem indutus Pontificalibus indumentis, statutas à Pontificali Romano preces, cum Presbyteris, alternis cecinit; quæ est debita præparatio juxta Latinæ Ecclesiæ laudabilem consuetudinem: *Ad inchoandam Synodum*. Precibus absolutis, verba facit è faldistorio, coactæ jam toti Synodo, tempori, rei, finique, atque illis Christianis peropportuna: illud etiam addidit, se illam coegisse Synodum, & jussu, & auctoritate Summi Pontificis Clementis VIII. cujus Diploma continuo fuit lectum, ac Malabarice expositum. Quod sane Diploma (in illius commendationem statim subiunxit Menesius) & mihi quippe Primati totius Orientis, & vobis erudiendis, instruendisque, & necessitati Ecclesiarum, vacantibus Episcopali Sede, & Exedris Canonicorum (a) maxime con-

 grue-

(a) Non apparet fuisse in Ecclesia Orientali Indica, Canonicorum cœtum, cum sub Episcopis, uno Archidiacono & Cassanariis tantum gubernaretur; at Menessius, ita lo-

gruebat. Placet ne ergo vobis Synodum celebrare ad extirpandas hæreses, atque errores a Nestorianis in his Regionibus disseminatos, ad corrigendos, expurgandosque ab illis libros, ad præstandam obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque Papæ Divi Petri Successori, & Christi in terris Vicario, ad extirpandam publicam Simoniam, quæ in administratione Sacramentorum inoleverat, ad reformandum demum Clerum, res Ecclesiasticas, atque mores totius Populi? Et responderunt: *Placet*. Quo dicto, publicata fuit Excommunicatio latæ sententiæ in eos omnes, qui durante Synodo in circulis, & privatis conventiculis de rebus ad eam spectantibus agerent; ipsisque permissum fuit, ut quidquid e re, vel publica, vel privata alicujus cœtus videretur, palam in Concilio proponerent discutiendum: præcipiebatur insuper, ne ullus à Synodo discederet, nisi prius subscriberet decreta, & acta, atque professionem fidei emitteret. Quibus constitutis, comitium die illo dimissum est.

IV. Die proxima 21. Junii, postquam Menessius sacrum sine solennitate peregit, induit Pontificales vestes, atque juxta ritum celebrationis Synodi præscriptum à Pontificali Romano, promulgatum fuit Decretum, quo jubebatur, omnes, & potissimum Procuratores Populorum, fidem eorum nomine publice profiteri, in manibus Archiepiscopi, lingua vernacula Malabarica, eadem ratione, iisdemque verbis, quibus Menessius ipse, primus omnium eam publice professurus erat, adjuncto formulæ Pianæ ex præscripto Tridentini exaratæ, anathemate contra Nestorium, ejusque errores atque Sectarios, & contra tam ipsius, quam Sectariorum omnium deliramenta, quibus Diœcesis infecta erat. Indixit præterea idem Menessius acceptationem Concilii Ephesini primi 200. Patrum, & Juramentum quo explicate, & apertius promitterent obedientiam Papæ, & Romanæ Ecclesiæ; postremo ejurationem obedientiæ promissæ Patriarchæ Babylonico in perpetuum; admissionemque illius tantum Archiepiscopi, qui à Papa designaretur. Atque his peractis, è vestigio, omnium primus Menessius, Mitra deposita, & ad Aram maximam genuflexus, tactis Cruce ac Evangeliis, professionem fidei, atque juramentum præstitit.

V. Deinde in faldistorio sedens, concionem habuit, in qua articulos emissæ professionis exposuit, & inculcavit universis, ut eamdem emitterent. Post quæ verba, auditus est rumusculus, & susurratio aliquorum e Cassanariis, aliorumque palam Menessio obtrectantium, atque obloquentium: non esse cur professionem novam facerent; se fidem habere, atque Christianos esse; quapropter & gratis ab eis id exigi, immo & contumeliose, perinde ac si a fide defecissent. Quibus pro munere suo reposuit Menessius, nec novum, nec mirum id habendum, eo quod cunctis incumberet obligatio profitendi fidem, quoties legitime fuerint requisiti, & quoties suborta sit de alicujus fide dubietas aliqua: se quidem a teneris christianum esse, immo Patrem, ac Antistitem totius Orientis, ni-

quitur, eo quod eam Ecclesiam conformem in omnibus, quantum liceret, ex præscripto Summi Pontificis reddere satagebat Occidentis Ecclesiis.

Digitized by Google

nihilominus id exigente re, primum omnium professionem elicuisse; præterea id quod ad professionem fidei accesserat, submissionem nempe, & obedientiæ promissionem erga Catholicam Ecclesiam, omnino necessariam esse. Nam cum ipsi ab Ecclesia Catholica diu separati fuissent, opus erat, ut ad gremium illius redeuntes, ejus obedientiæ se rursus submitterent, eamque jurarent, ac subscriberent.

VI. Acquievere universi Menessio, & Georgius ad ipsum accedens, elata voce eamdem fidei professionem Malabarice emisit; id palam præfatus, se hoc præstare, tam proprio nomine, quam totius Diœcesis Montensis, cujus hactenus Gubernatorem egerat. Exinde Jacobus Cassanarius Ecclesiæ de Pallurte, Synodi Interpres, ambonem conscendens, Cassanariis, ceterisque aliis genuflexis, clare, & distincte eamdem professionis formulam perlegit, singulis eamdem, iisdemque verbis repetentibus Malabarice: Cassanarios singillatim coram Archiepiscopo genuflexos, interrogabat ipse, an ea ex animo profiterentur sincere, atque sponte, sola conscientia ducti, & propriæ saluti intenti, & quia ea vera esse firmissime crederent? Annuentibusque omnibus, atque asserentibus se paratos esse ea fide vivere, mori, atque dum opus fuerit, pro ipsa sanguinem fundere; lecta fuerunt hæc additamenta, pertinentia ad præteritorum errorum ejurationem, nempe.

VII. *Anathematizo præterea perversum hæreticum Nestorium, ipsius errores, & asseclas; Sanctum amplector concilium Ephesinum primum 200. Patrum, cui præsedit nomine Pontificis Romani, Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quem ut Beatum, ac Deo gaudentem veneror. Confiteor amplius Christum Dominum nostrum verum Deum, ac verum hominem esse, atque in eo duas esse naturas, divinam, nimirum, & humanam, in uno tantum divino supposito. Sacratissimam Virginem appellandam, & re vera esse Dei Matrem. Sanctam etiam Ecclesiam Romanam, ut Matrem, Magistram, atque Ecclesiarum omnium caput agnosco, ac juro obedientiam, & subjectionem Sanctissimo Patri Papæ Pontifici Romano Divi Petri successori, & Christi in terris Vicario, nulla habita ratione Patriarchæ Babylonici, quocum juro, deinceps me non communicaturum. Promitto etiam non alium Episcopum, & Antistitem in hac Diœcesi me admissurum, quam illum, qui pro tempore à Summo Pontifice Romano institutus fuerit. Confiteor præterea unam tantum esse legem Christi Domini, quam Apostoli prædicaverunt; ac errare, asserentes duplicem in Ecclesia legem, nempe Divi Petri unam, & Divi Thomæ alteram, quæ cuncta confiteor, promitto, ac juro per Crucem hanc Jesu Christi, & hæc Sancta Evangelia.*

VIII. Dum hæc per Cassanarios præstarentur, surrexit Montensis quidam Cassanarius dives, ac præpotens, atque Regi de Turubelle pergratus, qui discedens cum aliis septuaginta circiter ab Ecclesia, & ingressus Ecclesiæ Xistum, ingentem tumultum ciere cœpit; verebatur autem Menesius, ne adversus fidei confessionem hæ turbæ excitatæ essent; unde percontatus quid rei esset, rescivit, ab illis Christianis expe-

ti

ti (quandoquidem Papæ, atque Episcopis Latinis obedientiam polliciti, sub Regis Lusitani clientela futuri erant) ut à tributis Ethnicorum Regum, atque vexationibus, quæ augebantur indies, liberi redderentur: quod maxime asserebant de Rege Cochimensi, qui in partem bonorum, atque facultatum omnium Christianorum succedere volebat, una cum Patris demortui relictis filiis, tanquam filius omnium natu major; (Inventum sane non ferendum, sed execrandum, quod jam alii Reges sibi imitandum proponebant) Querelas hujusmodi, quamquam id à recto non exorbitare probe dignosceret Menessius; hujus tamen interjectionem negocii eo potissimum spectare suspicatus, ut si fieri posset, fidei professio interturbaretur, aut saltem qui tumultum moverat, eam cum suis declinaret; quiescere jussit omnes, ac erecto animo esse, cœptumque interim prosequi, & complere; se postea pollicitus est negotium hoc, eorumque commodum, exertis viribus procuraturum. Quibus auditis, Cassanarius, iique omnes cum ipso congregati, qui in eadem erant sententia, fidem professuri accesserunt. Eum consequuti sunt Diaconi, Subdiaconi, Chamazii in minoribus constituti; inde electi Populorum, demum omnes qui aderant, tam e Diamper, quam qui ex aliis Locis accesserant: in quibus omnibus peragendis septem horarum spatium fuit insumtum. Fidem professi numerabantur ex evocatis ad Synodum (præter Diamperitanos, aliosque, qui libere accedebant, Diaconos Subdiaconos, atque Chamazios) tresdecim supra octingentos; nempe centum quinquaginta tres Cassanarii, ac sexcenti septuaginta & unus ex electis, ac Procuratoribus Populorum. (a)

IX. Professione fidei peracta, lectum fuit Decretum, quo præcipiebatur cunctis Cassanariis, Diaconis, & Subdiaconis Diœcesis à Synodo absentibus, ut eamdem professionem fidei emitterent in manibus Archiepiscopi in sancta visitatione, aut alterius ab eo deputandi; ii autem ad quorum loca Archiepiscopus non accederet, eam facerent, & manu propria subscriptam transmitterent, quique id non præstarent, à Sacri Ordinis exercitio arcendos esse prænunciavit: alia præterea lecta sunt opportuna Decreta. Quo vero tumultuantis illius Cassanarii, ceterorumque votis, ut spoponderat Menessius, satisfaceret, accersito Præfecto Militiæ Lusitanæ Cochimensis, D. Antonio de Noroña, atque Civitatis Magistratu, dixit ipsis, se tradere, & committere eorum fidei, Christianos omnes Divi Thomæ, jam subditos Apostolicæ Sedi; idque se maxime expetere, ut Lusitaniæ Rex, eosdem suo dignaretur patrocinio honestare, salva semper subjectione, atque *hommagio* propriis Regibus Malabaricis debito; dummodo ii in rebus fidei, aut Ecclesiæ nihil adversum attentarent. Cui nomine Regis, cujus gerebat personam Noroñus, vir cani-

(a) Videtur non bene Govveam hic computasse, etenim 153. Cassanarii, & 671. electi conficiunt Summam 824 non vero 813. ut asserebat: attamen ista ratione utcumque elici potest quotus esset numerus Ecclesiarum, nempe tot quot sunt quaterniones: nempe 168. Pagi; numerus enim 671. continet totidem quaterniones, si addatur unus; aliter superfuissent tres electi, & tunc loca tantum erunt 167.

Digitized by Google

canitie, ac munere gravis, genuflexus (quod maximam conciliavit Archiepiscopo apud eas gentes auctoritatem, ac opinionem) præ gaudio, animique commotione illacrymans, respondit; se accipere Christianos, atque Ecclesias omnes sub clientela sua, dum omnes jam jurata fide, unum constituebant Ovile; quam sponsionem subscriptione ipsiusmet, & Magistratus munitam, tradidit Menessius Archidiacono in Archivio Angamalensi reponendam. Qua securitate suspiciosis timoribus abactis, læti jam omnes, accepta prius ab Archiepiscopo solenni benedictione, hora tertia pomeridiana ad propria redierunt.

§.III.

Actio prima, & secunda Synodi expeditur, ac loco tertiæ, quæ in alium diem rejicitur, habetur sexta I. *Tenor perpetuus in Synodo observatus* II. *Rebelles tentant manus in Menessium injicere, sed occulta, & mira virtute repelluntur* III. *De Actione quinta, & parte sextæ* IV. *De Actione tertia, ubi actum de erroribus eorum Christianorum, die* 24. *Junii, Præcursori sacra, præsentibus tantum Indis* V.

I. PRima, & secunda Actione Synodi, decreta fuere, quæ ad celebrationem ipsius pertinebant, & fidei professio fuit solenniter emissa: in tertiæ diei Actione, animus erat res fidei stabilire, atque declarare, & Nestorio, ejusque erroribus diras imprecari, novosque rursus ejurare errores, qui ad veteres accesserant. Id quod in primis cordi erat Menessio: sed Cassanarii, & Christiani illi à Menessio præ erubescentia efflictim petierunt, ne ea tunc coram omnibus tractarentur; sed proxima Sancti Joannis Baptistæ die, qua Lusitani, atque advenæ omnes, ad Paru parvum accessuri essent, in Ecclesia duas Leucas dissita, festivitatem Præcursoris celebraturi; pudebat enim eos, aliis publice innotescere errores, & deliria, in quæ miserrime prolapsi erant. Annuit liberaliter Menessius, & ab ipsorum pudore opportunitate capta, inculcavit ipsis illud Pauli: (a) *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est, & confusio;* Quamobrem ea die actum fuit unice, de Sacramentis Baptismi & Confirmationis, de quibus juxta ordinem à Synodo præstitutum, in sexta Actione agendum erat.

II. Tenor autem rerum hic, perpetuo deinceps usque ad finem Synodi servatus fuit: Primo Dogmata ad unumquodque Sacramentum pertinentia proponebantur, ut doctrina, & disciplina statueretur. Exinde Decreta publice legebantur, mane autem à septima, usque ad undecimam horam cogebatur Synodus; & à secunda pomeridiana usque ad sextam. Siquis Cassanariorum, aut Electorum quispiam, dubium aliquod pro-

(a) Paul. Epist. ad Rom. cap. 6. v. 21.

proponere vellet, id consurgens, & stans præstabat, dum legebantur Decreta, cui Menessius non sine gaudio respondebat, id secum jucunde reputans, sibi licuisse tandem, non clanculum, & in tenebris, sed palam, & super tecta res fidei extollere, atque deprædicare; senes etiam erant Montenses deputati, honesti viri, qui ceteros tumultuantes paci redderent, quosque in pluribus circa mores Regionis, uti Consiliarios Menessius adhibebat; qua honoris significatione, & illos & illorum propinquos, & generatim indigenas omnes, plurimum sibi devinciebat. Id autem graves viri, tanto ipsorum decore, atque Populorum reverentia præstabant, ut vel paucis verbis, ceteros compescerent: quod Cassanarii ægre tulerunt, unde livore incensi, ad Menessium accesserunt, idque causati sunt; nempe dedecens esse, seculares homines, tantum sibi in Synodo, ubi tot Sacerdotes conveniebant, tribuere, ut in qualibet re loquerentur, atque eos reliqui auscultarent: satius fore ipsis silentibus, Presbyteros in Congregatione loqui. Satisfecit autem Menessius pauca hæc reponens; Sacerdotes id posse exigere, ut omnium primi audirentur, quod usque hactenus servatum fuerat, & religiose servandum erat in posterum; ceterum aliis, præsertim qui gravitate, ac bono judicio pollerent, os obturare, & libertati omnibus principio promissæ, & communi bono plurimum adversari. Ii autem optimi senes id pro labore impenso acceperunt præmii, ut ipsis, suisque decentior honestiorque sepulturæ locus attribueretur; alia etiam nonnulla ipsis impertita sunt privilegia. Qua ratione finem habuit tertia Actio Synodi, in qua post expositionem Doctrinæ Catholicæ, & dogmatum, viginti edita sunt Decreta circa Sacramenta Baptismi, & Confirmationis.

III. Neque vero illud prætermittendum, quod Miraculo non absimile visum fuit; enim vero sub id temporis eorum Christianorum rebellium multi, furiis Inferorum acti, conspiratione facta, mutuo inter se pacti fuerant, se omnium nomine ea omnia, ut falsa, & nova accusaturos, ac palam protestaturos, nolle se antiquam Divi Thomæ legem pro alia commutare, neque Romano parere Pontifici; cujus rei executioni quemdam præ ceteris effrontem præfecerunt, at vero ut postea fassi sunt, cum ter, & amplius ad Synodum convenissent, ut cuncta perturbarent, & quod impudenter moliti fuerant, executioni impudentius mandarent; semper tamen oculorum aciem in vultum Menessii intendentes obmutescere, superna quadam vi, coacti sunt, & pavidi e Synodo re infecta excesserunt; ac tandem occulta quadam voce, quæ in eorum cordibus repetebat verba illa: *durum est contra stimulum calcitrare*, efficaciter moti, & impulsi, ab impio proposito tandem resipuere, & eorum resipiscentia, aliorum constantiam mirum in modum auxit, & confirmavit.

IV. Die 23. quæ de Sacramentis proponenda supererant, agitata sunt: erat autem dies quarta Synodi, Actio autem Synodalis quinta, in qua de Eucharistia, ac Sacrificio Missæ pertractatum est, ac præsertim quo apparatu accedendum esset ad Sacram Synaxim, cum illi Christiani, non præmisso Sacramento Pœnitentiæ, quod ipsis erat horrori, ob perversam, qua erant imbuti, Nestorianorum errorum doctrinam, Euchari-

stiam

Digitized by Google

tiam sumerent; præscriptum insuper fuit, quomodo ea porrigenda esset pro viatico ægrotantibus; Liturgia etiam Chaldæa, quæ erat illis Ecclesiis usitata, expurgata fuit ab erroribus, blasphemiis, atque ritibus impiis, quorum erat referta; quæ omnia continentur novem Decretis de Eucharistia, & quindecim de Sacrificio Missæ.

Ad vesperum ejusdem diei celebrata fuit actio sexta, in qua de Sacramentis Pœnitentiæ, atque extremæ Unctionis actum est; & de primo quidem pro dignitate, ut res exigebat. Erat enim illis invisum, & prorsus in desuetudinem abierat; de casibus etiam reservatis, & quibus censura erat annexa; de aliis demum pluribus ad idem Sacramentum pertinentibus, quæ quindecim Decretis fuerunt comprehensa; tribus de Unctione Extrema additis, cujus etiam ignoratione laborabant.

V. Die 24. glorioso dicata Christi Præcursori, & Synodi quinta, de rebus fidei actum fuit, & celebrata actio, juxta ordinem Synodi, tertia; utque plurima erant pertractanda, summo mane convenere cuncti in Ecclesiam; absentibus eo die Lusitanis, & advenis; quinimmo jussis omnibus, si qui essent e Lusitanis excedere, & Ecclesiæ foribus pessulo obseratis, ut præter Cassanarios, & Christianos indigenas, alius nemo adesset, cujus præsentia illis pudorem afferret (quod ipsis pollicitus erat Alexius). Post hæc è vestigio cuncta fidei nostræ Dogmata, perspicuo sermone Alexius proposuit, atque eorum omnium diserte aperuit sensum, confirmavitque traditione, Scripturis, Patribus, Conciliis denique Œcumenicis, & quod consectarium erat, Nestorianorum, aliorumque Malabarensium errorum inconstantiam, atque falsitatem clare ostendit. Veritatates Catholicas, Hæreticorum oppositis deliramentis confixis, eamdem Deo opem ferente, quotquot aderant confessi sunt, seque Dæmonis fraude circumventos, pravisque Heterodoxorum dogmatibus turpiter dehonestatos agnoverunt. Index præterea confectus est, quo ex ipso libri titulo noscerentur, quinam Libri comburendi, qui expurgandi essent, qui denique inoffenso pede percurri, ac legi possent; omnia denique ad fidem attinentia stabilita atque illustrata fuere; in quibus omnibus peragendis per totam diem, usque ad multam noctem, nequid prætermitteretur, laboratum est. Nec in re ulla quidquam dissensionis fuit; si codicem Canonicarum precum, sive Breviarium excipias, e quo omnino discerpendum clamabat Alexius, integrum Officium Adventus, & Nativitatis Domini, ob frequentissimam, ac tertio quoque verbo hæresis Nestorianæ repetitionem; ibi enim sæpe sæpius duplex suppositum Christo asserebatur, necnon Mariæ Virgini, Matris Dei dignitas impie negabatur. At Cassanarii contra nitebantur; non quod errores non agnoscerent, sed quia Officium nullum, quod recitarent, ipsis supererat, illis erasis, & omnino expunctis: qua in re hoc provido temperamento usus est Menessius: Interseri jussit Breviario aliquot paginas; & crasiores etiam errores expungi, quousque nova Breviaria cuderentur; atque ita Actio illa finem attigit, confectis tribus, & viginti Decretis, & quatuordecim Capitulis, quæ tanquam Catecheses in Ecclesiis legerentur, quousque ad Synodi petitionem Catechismus plenior conficeretur.

Digitized by Google

§.IV.

Actio septima habetur, ubi de Sacramentis Ordinis, & Matrimonii agitur; ejicitur Simonia, & Presbyteri, ceterique in Sacris Constituti ab Uxoribus separantur. I. *Actio octava, in qua dispertitur in Parœcias Diœcesis Angamallensis; designantur singulis Ecclesiis Vicarii, & quatuor Œconomi* II. *Actio habetur nona, & ultima de reformatione morum; & multiplices tolluntur abusus* III.

I. DIE 25. & sexta Synodi, Actio septima celebrata est; in qua de Sacramentis Ordinis, & Matrimonii actum fuit: atque exaratis Decretis Ordinis Sacramentum respicientibus, duo maximi ponderis peracta fuere; primum enim exulare prorsus jussum est abominabile Simoniæ vitium, illis hominibus quam familiare, cum omnia prope Sacramenta, resque sacræ haberentur venales; eo quod nullo alio proventu illi gauderent, quam eo, quem propter ipsorum Officium illis elargiebantur Christiani; actum est etiam de modo providendi Cassanariis, & Ecclesiis pro sustentatione congrua, Templorumque nitore; electi etiam Populorum, quisque pro viribus suis, ad hunc finem contributam pecuniam contulerunt, & Archiepiscopus, e suo, dum vitam ageret, & dum Rex Lusitaniæ certos reditus non designaret, Montanis Ecclesiis se daturum spopondit bis mille annuos (a) *Pardaos* pro Cassanariis ac Parochis de novo instituendis; quod promissum fideliter servavit, usque ad annum 1601. quo Rex e regio ærario hunc proventum regio suo Decreto Montanis constituit Ecclesiis, quo iis, eorumque Ministris decenter consuleretur. Deinde strictissimis inhibitum fuit censuris, ne Clerici in Sacris constituti Uxores ducerent, prout fieri solebat, & adeo intemperanter quidem, ut aliqui ad secundas, & tertias nuptias transirent, viduas etiam absque ullo discrimine ducerent, quippe qui irregularitatem ex Bigamia prorsus ignorarent; quibus omnibus præceptum fuit, ut ab Uxoribus recederent sub pœnis, ac censuris. Quia vero solum à tempore, quo Archiepiscopus Mar-Abraham Concilio Goensi præsens subscripsit, nulla Ecclesia eos, qui Uxores jam in Sacris constituti duxerant, passa est; Matrimonia enim hujusmodi Concilium illud sub Excommunicatione, atque declaratione nullitatis vetaverat; idcirco eos, qui ante Concilium Goense jam Matrimonio conjuncti erant cum prima conjuge, nulloque Bigamiæ impedimento laborabant, Synodus toleravit, sub ea conditione tamen, ut in posterum servarent, quæ Pontifex Romanus hac de re consultus decerneret. Prohibuit etiam Synodus, ne in posterum Sacerdotes Officia, ac munera secularia in Republica, ut consueverant, obirent. Itaque Matrimonio redacto ad formam Concilii Tridentini, declaratis etiam propinquitatis gradibus prohibitis, atque impedimentis, quæ illud dirimunt, vel impediunt, facultate à Papa ipsi delegata, solvit

(a) Species est Monetæ exigui valoris: Vide Syllabum vocum.

Digitized by Google

vit Menesius ab impedimento propinquitatis conjuges tali impedimento irretitos, eosque ad vitandum scandalum, clanculum valido, ac legitimo Matrimonio conjunxit; quibus Actio septima finem habuit, editis viginti duobus Decretis de Sacramento Ordinis, & viginti sex de Matrimonio.

II. Septima die Synodi celebrata fuit Actio octava, in qua actum est de reformandis rebus Ecclesiasticis. Primo itaque facta fuit divisio Archiepiscopatus in Parœcias, deinde Vicarii, & Parochi, qui fidelium curam gererent constituti; nulli enim prius erant Sacerdotes peculiariter huic muneri addicti, institutique, sed Cassanariorum quilibet pro suo libito his muneribus fungebatur. Divisa etiam Diœcesi, atque constitutis Parochis nobiliorum locorum, exigui quidam, atque ignobiles Pagi, adjecti sunt Parœciis vicinioribus; in locis tamen adeo distantibus, ut nemo posset eo, cum res posceret, opportune accurrere, erectæ fuerunt ab Archiepiscopo Ecclesiæ, deputatique peculiares Parochi. Mandatum etiam, sancitumque fuit, ut in qualibet Ecclesia quatuor e gravioribus viris instituerentur Oeconomi, quibus res Ecclesiæ, Fabricæ restauratio, atque Sacræ Vestes commendatæ essent; hujusmodi vero Oeconomi à Populo eligerentur tempore, quo Archiepiscopus Ecclesiarum inspectionem haberet, easque visitaret; assignati præterea discreti que fuerunt dies festivi, & esuriales, in quibus servandis ingens erat confusio, ac opinionum dissensio. Constitutum denique fuit, ut rudimenta fidei lingua Malabarica, non vero Syriaca, ut erat mos, Populis explicarentur.

III. Die octava habita fuit nona, atque ultima Actio, in qua de morum reformatione actum est; pravæ, atque enormes consuetudines, quæ jam diu apud eas gentes vigebant, hac die sublatæ fuerunt, eæque potissimum erant primò exclusio prolis femineæ a successione in bonis paternis; quamobrem, frequens erat, quod transversalis Masculus hæres nuncuparetur, atque auferret universas facultates; cui malo plurima alia innectebantur; Feminæ enim quæ Matrimonium non contrahebant vivente Patre, post ejus obitum, vel ob inopiam se prostituebant, vel fame, ærumnisque conficiebantur: secundò erat adoptio extraneorum, quæ sæpe fiebat etiam à Parentibus habentibus filios naturales, & proprios, qui extrema non raro penuria laborabant; eo quod bona paterna, & hæreditaria in alienos translata essent. Quæ res sane absurda, ipsique naturali rationi dissentanea, litigiorum, ac discordiarum fomes erat perpetuus. Alia præterea decreta sunt ad Ethnicorum rituum imitationem à Christianis propellendam. Prohibitum itaque fuit, ne auriculas sibi perforarent, vel ab eis dependentes pretiosas inaures, aut quid simile gestarent, ut in aliqua re saltem à Nairibus Ethnicis discriminarentur; habitu enim ejusdem generis Christiani utebantur: neve consuetudines alias barbariem penitus redolentes in posterum servarent; at quamquam nervos omnes intenderit Menesius, ut morem vitandi contactus hominum stirpis abjectæ, à Nairibus eradicaret, labor omnis inanis, & irritus fuit. Cavebant miro studio Nai-

res (a) contactum alterius hominis stirpis ignobilis; quamobrem confestim se pollutos (b) ac empolleatos fieri putantes, aquam, & pollubrum poscebant, nec sine superstitione, se veluti a contracta sorde abluebant, ut cum ceteris Nairibus consuetudinem habere possent; alioquin nullum inter ipsos commercium erat. Tria autem hominum genera Naires appellari, & reputari solebant, nempe Malabarenses honestis Parentibus orti, nullamque mecanicam artem exercentes, Christiani Divi Thomæ, & Lusitani. Ceteri omnes indiscriminatim, abjectæ stirpis, & ignobiles reputabantur. Vitationem horum contactuum, & hæc lavacra Christiani Divi Thomæ rem vanam prorsus, & superstitiosam existimabant; nihilominus iis consuetudinibus, ejurata tamen omni superstitione, indulgere cogebantur; nam si secus facerent, neque domos Nairum; nec Palatia Regum frequentare; neque vendendi, aut emendi gratia, aut alterius rei agendæ ceteros convenire poterant; immo ab omni honoris, ac Dignitatis gradu decidebant. Illud tamen ex hac dura necessitate sequebatur incommodi, quod reliquum Malabarensium vulgus ad fidei societatem adducere nequibant, cujusmodi erant omnes opifices, agricolæ, ceteri denique; (Naires enim soli student Militiæ) unde quantumvis Menessius, & cum ipso Christiani omnes vehementer exoptarent, ab illa se eximere; ne tamen illorum fides ob solicitudinem circa genus hominum abiectorum, jacturam faceret, & a vivendi cum aliis consuetudine, ob Naires Ethnicos arcerentur, dissimulata fuit. Qua ratione completa fuit Actio nona vigintiquinque editis Decretis.

CA-

(a) Post primam atque excellentiorem *Bracmanum* conditionem aut genus, illis proximi habentur *Naires* aut *Nairi*, quorum genus, aut si mavis *Casta*, Milites complectitur; qui rursus ex duplici ratione, nempe vel militaris dignitatis munere, vel ab armorum genere, quibus instruuntur, in alia quindecim genera dispertiebantur. Horum nomenclaturam legere licet apud Vinc. a S. Catharina *Viaggio all'Ind. Orien. lib. 3. cap. 10.* Vox autem *Nair* derivata videtur a radice Hebraica נזר *Nazar*, unde *Nazir*, & significat, ut reapse servant Malabarenses, *separari ab aliis, vel ab aliquare*, sive *religione & voto* sive *Dignitate*. Consule Dict. Heb. Xant. Pagn. *in hoc themate col. 1568.*

(b) *Polleas* & *Pulias* nomina sunt, quibus una ex abiectis stirpibus significatur, in qua recensentur Rustici, & ceteri qui terram farriunt: hinc *empolleari* dicitur, qui ab illorum aliquo, qui de abjecto genere veniunt, quoquo modo contingitur.

Digitized by Google

CAPUT IV. ET ULTIMUM

De rebus post Synodum, ejus publicatione, atque Observantia.

§.I.

Qui designati fuere Vicariis, Literas authenticas dat Archiepiscopus, aptæ item ad ipsis injunctum munus implendum monita I. *Cunctorum subscriptionibus munitur Synodus, omnesque simul dignas Deo grates persolvunt* II. *Bracmanes Idolorum zelo, atque nostrorum Officiorum pompa perciti, quoddam Idolum miro plausu circumgestant.* III. *Confessarii deputantur, & querelæ civiles excipiuntur* IV. *Digredientibus Vicariis tradit Alexius munera ad Ecclesias deferenda: nempe Libros rituales, Pyxides, resque alias necessarias ad Sacra Ministeria rite obeunda.* V.

I. PErlectis Synodi Decretis, jussit Archiepiscopus nomina recitari eorum, qui ad Ecclesias regendas Parochi, seu Vicarii electi fuerant, quibus ipse ad manus osculum accedentibus, vel aliis eorum loco, qui aberant, Literas porrigebat authenticas pro munere rite valideque obeundo; simul iis injungebat, ut post Mensem, nomina omnium, ad uniuscujusque Parochiam attinentium, sive ea extaret in Silvis, sive in Vicis, scripto notarent, & eos omnes, qui per ætatem capaces erant, infra proximum bimestre, ad sacram faciendam exomologesim adigerent; sin minus eos Excommunicationis fulmine deterrerent. Idem insuper iis inculcarent quotannis juxta morem Ecclesiæ faciendum esse, tempore Quadragesimæ, eosque admonerent de munere, quod erga ipsos exercebant, itaut paulatim assuescerent, illos tanquam Pastores suarum animarum reputare, iisque debitam obedientiam, & obsequium deferre. Omnes subinde simul Vicarios, ante se genuflexos diserte graviterque ad ea, quæ sui muneris erant strenue seduloque obeunda, ac perficienda hortatus fuit.

II. Synodica hortatione peracta, suo ordine cuncti autographum actorum subscripturi accesserunt; quibus adhuc integrum esse asseruit Archiepiscopus, siquid dubii circa Decreta denuo occurreret, ante subscriptionem diluendum, aperire; pariter sincere manifestare, an libere, atque sponte subscriberent. Discussis ergo nonnullis, ac felici exitu conclusis, omnium consensione signata fuerunt acta; ab Archiepiscopo sedente primum; postea ab Archidiacono, Cassanariis, Diaconis, Subdiaconis, electis demum, & Procuratoribus Populorum. Postea Archiepiscopus genuflexus incœpit Hymnum; *Te Deum*. Solennis deinde supplicationes

plicatio, sive Processio ordinata est, ubi Choreas agentes nonnulli de Populo præcedebant, cantica Ecclesiastica suo more canentes Malabarice; sequebantur Cassanarii, ceterique è Clero Psalmos concinentes Chaldaice; denique Presbyteri Latini, qui Antistitem comitati erant, quique e Cochim accesserant, sacrum agmen claudebant, eosdem Psalmos canentes Latine. Quamobrem, qui ad Synodum convenerant, ut in una fide Dei Unius, atque Trini conjuncti erant; sic trino Idiomate, unaque voce, unum Deum collaudarunt, unamque veram fidem confessi sunt. Imber subinde imminens (quod tanquam malum omen à pluribus habebatur) orante Archiepiscopo e vestigio evanuit.

III. Prætermissum hic nolo, quod ad majorem in dies in cultu veri Numinis, animi ardorem, & Christianorum sedulitatem promovendam conferre potest: neque enim par est ut filii tenebrarum accuratiores, sollertioresque sint filiis lucis. Bracmanes ergo cum e proxima prospicerent (a) Pagode majestatem, atque pompam ceremoniarum Ecclesiæ nostræ; lætitiamque, qua exultabant Christiani; cumque hæc omnia fieri in spretum, ac derisionem Pagodum, seu Idolorum, quæ ipsi colebant perverse interpretarentur, ita æmulatione exarserunt, ut accitis tubicinibus, aliisque, qui diversis canerent musicis instrumentis, eodem Synodi tempore, non tantum die, verum etiam tota continenter nocte, alternis concentibus aer resonuerit; quotidie etiam vespere, longo ordine dispositi idololatræ incesserint, quorum postremus canitie venerandus Bracman, super Elephantem pretiosissimis phaleratum ephippiis, graviter equitans, manibus parvum gestabat Idolum, pectori religiose admotum, ingenti sequentis Populi lætitia, plausu, atque frequentia; quæ omnia fiebant, ne quod maxime verebantur, Christianorum, ut ipsi ajebant, Deus, præ Idolis solenniori pompa, & veneratione coleretur; neve ex opposita Christianorum solennitate, Idolorum cultores pudore suffunderentur. Hæc ipsa tamen invida æmulatio in Christianæ Religionis bonum cessit, nam incitamento fuit Christianis, siqui erant, in publica veri Dei veneratione remissiores, ut acrius ad hæc Religionis officia, animum adverterent, & excussa socordia, ferventiores evaderent.

IV. Post hæc omnia dimissi fuerunt, qui ad Synodum accesserant, iis exceptis, qui Parochi electi fuere, & duodenis præelectis ex honestioribus viris; primi enim periculum scientiæ, ac morum, ut rite confessiones exciperent, subituri erant: alii vero juxta leges, & patrias Indorum Malabarensium consuetudines jus dicere, litesque dirimere debebant; præsertim controversias solvere, circa gradus propinquitatis pro Matrimoniis firmandis, vel dirimendis; Censurarum insuper causas, & Excommunicatorum crimina, & facta perpendere, atque discutere; & siquæ alia essent majoris momenti expedire. Qua occasione inquisitum fuit in quemdam Senem Cassanarium, qui Exorcistam agens, Dœmones levi cujusdam parvi tintinnabuli pulsu, ab energumenis propellebat; atque inventum fuit, id non virtute Divina, sed Dœmoniaca ab ipso fieri.

V. Tan-

(a) Pagode significat Templum Idolorum; eodem nomine vocantur etiam ipsa Idola.

Digitized by Google

V. Tandem dimissi sunt etiam Vicarii in suas Parœcias; quos omnes Archiepiscopus opportunissimis monitis spectantibus ad rectam muneris, quod ipsis committebatur, administrationem, communivit; dedit etiam singulis Rituale lingua Syriaca exaratum pro administratione Sacramentorum; Catechismum Idiomate vernaculo Malabarico scriptum; lapideas Aras consecratas; Pyxides continentes multiplex Sacrum Oleum; Vestimenta Sacra, & Cottam, sive superpelliceum; prius enim, si Sacrificium tantum excipias, quæcumque alia sacra munia vulgari veste induti peragebant. Sic tandem completa fuit Synodus Diamperitana die XXVI. Junii Anno MDXCIX. Synodo vix celebrata, ob res bene gestas alacer Menessius, ad novam illarum Ecclesiarum inspectionem, easque iterum obeundas, se comparavit.

§.II.

Obit secundo Menessius Ecclesias Malabaricas, ut eas ad præscriptum Synodi reformet, & quomodo à Populis excipiatur. Sacræ Exomologesis peragendæ publicum edit exemplum. Libros castigat, & Synodi Decreta recitari curat I. *Sacramenta ministrat, & ad rudium Catechesim incumbit* II. *Œconomos Ecclesiis, Confessarios fidelibus designat; quotidie concionatur, scandalis præcavendis ac pravis moribus eliminandis studet* III. *Ad perseverandi constantiam Populos hortatur: super valetudinarios Evangelia Sacra legit: demum discedit* IV. *A Diamperitana incipiens, reliquas perlustrat Ecclesias, atque Goam, novo illis constituto, & inaugurato Episcopo, regreditur* V.

I. SIcuti primam inspectionem Ecclesiarum instituit Menessius, quo eorum Christianorum errores pernosceret, ita secundam aggressus est, ut tanquam providus Pastor exacta eorum, quæ celebrata Synodus præscripserat executione, devios in veritatis viam reduceret. In hoc secundo per Diœceses excursu, hunc sibi perpetuum constantemque jussit tenorem. Principio Nuncium de proximo suo adventu ad Populos mittebat; adventantem excipiebant Christiani omnes publica supplicatione instructa, lætissimas agentes choreas, & more gentis felicem sortem concinentes, quod ipsis primævæ fidei lux reddita esset per Romanum Pontificem, & Alexium: qui inter Cassanarios Chaldaice Psalmos canentes, ad Ecclesiam adducebatur; ad cujus valvas expletis, quæ Rituale præscribit de ingressu Antistitis, Populo a Deo bene precatus, ac Indulgentia, & pœnarum remissione concessa, brevissimo alloquio de adventus ratione Populum commonebat, atque sub Anathemate libros Chaldaicos, & Syriacos altero die ad Ecclesiam afferri jubebat, necnon adduci baptizandos quoslibet, sive è Pagis, sive è Silvis; demum Excommunicatos, qui spe veniæ dejecti, ceterorum societate privati, instar pene Belluarum, mon-

Digitized by Google

montes tantum, ac tesqua colebant, ad veniam absolutionemque benignissime invitabat.

Ut Ecclesia excedebat, ægrotos invisebat ipse, aut alios suo nomine ad eos invisendos, & munusculis reficiendos mittebat: sub noctem accersebat Cassanarios, & optimates Oppidi, per quos rerum, morumque statum sagacissime investigabat. Proxima die sub Auroram Ecclesiam adibat, sacrum celebraturus, atque coram frequentissima utriusque sexus corona, animi noxas confessione expiabat, & post ipsum ceteri eum comitantes Presbyteri; quo fiebat, ut illæ gentes, quibus arte Dœmonis atque astutia, Sacramentum Pœnitentiæ horrori pridem erat, tanti Antistitis exemplo, illud jam ut maxime necessarium agnoscerent, & ut summe proficuum ex animo amplecterentur. Oblato deinde Sacro, in Sacrario, aliove opportuno loco, una cum P. Rozio, ac tribus Cassanariis Libros Chaldaicos, & Syriacos inspiciebat, & qui correctionem pati poterant, ad præscriptum Synodi castigabat, qui vero secus, coram omnibus flammis tradebat. Publicæ deinde supplicationi pro defunctis, præludebat brevi sermone differens de articulo Purgatorii, atque mediis, per quæ ejus ultrices flammæ evadi possunt, præsertim de Divino Sacrificio; cujus rei tenuissimam retinebant illi Christiani cognitionem, eamque pluribus erroribus commixtam. Deinde per sesquihoram & frequenter ultra, de rebus fidei, ac de obedientia Summo Pontifici præstanda, & sane, prout rerum dignitas, ac necessitas postulabat, pro concione loquebatur. Recitabantur postea, quæ ipsi videbantur, cuilibet Pago opportuniora Synodi Decreta; Cassanarii etiam, & Chamazes, qui Synodo non interfuerant, coram ipso professionem fidei emittebant, & Synodo obedientiam, interposito Sacramento pollicebantur, omnibusque Vicarium recens designatum magnopere commendabat, inculcabatque, ut ipsum tanquam proprium Pastorem colerent, ejusque monitis obedirent.

II. Aliqua exinde præfatus, de Sacramento confirmationis, ipsiusque virtute, quos Sacra unda tinctos comperiebat, Chrismate, ut pro fide strenue, valideque decertarent, inter strenuos Christi Milites conscribebat. Infantes Sacro fonte abluebat; quos inter, non paucos adolescentes, decimum, quinimmo decimum quintum annum agentes; se ipsi etiam sistebant plures Naires, veram amplexuri Christi Religionem. Nec sinebat, dum ad Ecclesiæ Xistum baptizaturus, aut solennem supplicationem per vias habiturus accederet, occasionem vel minimam sibi elabi, increpandi, coarguendique obstinationem Nairum, atque Brachmanum, quorum præ curiositate, eo contendebant frequentissimæ turbæ; idque faciebat tanta animi contentione, spiritus libertate, verborum efficacia, atque dexteritate, ut quamquam vel Idola eorum derideret, vel obscuratæ mentis insaniam improbaret, avide nihilominus, placideque auscultaretur.

Collato confirmationis, & Baptismi Sacramento, sponsos, siqui adessent, Matrimonio rite copulabat; nec id peragebat, nisi ipsi Pœnitentiæ prius beneficio expiarentur: atque optimatum complures sibi decori ac honori dabant: si occasionem, qua per Menessium conjungerentur, nancisci

possent

Digitized by Google

possent. Sedente illo, Chamazius quidam, qui sibi à *Catechismo* erat, pueros Doctrinam Christianam Idiomate Malabarico edocebat; post Catechesim, excommunicatos, si qui erant, à censuræ vinculo solvebat, iisque æquas criminibus pœnas irrogabat; exinde se in domum recipiebat, corpus, viresque refecturus, idque pomeridiano tempore, eoque vesperi, quam Meridiei proximiori.

III. Sequenti exoriente Luce, actutum in Ecclesiam concedebat, ubi coactis Cassanariis, & Populo, quatuor Oeconomos latis suffragiis electos, Ecclesiæ illi deputabat, qui sartis tectis, ceterisque rebus gerendis operam impenderent; deinde arca, in qua servabantur pecuniæ à pietate fidelium in pios usus tributæ, ab humo refossa (mos erat, ut in qualibet Ecclesia hujusmodi arcæ humi altius infoderentur, nec nisi emenso seculi dimidio, aut etiam ultra reserarentur) numeratam pecuniam illis quatuor custodiendam tradebat, qui dati, acceptique rationes ducentes, opportuno tempore eam vel in res Ecclesiæ sarciendas, vel inopum indigentiam sublevandam, vel denique in orphanos alendos, aut etiam Virgines Matrimonio conjungendas erogabant.

Egressi postea ab Ecclesia, in illius propylæo una cum Archidiacono congruos Vicario, & Cassanariis proventus (*a*) assignabant, ut à Synodo sancitum fuerat; cujus gratia ollæ subscribebantur à Populo, & Archiepiscopo; qui interea adjunctis sibi nonnullis Patribus Societatis Jesu, Cassanarios, qui tunc minus inepti in scientia morum comperiebantur, excipiendis confessionibus delegabat. Quotidie post Missæ celebrationem pro concione de doctrina fidei amplectenda, atque vetustis erroribus execrandis, magno animi ardore agebat; quotidie etiam sub noctem, convenientibus Archidiacono, & P. Rozio, ad eliminanda, impediendaque scandala Pagi, pravas, diuque inolitas consuetudines, maxime circa res fidei extirpandas, flagitiosos homines a morum pravitate, vitiorumque colluvie revocandos totis viribus incumbebat. Altero die postulationes audiebat, & lites dirimebat. Totus insuper erat pauperibus, ut nuper dictum est, in Orphanis, & Virginibus alendis, erudiendis, ac decenter collocandis.

IV. Discessu tandem imminente, cunctis ad Ecclesiam accurrentibus, denuo verba faciens, enixe eos hortabatur, ut in accepta vera fide, atque obedientia Vicario debita constanter perseverarent, & ad præscriptum Synodi omnia gererent. Postea solenni benedictione impertita, ad manus osculum pro more gentis, admittebat, primum viros, ac deinde sequioris sexus personas. Tandem si qui erant senes, Valetudinarii, aut parvuli, erant autem sæpe numero plures, qui manuum impositionem recitatis Sacris Evangeliis, expeterent, omnibus singillatim per plures etiam horas patienter, immo alacriter, eorum commendans fidem, singulorum votis, ac petitionibus indulgebat. Discedentem vero omnes certatim, nec sine ingenti amoris significatione comitabantur, vel ad Navim, vel saltem

(*a*) Ad præscriptum Synodi tercentum *Fanones* pro cujuslibet Ecclesiæ Vicario assignabantur: est autem *Fanon* monetæ argenteæ genus vilioris æstimationis Julio Romano, aut Regali Hispano, equivalens duodecimæ parti *scusi*.

Digitized by Google

tem ad confinium usque Pagi, aut Vici, unde discedebat: cui denique, accepti beneficii memores, qua lætis plausibus, qua obortis prægaudio lacrymis, cuncta fausta apprecabantur, atque vale dicebant.

V. Indefesso igitur, atque hilari animo Ecclesias Angamalensis Diœcesis obivit, inspexit, ac reformavit, exordium sumens a Diamperitana, ac deinde perlustrans ceteras, nequicquam obsistentibus Regulis, atque perversis Nestorianis, quorum pervicacia fuerat tot seculorum decursu deformata, Catholicam illi fidem restituit, Populos ad avitam Romani Pontificis obedientiam revocavit, Synodique quam celebraverat, monita, ac salutaria documenta, auspice Deo, eorum mentibus impressit, animis infixit, atque ad præscriptam à Synodo normam illorum mores instituit.

Postquam Inspectoris muneri ingenti cum laude, & animarum fructu satisfecit, regressus est Goam die 16. Novembris anni 1599. cum ab ea digressus esset 27. Decembris anni præcedentis. Cum autem eum hæc maxime angeret cura, an Synodus usu recepta esset, de qua re, ut certiorem ipsum facerent, Vicariis præscripserat, atque inculcaverat, jucundissimum ab illis nuntium accepit, omnia ex voto ipsius contingere, ac præsertim (quod ipsi cordi erat, quamquod maxime) præceptum Sacramentalis Confessionis, & Communionis plurimum invaluisse, & Sacramenta hujusmodi statis temporibus in communi usu esse; id quod fuit ipsi testatissimum ex catalogis nominum ad ipsum transmissis, ex quibus compertum habuit, per paucos Paschali præcepto non satisfecisse.

Gaudium hoc ipsi cumularunt literæ parvo interjecto tempore acceptæ a Summo Pontifice Clemente VIII. per quas eidem & Apostolicam impertiebat benedictionem, & humaniter significabat, Deo sibique gratissimam fuisse synodi celebrationem, & operam sane egregiam in rebus Synodi usu constabiliendis, strenue collocatam; reliquum esse, ut omnia pro voto cederent, & Catholica Religio copiosum inde proventum reportaret. Typographicam etiam officinam, ut Ecclesiastici libri Chaldaice cuderentur, transmisit. Acta insuper cuncta roboravit, confirmavitque. Designavit etiam in Episcopum Angamallensem, & Goensis Archiepiscopi suffraganeum, laborum ejus, atque vigiliarum consortem P. Franciscum Roz Societatis Jesu Alumnum, virum insigni, probatoque zelo, qui Christianos Divi Thomæ, hac illac per totam Indiam dispersos, ad novam capessendam viam, atque vitam, voce instrueret, spiritus fervore accenderet, exemplo alliceret, ac roboraret. Quo in munere partem omnem implevit Rozius; cuncta enim ad incrementum cultus Divini, errorum eversionem, imbuendosque vera pietate animos mira suavitate, ac prudentia composuit. Ad quem finem celebrata fuerat Diamperitana Synodus, omnium calculis comprobata, & quæ fuit prout hic jam subnectitur.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODUS

Diœcesana Ecclesiæ, & Episcopatus Angamalensis Antiquorum Christianorum Sancti Thomæ in Montanis de Malabar Indiæ Orientalis.

A REVERENDISSIMO DOMINO

F. ALEXIO DE MENESSES

Archiepiscopo Metropolitano Goensi, Indiæ, ac partium Orientalium Primate celebrata, auctoritate Sanctissimi Domini Clementis PP. VIII. tertia die Dominica post Pentec. 20. Junii anno 1599. quo tempore Sedes Episcopalis vacabat, cujus Synodi sessiones habitæ sunt in Ecclesia omnibus SS. dicata, in Oppido & Regno de Diamper sub Ditione Regis Ethnici de Cochim; ibique summo Pontifici Romano obedientia exhibita fuit, & omnes illius Diœceseos Christiani Romanæ Ecclesiæ Primatum, ac potestatem professi sunt. (*a*)

PUBLICATIO

Et Indictio Diamperitanæ Synodi.

On Frater Alexius de Menesses Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia Archiepiscopus Metropolitanus Goæ, Indiæ & partium Orientalium Primas &c. Rev. in Christo Patri Georgio Archidiacono Episcopatus Regnorum de Malabar ad Montana Christianorum Sancti Thomæ, & omnibus aliis Sacerdotibus, *Cassanariis*, Diaconis, & Subdiaconis, cunctisque Populis, *Pagis*, Oppidis, & locis, & omnibus Christianis

(*a*) Synodus hæc typis excusa fuit Conimbriæ apud Didacum Gomez Loureyro Universitatis Typog. cum permiss. S. Officii & Ordinarii, anno 1606. Lusitano Idiomate.

Digitized by Google

stianis dicti Episcopatus; salutem in Jesu Christo Domino nostro: Notum sit omnibus, & singulis, qualiter SS. Pater Clemens PP. VIII. Pontifex Romanus, & Jesu Christi Domini nostri in terris Vicarius, & modo Dei Ecclesiæ Præsidens, binas ad nos direxit literas in forma Brevis, quarum una sub die 27. Januarii An. 1594. altera vero 21. Januarii Anni proxime præteriti 1597. subscripta fuerat, quibus & munere Pastoralis officii, & universalis potestatis, quam super omnes Mundi Ecclesias à Christo Domino, illa suprema, Sancta, & Apostolica Divi Petri Cathedra accepit, nobis præcipiebat, ut hujus Ecclesiæ vacantis ob mortem Archiepiscopi Mar-Abrahami curam gereremus; utque nullo umquam pacto, Episcopum aut Præsulem a Babylonica Sede tali Ecclesiæ designatum, prout hucusque factum fuerat, reciperemus, eo quod omnes essent Schismatici, Hæretici Nestoriani, & extra obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Babylonico Patriarchæ, ejusdem hæresis antesignano subjecti. Insuper ut in eadem Episcopali Sede Gubernatorem, & Vicarium Apostolicum institueremus, qui rebus spiritualibus, ac temporalibus præesset, quousque Sancta Romana Ecclesia prædictæ Episcopali Sedi proprium Pastorem designaret. Quæ munera nobis, Apostolica auctoritate demandata, ut debita submissione, & obedientia exequeremur, statim ac fuit vita functus prædictus Archiepiscopus Mar-Abrahamus, curavimus Gubernatorem illius Ecclesiæ virtute litterarum Apostolicarum instituere, eumque mittere ad dictæ Ecclesiæ possessionem capiendam. Id quod aliis titulis nostri muneris erat: primo quia talis Ecclesia Capitulo (quod sede vacante ipsam regeret) destituta erat; deinde quia ea res ad Metropolitam Indiæ, & omnium Ecclesiarum in partibus Orientalibus Primatem attinere videbatur. Verumtamen cura, & labor omnis fructu caruit; & quamvis multis variisque tentatis viis hac in re per integrum biennium laboraverimus, omnia quæ nos decrevimus, etiamsi illis mandatum Sanctissimi Patris Romani Pontificis multum ponderis adderet, optatum exitum sortita minime fuerunt. Altas enim vero in ea Diœcesi Schisma, & contumacia adversus Apostolicam Sedem radices egerat: itaut nec nostris, nec Pontificis præceptis ullo pacto obedirent; immo plura indies contra S. Rom. Ecclesiæ obedientiam debitam non levia facinora perpetrarent. Postquam vero causam hanc adeo implicatam, totque impedimentis involutam Deo enixe commendavimus, idque ab omnibus pariter hujus Diœcesis Incolis fieri jussimus, diu deliberavimus, & mature perpendimus, quanam via executio mandatorum Apostolicorum obtineri posset. Vehementer nos commove-

bat

Digitized by Google

bat commiseratio gentis illius, cujus magna pars a tempore, quo ipsi S. Apostolus Thomas Evangelium promulgaverat, ad hæc usque tempora in Christi Domini fide constans perseverabat, in ipso infidelitatis gremio, & in tanta Christianorum illorum dispersione, cum diversas Regiones incolerent, & eas quidem ditioni Regum Idololatrarum subjectas, quodque cumulum addebat sine ulla cum reliquis Christianis communicatione, quæ plane a primis illis temporibus interrupta fuit, usque dum Lusitani huc pervenerunt.

Post diuturnam deliberationem tandem, ne quos gloriosus Apostolus Thomas suis sudoribus irrigaverat fructus Catholicæ doctrinæ, deficiente alimento penitus arescerent, utque Apostolica S. Sedis mandata executionem haberent, decrevimus a nostra Ecclesia discedere, relictis ibi idoneis Ministris, qui vices nostras supplerent, & dictam Diœcesim adire, ut de rebus ad Montensem illam Ecclesiam pertinentibus cognosceremus; ratio sic decernendi nobis fuit, ut experiremur an per nos præsentes, aspirante divina gratia, fieri posset, ut gens illa ad obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ redigeretur, hæresesque, ac falsæ doctrinæ, quas Præsules Schismatici ab eorum antesignano Patriarcha Babylonensi illuc missi superseminaverant, penitus eradicarentur, libri pariter erroribus pleni, qui circumferebantur eliminarentur, quæ omnia facilius nos consecuturos esse sperabamus, si per nos ipsos pastoralia munera exercentes, viribus divinæ gratiæ, & divina ope adjuti, Populis illis veritates Catholicas inculcaremus, eosque veræ, ac salutaris doctrinæ pabulo, quo maxime carebant, nutriremus.

Accessimus ergo ad dictam Diœcesim, rerum omnium ad Christianos illos pertinentium inspectores, & cognitores fuimus. Nihil vero non movit Dœmon salutis nostrarum animarum hostis infestissimus, ut nostros pios conatus, laboresque eluderet. Maximas turbas, contentiones, tumultus excitavit, & eo redacta res fuit, ut quamplures a nobis discesserint, & Sancta Ecclesia Romana novo schismate proscissa fuerit. At Deus suæ bonitatis memor, nostrorumque criminum immemor, nos, post multos toleratos labores a periculis omnibus liberavit, suaque bonitate, & clementia, qua non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, tum etiam intuitu meritorum Sancti Apostoli Thomæ primi horum Christianorum Magistri, & Protectoris, tempestatem illam in pacatissimam vertit tranquillitatem. Omnibus itaque lux veritatis affulsit: quamobrem nobis adhæserunt, fidem Catholicam professi sunt, nobisque morem gerentes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium redierunt.

Ob

Digitized by Google

Ob quæ beneficia, maximas, ut par erat Deo gratias egimus, utque iis diu Christiani illi fruerentur, & ea quæ ad Dei gloriam peracta fuerant, rata, & firma permanerent, nobis maxime salutare, & opportunum visum fuit, Synodum Diœcesanam commodiori in loco, atque adeo in meditullio Diœcesis quamprimum indicere, ubi quæ ad Dei honorem, fidei catholicæ augmentum, vitiorum scelerumque extirpationem, Christianorum quoad mores reformationem, animarum denique utilitatem, & pacem opportuna forent, pertractarentur. Ne igitur consilium adeo salutare differremus, Ecclesiam, & locum de Diamper præeligentes, omnibus & singulis Christianis hujus Diœceseos, tam Ecclesiasticis, quam Laicis cujusvis status, & conditionis existant, notam facimus indictionem, & convocationem hujusmodi Synodi in dicto loco de Diamper peragendæ *die* 20. *proximi mensis Junii* currentis *anni* 1599. quæ erit Dominica tertia post Pentecosten. Insuper præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Rev. hujus Episcopatus Archidiacono, & omnibus aliis Sacerdotibus ejusdem, legitime ob valetudinem, ætatem, vel alio inevitabili officio non impeditis, ut *die* 20. *Junii* adsint, ut ab iis nobiscum congregatis prædicta Synodus Diœcesana, juxta Sacros Canones celebretur. Et quia ex consuetudine immemorabili, à primis usque temporibus inducta, & ab ipsis Ethnicorum Malabaricis Regibus permissa, etiam ea omnia, quæ propria sunt regiminis temporalis, & causæ ipsæ etiam (*a*) Civiles, ad Ecclesiam, ejusque Præsulem pertinent: & quia non minus antiqua viget consuetu-

(*a*) Quoniam plures Acatholici, cum quibus Justus Henningius Bohemer *De Jure Protestan.* & Petrus Giannone *Hist. Civil. Reg. Neapol. tom.* 1. *pluribus in locis*, sæcularium litium cognitionem Episcopis priorum sæculorum præfracte abjudicant, ut Romanam præsertim Curiam de usurpatione coarguant, opportune Ecclesiæ Angamalensis immemorabilem, quæ hic laudatur, consuetudinem ab usque priscis temporibus objicimus; & quidem ineluctabili Augustini testimonio & exemplo. Testimonio: etenim locum 1. *Corint.* 6. de judiciis primorum Christianorum ita interpretatur *Psal.* 118. *Serm.* 24. *dicere non audemus, dic homo quis me constituit Judicem inter vos? Constituit enim talibus causis, Ecclesiasticos Apostolus cognitores; in foro prohibens jurgare Christianos. Et de opere Monac. c.* 29. hæc scribit: *Quibus nos molestiis* (causas secularium dirimendi) *idem affixit Apostolus non utique suo, sed ejus qui per eum loquebatur arbitrio* (id juris a Deo legislatore derivat). Quod etiam exemplo suo roboravit S. Doctor asserens ibidem ista; *Quantum attinet ad meum commodum, mallem*, (in Monasterio) *manibus operari, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis*. Quo liquet contra quod ajebat Giannonius, non tantum per arbitros, lites ab Episcopis definitas esse. Et *Epist.* 33. blandas litigantium salutationes, & ficta officia depingit: *Et homines quidem causas suas seculares, apud nos finire cupientes, nos Sanctos, & Dei servos appellant, ut in gotia terra sua peragant*. Vide etiam *Epist.* 251. Hoc etiam iterum subigetur infra *Act.* 9. *Dec.* 16.

Digitized by Google

ſuetudo notificandi Populo, quæ Eccleſia decrevit, ut ea melius exequantur ſub eodem præcepto, & cenſuris omnibus Chriſtianis locorum, & Pagorum, vel ubi loca hujuſmodi circumſcripta, & ſuis limitibus definita non exiſtunt, omnibus, qui in aliqua Eccleſia convenire ſolent, tamquam ad ipſam pertinentes, præcipimus, & mandamus, ut ſtatim ac hoc noſtrum mandatum ad eorum notitiam pervenerit, quilibet Pagus, vel Communitas quatuor ex honeſtioribus timoratæ conſcientiæ, & rerum gerendarum experientia aptioribus eligat, ut Populi ſui nomine, Synodo interſint, & facultatibus ſufficientibus inſtructi, omnium nomine acceptare, ſubſcribere, conſulere, obligarique poſſint ad ea, quæ Synodus ſtatuerit adimplenda; præterea expoſcere, & proponere valeant quidquid ad Dei Synodum, & rerum ſpiritualium, & temporalium profectum erga Populos, & Chriſtianitatem expedire judicaverint.

Per has eaſdem noſtras Literas facultatem concedimus omnibus & ſingulis, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, qui lites, querelas, diſſenſiones, competentias, petitiones, vel res alias contentioſas præ manibus habent, quæ per Præſulem, aut Chriſtianos determinari debent, ut eas Synodo proponant, & coram ipſa libere poſſint, quod ſibi viſum fuerit, poſtulare; in omnibus enim audiendis facilem ſe præbebit Synodus, & juxta Sacros Canones, & conſuetudines, quæ in ſingulis territoriis vigent, quod æquum juſtumque fuerit, decernet. Et quia nobis conſtat, plura litigia in dicta Dioeceſi in dies excitari, quæ ſunt frequentium diſcordiarum ſemina; non tantum facultatem facimus; verum etiam præcipimus, & mandamus omnibus, qui in hiſce controverſiis verſantur, ut aliis prætermiſſis recurſibus, qui plerumque in Chriſtianorum præjudicium cedunt, interea temporis hanc viam ſanctam, & juſtam ineant. Ut tamen omnia ad optatum finem perducantur, illud in primis opus eſt, nempe divinam gratiam, & auxilium implorare à Deo, à quo bona cuncta procedunt, & ſine quo nihil boni poſſumus, utque multorum precibus Clementiſſimus Deus reddatur nobis propitius, laudabilem Sanctorum Patrum, veterumque Conciliorum conſuetudinem ſectantes, monemus, plurimumque in Domino commendamus cunctis Chriſtifidelibus iſtius Dioeceſeos, ut à tempore potiſſimum, quo Synodus exordium ſumet, quouſque finiatur, jugiter, corde puro, & mundo, in jejuniis, eleemoſynis, orationibus, aliiſque pietatis operibus ſeſe exerceant, Dominum inſtantiſſime deprecantes, ut omnium mentes congregandorum illuminet, & noſtras ſuo amore voluntates inflammet, ut in nullo ex agendis deviemus à vero, & quæ

fue-

Digitized by Google

fuerint decreta efficaciter executioni mandentur, & custodiantur per intercessionem Sanctissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ, de cujus honore & gloria (a) singulariter tractaturi sumus, & gloriosi Apostoli Divi Thomæ Institutoris, Patroni, & Protectoris Christianitatis hujus, omniumque Cœlicolarum, ut cunctorum pace, & concordia incipiat, & progrediatur Synodus, & ad Dei æternam gloriam honorem, & laudem finiatur. Postremo jubemus hoc nostrum mandatum, & convocationem Synodi Diœcesanæ, promulgari coram Populo in singulis istius Episcopatus Ecclesiis prima Dominica, quæ proxime sequitur, postquam notificatum fuerit omnibus Cassanariis ipsarum, ulterius valvis ipsarum Ecclesiarum affigi, & manere affixum., ut ad omnium notitiam perveniat, & debitam executionem sortiatur. Datum Chanottæ die 14. Maii sub nostro, & publico Sigillo nostræ Cancellariæ. Andreas Cerqueira Notarius Cameræ Illustrissimi Domini Archiepiscopi Primatis scripsit Anno Æræ 1599.

Frater Alexius Archiepiscopus Primas.

ACTIO I.

I. IN Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti: anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDXCIX. die XX. Mensis Junii, Dominica III. post Pentecosten., Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Clementis PP. VIII. anno VII. Regnante in Lusitania ejusque Dominiis Rege Catholico D. Philippo II. Portugalliæ, Algarviorum, & Mallucarum Rege, ejusque Regni anno I. moderante Indiæ Orientalis statum ipsi Regi subjectum, Illustrissimo D.D. Francisco de Gama, Comite de Vidigueira, Classis Præfecto Indiæ, ejusque Prorege, in loco de Diamper, Ethnici Regis de Cochin ditioni subjecto, in Ecclesia omnibus Sanctis dicata, Episcopatus Angamallensis in Montanis Malabaris, ubi degunt Fideles, qui Christiani Sancti Thomæ appellantur; Sede vacante ob mortem Archiepiscopi Mar-Abraham, congregata fuit juxta Sacros Canones Synodus Diœcesana, ab Illustrissimo, & Reverendissimo D.D. Fratre Alexio de Menesses Archiepiscopo Metropolitano Goæ, Indiæ, & partium Orientalium Primate, cum omnibus Presbyteris, & Cassanariis dicti Episcopatus, & cum electis

(a) Quod eo dicit Alexius, quia adversus errores Nestorianorum illorum, asserenda erat Beatissimæ Virg. Mariæ, non solum Maternitas Christi, quam ultro fatebantur, sed etiam quod fuerit *Theotocos* seu Mater Dei, quod mordicus obstinateque negabant.

Digitized by Google

ctis Populorum, & Pagorum ipsius, multisque aliis ejusdem *Christianitatis* ad laudatam Synodum, per Illustrissimum Metropolitanum convocatis; & primum plurimis gratiis Deo actis, eo quod turbæ, & contentiones, quas Diabolus humani generis hostis, ne Synodus celebraretur, excitaverat, amicabili pace, & concordia compositæ fuissent; cunctis etiam præ gaudio exultantibus, quod tandem licuerit ad pertractandum de servitio Dei, sinceritate fidei, & bono *Christianitatis*, animarumque, eos in unum congregari; Illustrissimus Archiepiscopus Pontificalibus indutus ornamentis, Missam *Ad tollendum Schisma*, prout in Romano Missali continetur, celebravit; habita deinde concione ad Populum, & Sacro peracto, cum vestes Pontificales reassumpsisset, *Officium ad incipiendum Concilium*, juxta præscriptum Ceremonialis Romani peregit, quibus finitis, in faldistorio sedit, & considentibus aliis ad Synodum convocatis, tum Ecclesiasticis, tum Secularibus, & singulorum Populorum electis, facultatem a Communitate habentibus, Cœtui universo notum fecit, se præsentem Synodum celebrare auctoritate munitum duorum Brevium SS. Patris Clementis PP. VIII. D. N. quibus regimen istiusmodi Ecclesiæ ob mortem Archiepiscopi Mar-Abrahami, quandiu proprius illius Præsul & Pastor non eligeretur, sibi commendaverat. Id etiam alio titulo ad se spectare juxta sanctiones canonicas, cum Archiepiscopalis Sedes vacaret, & Ecclesia ipsa Archiepiscopalis, ipsius suffraganea, orbata esset Capitulo; atque ipse Metropolitanus esset, & totius Indiæ, cunctarumque partium Orientalium Primas: literis etiam Apostolicis, quæ exacte fuerant Malabarice redditæ, lectis, explicatis, & reverenter obsequenterque admissis, iterum dixit Dominus Metropolitanus, sibi utpote in Idiomate Malabarico peregrino, opus esse aliquo viro probato, & in re Ecclesiastica versato, qui tam ea, quæ ipse in Congregationibus diceret, quam quæ sibi dicerentur, vernaculo sermone utrinque fideliter redderet.

II. Et statim communi omnium consensu electus fuit ad id muneris, Jacobus Presbyter, Cassanarius Ecclesiæ de Pallurti ejusdem Episcopatus, Lusitanica, & Malabarica lingua doctus; cui ad se vocato, & accedenti, commisit Dominus Metropolitanus, ut officium Interpretis in Sacra Synodo adamussim impleret; quapropter ab ipso coram omnibus, Sacramentum exegit tactis Sanctis Evangeliis, quo Deum adhibens Testem promisit, se bene & fideliter munus suum gesturum, itaut sincere referret, & quæ ipse Dominus loqueretur cum adstantibus in Synodo; & quæ alii loquerentur cum ipso, nihil addendo, vel detrahendo de substantia, & veritate di-

 cen-

cendorum: insuper se fideliter, quod pariter sui muneris erat, lecturum Decreta, & sanctiones Synodi in Congregationibus; quæ omnia lingua Malabarica scripta erant, & quia *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, ut ipsa testatur (*a*) veritas, ipsi Jacobo Cassanario Interpreti pro ampliori securitate, adjuncti fuere ab ipso Rev. Metropolitano RR. PP. Franciscus Roz, & Antonius Toscano è Soc. Jesu, Collegii de Vaipicota ejusdem Episcopatus Alumni, qui utpote Malabaricæ Linguæ peritissimi, exponenda ab Interprete perpenderent; & si quid minus apte Malabarice fuisset redditum, simul cum aliis extra consessum præsentibus, tum Indigenis, tum Lusitanis, utraque pollentibus lingua, ubi opus esset, corrigerent è vestigio, & emendarent.

DECRETUM I.

III. CUnctis igitur congregatis, Illustrissimus Metropolitanus sedens in Faldistorio, una cum ceteris, ad latera, ordine suo considentibus, dixit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, trium Personarum, & unici veri Dei. Amen. Placet ne vobis Fratres carissimi, & Ven. Sacerdotes filii mei, in Christo dilectissimi, Electi, & Procuratores Populorum, ad laudem, & gloriam SS. & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ad augmentum, & exaltationem Fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ, in hoc Episcopatu Montensi, ad destructionem hæresum, & errorum, quos in eo Hæreticorum, & Schismaticorum aliqui seminaverunt; librorumque a falsis doctrinis, quæ ab illis in hujusmodi libris scriptæ sunt, expurgationem; ad restaurandam perfectam istius Ecclesiæ, cum Catholica, & Universali unionem; ad redintegrandam obedientiam debitam Summo Pontifici Romano, Universalis Ecclesiæ Pastori, D. Petri in ejus Cathedra Successori, & Christi in terris Vicario, à quo jam dudum ipsa discessit, ad Simoniacam labem, quæ in hac Diœcesi invaluit eradicandam; ad rectam administrationem Sacramentorum, & ipsorum usum necessarium in Ecclesia, in posterum restituendam; ad rerum Ecclesiasticarum, Cleri, & morum totius Populi Christiani hujus Diœcesis reformationem, Synodum Diœcesanam in Montanis celebrari?* Et dicto ab omnibus, auditoque, *Placet*, iterum *dixit* Reverendissimus Metropolitanus.

IV. *Dum ergo vobis placet, Ven. Fratres, & filii in Christo dilectissimi, Synodum incipere, deprecantes Deum, à quo bona cuncta procedunt, oportet, ut ea quæ sunt pertractanda, tum de pertinentibus*

(*a*) Matth. cap. 18. v. 16.

bus ad Catholicam fidem, tum etiam ad Ecclesias, Officia divina, Sanctorum Sacramentorum usum, & totius Populi in moribus profectum, peramanter, benigneque accipiatis, & deinceps auxilio divino obsequenter adimpleatis; & quæ emendatione digna videbuntur, fideliter unusquisque vestrum, Synodo aperiatis; quodsi præsentium alicui, quæ dicentur, vel tractabuntur displicuerint, procul ab omni contentionis umbra, personaliter coram omnibus mentem suam explicet; ut ita mediante gratia Divina, res discuti possint (quod unice præ oculis habere debemus) & in pristinum, rectumque statum restituantur. Ita tamen ut in vobis nullum habeat locum contentio, & discordia; ad Justitiam & veritatem pervertendam, neque Christianus vigor, & solicitudo inquirendi, complectendique saniora consilia, languescat.

DECRETUM II.

V. PRæcipit Synodus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, ne ullus Ecclesiasticorum, vel Secularium, ex vocatis ad Synodum, & in ea existentibus, e loco Diamperitano, ubi Synodus celebratur, absque expressa Illustrissimi Metropolitani facultate discedat; neque id fiat, nisi post celebrationem Synodi, Decretis propria manu subscriptis, cunctisque licentia recedendi facta. Illud insuper præcipit, & enixe commendat, ut siquis ad laudem Domini nostri, & in commune bonum Christianorum hujus Diœceseos aliquid dignum, de quo in Synodo agatur, animo præconceperit, illud Domino Metropolitano, verbo, vel scripto, per interpositam Personam proponat, ut quod expedire videatur, decerni possit.

DECRETUM III.

VI. CUnctis præsentibus, & absentibus notum, manifestumque sit, nulli Populo sive Pago præjudicium futurum, quantum ad loci præeminentiam, eo quod Synodus in hoc loco de Diamper celebretur; nec Ecclesiæ, aut Personæ alicui ex ordine consedendi in Synodo; immo omnia jura, & privilegia, sicut antea, cuivis integra, & in suo robore permansura; quod si super iis aut alia re consimili, aliquod suboriatur dubium, Dom. Metropolitano exhibeatur, ut partibus auditis, pro justitia decernat.

DECRETUM IV.

VII. CUM præ oculis habeat hæc Synodus, (a) *quodlibet donum esse à Deo, & omne donum perfectum descendere à Patre luminum*, qui perfectam tribuit sapientiam, cum cordis humilitate eam postulantibus; & præterea *quod* (b) *initium sapientiæ sit timor Domini*, monemus, & mandamus omnibus Fidelibus Christianis, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus hic congregatis, ut sua peccata cum animi dolore confiteantur, & Sacerdotes sacrum celebrent; qui vero Sacerdotes non fuerint, Sanctissimam Eucharistiam suscipiant; à Domino devoto, & humili corde petentes optimum exitum rerum in Synodo pertractandarum. Ad eundem finem quotidie, durante Synodo duæ Missæ solenniter in Ecclesia cantentur; à Latinis una de Spiritu Sancto, altera à Syris de B. Virgine Maria Domina Nostra, de cujus honore & gloria peculiariter agendum est. Hæ Missæ celebrandæ erunt horis, quæ Congregationem non impediant; quæ Congregatio quotidie hora septima matutina inchoabitur. Insuper quotidie etiam post occasum Solis in Ecclesia solenniter, tum à Latinis, tum à Syris cantabuntur Litaniæ B. Virginis, cum ejusdem commemoratione.

DECRETUM V.

VIII. AD vitandas perturbationes, quæ excitari possent; neve detur locus contentionibus non necessariis, & præjudicialibus; præcipit Synodus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, ut dum fiunt Congregationes, & Synodales conventus, nullus sive Secularis, sive Ecclesiasticus audeat simul cum aliis, vel Secularibus, vel Ecclesiasticis convenire ad discutiendas res ad hanc Synodum, vel ad istam *Christianitatem* pertinentes, absque expressa Illustrissimi Metropolitani facultate: verum omnia, quæ pertractanda censuerint, palam, & in Congregatione proponant: excipimus autem illos Conventus à Populo fieri solitos, dum aliquid, de quo commune consilium audiri debet, occurrit, vel quæ fiunt ex mandato ejusdem Domini Metropolitani.

ACTIO II.

(a) Jacobi 1. v. 17. (b) Ecclesiastici 1. v. 16.

Digitized by Google

ACTIO II.

IX. DIE secunda, decantatis Antiphona, Psalmo, Orationibus, & Hymno, prout in Pontificali Romano habetur; Illustrissimus Metropolitanus in suo faldistorio sedens dixit: *Venerabiles & dilecti fratres Presbyteri; filii in Christo carissimi Procuratores, & electi Populorum; cum hesterna die vix nobis per tempus licuerit alia peragere, quam divinis precibus, & concioni habendæ ad Populum, incumbere, oportet hodie exordium sumere à rebus ad ipsam Synodum pertinentibus; & ab iis primum, quæ ad integritatem, & veritatem nostræ Sanctæ Fidei Catholicæ, ejusdemque professionem spectant; sed prius vos iterum monemus in Domino, ut omnia, quæ vobis vel restauranda, vel emendanda, vel in toto Episcopatu, vel in aliqua ejus parte, visa fuerint, nobis, vel Congregationi istiusmodi proponatis, ut omnia cum auxilio, & gratia Divina, vobis adnitentibus, ad optimum, quem optamus, statum perducantur, ad laudem Domini Nostri Jesu Christi.*

DECRETUM I.

X. UT quoad omnia Synodus Sacrorum Canonum Regulas teneat, & Sanctorum Conciliorum Generalium, Sacri potissimum Concilii Tridentini vestigiis inhæreat; ac probe cognoscens, id ab hac Ecclesia merito exigi, utpote in qua variæ opiniones adversus nostram Sanctam Fidem Catholicam insurrexerunt, variique errores ab Hæreticis, & Schismaticis fuerunt disseminati, præcipit omnibus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus ad ipsam vocatis, ut nomine non solum proprio, sed etiam totius Cleri, ac Populi professionem Fidei, & Juramentum per formulam hic adnexam in manibus Illustrissimi Metropolitani hujus Concilii Præsidentis, omnino præstent.

XI. Et statim in executionem hujus Decreti, utque exemplo se invicem accenderent, & alter alteri incitamento esset, Illustrissimus Metropolitanus vestibus Pontificalibus indutus, Mitra deposita, & ante Altare genuflexus, habensque ante oculos Sancta Evangelia, & Crucem, iisque tactis, proprio nomine, tamquam Præsul hujus Ecclesiæ hoc tempore Sedis vacantis, & Metropolitanus ejusdem; nomine præterea totius Populi Christiani istius Diœceseos, & singulorum omnium, tam Ecclesiasticorum, quam Secularium, sequens juramentum, & professionem fidei, quæ subinde cunctis adstantibus, fuit declarata, emisit.

Pro-

Digitized by Google

Professio, & Juramentum Fidei.

XII. *IN nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti, trium Personarum, & unius veri Dei. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi* 1599. *sub Pontificatu SSmi D. N. Clementis PP. VIII. ejusdemque anno septimo, in loco de Diamper Regnorum de Malabar Indiæ Orientalis, in Ecclesia omnibus Sanctis dicata, die* 21. *mensis Junii in Synodo Diœcesana hujus Episcopatus ad Montana, ab Illustrissimo, & Reverendissimo DD. Fratre Alexio de Menesses Archiepiscopo Metropolitano Goensi, Primate Indiarum, & partium Orientalium, Sede vacante ejusdem Episcopatus. Ego N. libere, & spontanee, nec aliqua violentia adstrictus, sed mero meo arbitrio, & pro Animæ meæ salute, & quia ita ex corde credo; protestor, me firma fide credere, & confiteri omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo utitur Sancta Mater Ecclesia Romana. Videlicet.*

XIII. *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem &c.* Deinde sequitur totidem verbis, fidei professio, ut habetur in Bulla Pii IV. *Injunctum nobis*. Dat. Romæ Id. Nov. An. 1564. usque ad illa verba inclusive: *Animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari*. Deinceps ita habet.

XIV. *Pariter affirmo fidelium justorum Animas ex hac vita migrantes, quæ hic pro pœnis, ob peccata debitis, jam satisfecere, & quæ per purgatorium tormentum, juxta beneplacitum & ordinationem Dei plenam satisfactionem exhibuere, & pariter, quæ post Baptismum nullum peccatum commiserunt, statim post mortem pergere in Cœlum, ubi vident Deum sicuti est. Exinde condemno, & anathematizo hæresim dicentium, justorum animas esse in Paradiso terreno usque in diem Judicii; Animasque damnatorum, non aliter torqueri, quam ex scientia tormentorum, quibus post Judicii diem punientur. Similiter confiteor, & affirmo, Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, & eorum Corpora, & Reliquias esse in terris venerandas: insuper Imagines Christi & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.*

XV. *Similiter Sacratissimam Virginem Mariam esse proprie, & vere Dei Matrem, & ita vocari debere a fidelibus, quia realiter, & vere peperit secundum Carnem, ac sine dolore, aut angore aliquo, verum Dei Filium, verum hominem factum, ipsa Virgine permanente an-*

Digitized by Google

te ante partum, in partu, & post partum, atque ipsam, nullam peccati actualis maculam contraxisse affirmo.

Confiteor etiam Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; & omnes quotquot ipsi non obediunt, hæreticas esse Ecclesias, Schismaticas, atque inobedientes Jesu Christo, ejusque mandatis, nec non Hierarchiæ Ecclesiasticæ ab ipso institutæ, ac demum extra æternam esse salutem.

Promitto, & juro veram obedientiam Papæ, seu Romano Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis Successori, & Christi in terris Vicario, totius Ecclesiæ Capiti, ipsius Doctori, & Magistro, Patri, Prælato, *& Pastori omnium fidelium: necnon confiteor, omnes quotquot Romano Pontifici Christi in terris Vicario non obediunt, tamquam inobedientes mandatis ipsius Christi, ab æterna salute excludendos.*

XVI. *Recipio, approbo, & confiteor, omni hæsitatione remota, omnes determinationes, diffinitiones, & declarationes in Sacris Canonibus, & Concilii Generalibus; ac præsertim in Sacrosancto Concilio Tridentino contentas. Pariter damno, rejicio, & anathematizo omnia ipsis contraria; atque hæreses quascumque, ab ipsis damnatas, rejectas, & anathematizatas, una cum Ecclesia damno, rejicio, & anathematizo; ac potissimum diabolicam, & perversam hæresim Nestorianorum, cum ipsorum perfido Duce Nestorio, ipsiusque pravis Magistris Theodoro, & Diodoro, cum omnibus Sequacibus præteritis, & præsentibus, qui à Satanæ seducti, & persuasi, duas in Christo personas, & duo supposita impie asserebant; affirmantes, Verbum Divinum non assumpsisse Carnem in unitatem Personæ, sed tantummodo per inhabitationem, & mansionem in ea fuisse tamquam in Templo; nec dicendum esse, Deum fuisse incarnatum; nec Virginem Mariam, vocandam esse Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi: quæ omnia rejicio, condemno, & anathematizo, tamquam diabolicas hæreses; immo credo, amplector, & approbo, quæ circa hæc Sac. Concilium Ephesinum I. ducentorum Patrum decrevit, & in quo ex mandato Romani Pontificis Cælestini I. præsedit B. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quem fuisse justum, & sanctum, Deoque gaudere omnino confiteor, quique eum blasphemant, extra æternam fore salutem.*

Similiter damno dicentes, de Christi Passione agendum non esse, nec de illa loquendum; immo id facere, esse injuriam Christo irrogare,

sed

Digitized by Google

sed credo, & confiteor, meditationes, & colloquia de Passione Christi maximum Fidelibus afferre proventum.

Pariter confiteor, & credo, quod sicut unus est Deus, una Fides, & unum Baptisma, ita una tantum est vera lex in tota, atque integra Christiana Ecclesia, quæ est lex Jesu Christi Domini Nostri, veri Dei, & veri Hominis: quam unam legem omnes Apostoli, eorumque Discipuli, & Successores unanimiter, & uniformiter prædicaverunt, & quam prædicamus, & confitemur in toto Orbe, & damno, ac rejicio inepte dicentes, aliam esse legem Sancti Thomæ, & aliam Divi Petri, atque esse omnino diversas: & nulla ratione inter se convenire; cum aliis omnibus erroribus, & hæresibus ab Ecclesia Matre rejectis.

Hanc veram Catholicam Fidem extra quam, &c. sequitur prout in laudata formula Piana usque ad ultima verba; quibus Professio Diamperitana adjunxit sequentia.

XVII. Spondeo itaque, voveo, & juro Deo, Cruci, & Sanctis Evangeliis, nullum me in præsens, vel in posterum in hac Ecclesia & Episcopatu Montensi, Episcopum, Archiepiscopum, Prælatum, *Pastorem, vel Gubernatorem admissurum, præter illum, qui a Sancta Sede Apostolica, per Papam, & Pontificem Romanum fuerit* immediate *constitutus; atque ipsi ita constituto, tamquam proprio, & vero Pastori, obedientiam præstiturum, omnino independenter, nulloque expectato consensu, aut nominatione a Patriarcha Babylonico, quem rejicio, damno, & anathematizo, tamquam Hæreticum Nestorianum Schismaticum, & extra obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & idcirco extra æternam salutem, necnon juro, & promitto, ipsi nunquam obedire, nec in aliquo cum eo communicare. Igitur omnia dicta, & promissa spondeo, voveo, juro, & consecro Deo Omnipotenti, & huic Sacrosanctæ Christi Cruci. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Amen.*

XXVIII. Qua protestatione, ac Fidei professione peracta, Reverendissimus Metropolitanus surrexit, & Mitra capiti imposita, in faldistorio sedit, accepitque Evangeliorum codicem, quem Cruci supposuit. Ad eum primus accessit Reverendus Georgius Archidiaconus illius Montensis Episcopatus, & coram eo genibus flexis, clara, & intelligibili voce, proprio Malabarico Idiomate, eandem fidei professionem emisit, Sacramento præstito in ejusdem Metropolitani manibus. Deinde cunctis Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & aliis Chamaziis inibi genuflexis, Jacobus Cassanarius de Pallurti, Synodi Interpres vernacula lingua Malabarica, eam fidei formulam protulit, eandem singulis de verbo ad verbum

Digitized by Google

bum repetentibus. Qua formula absoluta, omnes singillatim in manibus Metropolitani juramentum præstitere, qui ab unoquoque eorum quæsivit, num firmiter crederet omnia, quæ in ea formula continebantur; & insuper quidquid Sancta Mater Ecclesia Romana credebat, & confitebatur; & num rejiceret quidquid ipsa rejiciebat? An etiam anathematizaret perversam Nestorianorum hæresim, cum eorum erroribus, ejusque Authores, & Fautores Nestorium, Theodorum, & Diodorum, cum ipsorum asseclis; insuper num Sanctam Romanam Ecclesiam, ut Matrem, & Magistram agnosceret, omniumque Mundi Ecclesiarum Caput; ac confiteretur, quod Ecclesiæ ipsi rebelles ab æterna excluderentur salute? An promitterent, & jurarent veram obedientiam, & subjectionem Sanctissimo Patri Papæ, & Pontifici Romano, tamquam Universali Ecclesiæ Pastori, Apostolorum Principis D. Petri Successori, & Christi in terris Vicario, exclusa omni communicatione cum Patriarcha Babylonico, schismatis antesignano, cui injuste usque ad hæc tempora subjecti fuerant? An sponderent, & jurarent, nullum alium in Episcopum nunc, & in posterum accepturos præter illum, qui ab Ecclesia Romana fuerit institutus, & à Papa missus, & cuilibet hujusmodi, animo sincero, obedientiam præstituros, & recepturos tamquam proprium Pastorem, quod proprium eorum est, qui sunt veri Catholici, & Ecclesiæ filii; demum se execraturos Patriarcham Babylonicum, tamquam Hæreticum Nestorianum, & à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ rejectum, nec unquam fore, ut illi pareant, aut cum illo in rebus Ecclesiasticis communicent? Quibus omnibus Articulis, & ipsorum cuilibet, omnes, & singuli positis supra Evangelia, & Crucem manibus, responderunt, se ita credere, jurare, Deoque spondere per Evangelia, & Christi Crucem ipsis superpositam. Postea Ecclesiastici eandem professionem, & juramentum præstiterunt; & subinde Electi, & Procuratores Populorum, ceterorumque ejusdem Diœceseos locorum, nomine Communitatum, à quibus facultatem ad hoc munus acceperant. Id quod ab aliis etiam omnibus Christianis, qui aderant, præstitum fuit.

DECRETUM I.

XIX. PRæcipit Synodus, ut cuncti Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi præsentis Diœceseos, qui non intersunt Synodo, eandem fidei professionem, & Juramentum in manibus Illustrissimi Metropolitani in visitatione Episcopatus, quam aggredi

proposuit, præstare debeat; quique Visitationis tempore absfuerint; id ipsum præstare debebunt in manibus illius, qui ab eo deputabitur; itaut nemo in Sacris constitutus, in toto inveniatur Episcopatu, qui hujusmodi professionem, prout hic continetur, non emiserit. Præterea jubet, nullum ex Cassanariis in Vicarium, vel Curatum cujuslibet Ecclesiæ, ullo tempore eligi, quin ante possessionem initam, prædictam professionem faciat, vel in manibus Præsulis, aut alterius ad id muneris designati: quod pariter de his, qui ad Ordines Sacros promoveri debent eodem modo decernitur. Quod si prædictorum aliquis id facere renuerit (quod Deus avertat) Excommunicatus declaretur, & ut talis ab omnibus habeatur, & tamquam vehementer suspectus de fide, juxta sacros Canones puniatur.

ACTIO III.

De rebus ad Catholicam Fidem spectantibus.

DECRETUM I.

XX. QUia *sine Fide impossibile est placere Deo* (a), fides autem hujusmodi, est sancta Fides Catholica, quæ est veræ vitæ principium, & cujus puritate Populus Christianus, & Catholicus, ab eo, qui ejusmodi non est, discernitur; Cumque Synodo compertum sit, a pluribus hominibus ab hac vera Fide errantibus, necnon mediantibus pluribus libris, falsas, & erroneas doctrinas continentibus, errores non paucos in hac Diœcesi fuisse disseminatos, eosque plures fuisse miserrime infectos, & in posterum multo plures infici posse, eidem Synodo opportunum visum fuit, ultra professionem Fidei jam factam, singillatim exponere præcipua nostræ Fidei capita, & qui sunt contra illam errores in dictis libris, indicare, ut hujus Diœceseos Incolæ, eorum malitiam, ac falsitatem agnoscant, eosque declinent, ac fugiant.

Doctrina Fidei.

CAPUT I.

XXI. QUÆ nostra Sancta Fides, cum Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa, ab initio credidit, tenet, & unamini-

(a) Epist. ad Heb. c. 11. v. 6.

nimiter profitetur, hæc sunt: Credimus in unum verum Deum Omnipotentem, Incommutabilem, Incomprehensibilem, Ineffabilem Æternum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; unum in essentia, Trinum in Personis; Patrem ingenitum; Filium genitum a solo Patre, ipsi consubstantialem, & æqualem; Spiritum Sanctum ab æterno procedentem a Patre, & Filio; non tamquam a duobus principiis, aut duplici spiratione, sed ab utroque, tamquam ab unico principio, & unica spiratione. Pater non est Filius, nec Spiritus Sanctus; Spiritus Sanctus non est Pater, nec Filius; sed Pater, est Pater tantum, Filius est tantum Filius; Spiritus Sanctus tantum est Spiritus Sanctus: Nulla Persona aliam æternitate præcedit, aut excellit magnitudine, aut superat potestate, sed semper est absque principio, & fine. Pater est qui generat; Filius qui generatur; Spiritus Sanctus qui procedit; consubstantiales pariter, & æquales, æque potentes, æque æterni. Tres istæ Personæ sunt unus Deus, & non tres Dii; una essentia, una substantia, una natura, una immensitas, unum principium, unus Creator omnium rerum, visibilium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium, qui cum voluit, omnia sua bonitate creavit, & omnia quæ creavit, voluit esse valde bona.

CAPUT II.

XXII. PRæterea Unigenitus Filius Dei, qui semper est cum Patre, & cum Spiritu Sancto, Patrique consubstantialis, tempore, à Divina Misericordia præordinato, ut homines liberaret a peccato Adam, ceterisque culpis, incarnatus fuit vere, Spiritus Sancti virtute, in illibato ventre Sacratissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ, atque in ea accepit veram, & integram naturam nostram humanam, Corpus scilicet, & Animam Rationalem in unitatem Personæ Divinæ, tali unione, ut per illam unus idemque Jesus Christus, sit Deus, & Homo; Filius Dei, & Filius hominis, nempe Virginis; quin una natura cum alia confusa sit; nec una in aliam mutata, vel una mixta cum alia; vel earum alterutra perierit, & in nihilum fuerit redacta. Quamobrem in una Persona, & in uno supposito Divino, duplex est Natura perfecta; Divina, & humana; salvis semper utriusque proprietatibus, duplici videlicet voluntate, divina, & humana; & duplici operatione in uno tantum Christo; & sicut forma Dei, formam servi non tollit, ita forma servi, Dei formam non minuit, quia ipse, qui est verus Deus,

Digitized by Google

idem est, & verus homo: Deus per illud, *quod in (a) principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Homo per illud, *quod Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*: Deus per illud, per quod propria virtute, de quinque panibus satiavit quinque millia hominum, per quod aquam vitæ æternæ, Samaritanæ promisit; Lazarum quatriduanum in Monumento suscitavit; Visum Cæcis restituit; infirmos sanavit, & imperavit Ventis, & Mari; Homo, per illud per quod sitivit, & esurivit, fatigatus fuit ex itinere, Crucis arbori fuit clavis confixus, & in ea expiravit; Denique idem secundum Divinitatem æterno Patri æqualis, immortalis, & impassibilis, & secundum humanitatem minor Patre, mortalis, atque passibilis.

CAPUT III.

XXIII. PAriter, quod ipse Dei Filius incarnatus, vere fuit natus ex Maria Virgine, & ejus Corpus ex hujus purissimo Sanguine fuit formatum, & ipsius est vere Filius; quapropter confitemur ipsam esse vere Matrem Dei, & ita ab universa Catholica Ecclesia appellandam esse, & invocandam, eo quod vere, & realiter absque doloribus, aliisve passionibus, peperit secundum carnem, verum Dei Filium, hominem factum; & ipse Dei Filius incarnatus, vere fuit pro nobis passus; vere mortuus, & sepultus; vere cum Anima ad Inferos Limbi descendit, ad liberandas Sanctorum Patrum Animas, ibi existentes; & die tertia vere a Mortuis surrexit; & per quadraginta dies docuit Apostolos, locutusque est de Regno Dei, & postea virtute propria in Cœlum ascendit, ubi sedet ad dexteram Majestatis Gloriæ, & Potentiæ Patris, unde venturus est ad judicandum vivos, & mortuos, & dandum unicuique præmium, vel pœnam secundum opera sua.

CAPUT IV.

XXIV. SImiliter profitetur neminem ab Adamo descendentem, conceptum, & natum, aliquo tempore salvum fuisse, aut salvandum esse, aliter quam per Fidem mediatoris Dei, & hominum, Jesu Christi Filii Dei, & per ejus Sanguinem, ac mortem, qua nos Æterno Patri reconciliavit, & nostrarum iniquitatum Chi-

(a) Joann. 1. v. 1. & 14.

Chirographum solvit, quæ quidem fides ante Adventum Christi, erat de ipso venturo, & redempturo; & post ejus adventum, est fides, qua creditur ipsum advenisse, & nos sua morte, & Sanguine suo redemisse.

CAPUT V.

XXV. INsuper omnes, quotquot naturali generationis modo ex Adamo nascimur, filios iræ, & peccati originalis maculâ infectos, nasci; quam contraximus ob culpam inobedientiæ Adami, in quo nos omnes peccavimus. Adamus enim peccando, & sibi, & nobis sanctitatem, & justitiam perdidit, & peccatum proprium, & personale ipsius, in nos omnes generatione pertransivit, dicente Apostolo: (a) *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Quod licet verum sit, & firma fide tenendum, peccatum illud in nos generatione pertransire, non tamen Animæ nostræ fiunt ex traduce, aut sicut corpora generantur, aut educuntur de potentia Materiæ, velut Animæ Brutorum, sed ex nihilo à Deo creantur, & Divina dispensatione, dum corpora perfecte formantur, & *organizantur*, ipsis infunduntur, & in quo infusionis instanti maculam originalis peccati, quod in Adamo commisimus, animæ contrahunt, per quod à Cœlo excludimur, Deoque in æternum privamur: quod tamen peccatum deletur Baptismate; quo mediante, anima à culpæ noxa abluitur, & nos, qui per peccatum eramus filii iræ, & a Cœlesti Patria, Regnoque Cœlorum exules, constituimur filii Deo cari, & Cœlorum hæredes; insuper virtute ejusdem Baptismatis reliquæ noxæ, & peccata actualia illis, qui talia perpetraverunt, cum omnibus pœnis pro ipsis debitis remittuntur.

CAPUT VI.

XXVI. ULterius Animas eorum, qui post Baptismi susceptionem, nullum admisere peccatum, vel de admissis condignam pœnitentiam cum æqua, & integra satisfactione egerunt, statim in Cœlum duci, & ipsum videre Deum trinum, & unum, clare, sicuti est, divina gaudentes visione; alios aliis perfectiori

(a) Ad Rom. 5. v. 12.

ctiori modo, pro meritorum diversitate; & pariter, qui in mortali actuali, absque condigna pœnitentia decedunt, vel etiam cum solo originali, illicò ad Inferna descendere, pœnis æternis inæqualibus tamen, juxta demeritorum inæqualitatem in æternum puniendos.

CAPUT VII.

XXVII. SIcuti etiam, quod ii, qui ex Fidelibus Christianis, ex hac vita in caritate decesserint, vera pro peccatis pœnitentia peracta, sed nondum plena Divinæ Justitiæ satisfactione pro ipsis exhibita, mox ad locum, & pœnas Purgatorii ducuntur, ubi per ignem, aliasque pœnas, toto tempore, quo Deo, juxta peccatorum qualitatem, & quousque plene pro illis satisfecerint, visum fuerit, ab ipsorum sordibus abluuntur; postquam vero fuerint ablutæ, ad gloriam, Deique gaudium recipiuntur: quo in Purgatorii loco, animabus ibi detentis maxime prosunt suffragia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ viventes pro Defunctis facere consueverunt: potissimum vero Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quo pœnæ leviores reddantur, & citius in Cœlum deportentur.

CAPUT VIII.

XXVIII. SImiliter, quod die Judicii, nostra Corpora in Cinerem, pulveremque redacta, resuscitabuntur, eademque nostris animabus, unumquodque suæ, iterum unientur: Aliter tamen, & aliter resurgemus, boni quidem, ut circumdati gloria, immortales, & impassibiles regnent cum Christo in Cœlis; Mali autem ut in Dœmonum consortio in Inferno, æterno, & vero igne perpetuo crucientur.

CAPUT IX.

XXIX. PAriter quod in principio, & in tempore, creavit Deus omnia visibilia, & invisibilia, corporalia, & spiritualia, Cœlumque Empyreum Angelis replevit, e quibus Deo obedientes, in gratia fuere confirmati, & retinentes dotes, ac perfectiones

Digitized by Google

ctiones, quibus Deus eos in ipsa creatione decoravit, fuerunt ad æterna gaudia evecti: Rebelles vero in Infernum, quem Deus, dum peccarent creavit, detrusi sunt, ubi Divinæ Justitiæ rigore, non tantum pœna damni, qua Divina visione privantur, ad quam creati fuerunt, sed & simul vero igne, aliisque pœnis in æternum torquentur: Qua de caussa tanti boni quod justos manet, & quo ipsi ob propria peccata carent, invidia ducti, odio insuper acti erga Deum, ejusque opera, *intrinseca* demum, qua obdurati, sunt malitia, impulsi, homines tentant & ad malum solicitant.

CAPUT X.

XXX. PRæterea profitetur Angelos beatos, aliosque Sanctos, cum Christo in Cœlis regnantes, (*a*) a fidelibus colendos, ac venerandos esse, a Deo per ipsorum intercessionem, nostris necessitatibus remedia postulando, utque pro nobis Deum deprecentur; quod quidem præstant, dum Deo offerunt pro nostris malis preces, supplicationesque: Corpora etiam, & Reliquias ipsorum maxima cura, & veneratione in terris custodiendas, osculandas, & colendas; ac in Altaribus, aliisque peculiaribus Locis collocandas; quippe quæ fuere viva Christi membra, ac Templum Spiritus Sancti; nec non Judicii die talia Corpora resuscitanda esse, & æterna gloria in Cœlo induenda; per quæ in terris, plurima nobis Deus beneficia confert.

CAPUT XI.

XXXI. ITidem Christi Domini, & Beatissimæ Virginis Mariæ Imagines, necnon Sanctorum Angelorum, qui aliqualiter depingi valent, sicut & aliorum Sanctorum, quos esse Cœli Incolas Ecclesia credit, retinendas esse, & decentibus in Locis habendas, non tantum in domibus fidelium, verum & in Templis, arisque potissimum; quæ quidem venerari colique debent, debito ipsis cultu, eo scilicet, quo Sanctos, vel aliud quodcumque cultu dignum

(*a*) Circa ritum venerationis Sanctorum post immenſæ propemodum Ecclesiasticæ eruditionis volumina a SS. D. N. Benedicto XIV. edita, consulere iuvabit *Dissertation. De ritu ostens. Sac. Reliquiar. evulgatam anno* 1721. a Petro Moretto Viro eruditissimo; & supplementum Dissertationis ad calcem Libelli *De ritu variandi chorale indumenti.* ab eodem auctore editi *Romæ anno* 1732.: & novissime Joann. Chrysost. Trombelli Opus *De cult. SS.* typis Bononiæ excusum *anno* 1743.

dignum, quod per ipsas representatum veneramur; non quod ipsis aliquam inesse virtutem, seu divinitatem, ob quam debeant coli, credamus, vel in eis spem, fiduciamve nostram, ut Gentiles in Idolis, collocemus, sed quia honor ipsis a nobis exhibitus, ad prototypum per ipsas representatum referatur, ita ut per Imagines, ante quas in genua procumbimus, vel alios actus religionis exercemus, adoremus Christum, & Sanctos. Quamobrem signum Crucis adoratione latriæ soli Deo debita adoramus, eo quod Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, pro nobis in ipsa passum exhibet, & quia ut ipse dixit: *(a) hoc in die Judicii apparebit signum Filii hominis*; eademque latriæ adoratione ex eodem motivo, colimus ceteras Christi Imagines.

CAPUT XII.

XXXII. PAriter Catholica confitetur Ecclesia, hominum unicuique ab ortu suo, Angelum à Deo in illius custodiam deputari, ut ipsum ad bonum incitet, & a malis, in quæ seclusa custodia solicita casurus esset, eruat; quem insuper Angelus in illius custodiam accipit, quandiu vixerit; itaut eum continuo comitetur, & quantum in se est a malis, & peccatis abducat, eumque ad vitam æternam dirigat; atque adeo ejus libero arbitrio, quæ recta sunt proponit, a quo bona quamplurima, tum temporalia, tum spiritualia accipimus, etiam nihil tale cogitantes; Angelum vero hæc munia obeuntem, nostrum Angelum Custodem appellari.

CAPUT XIII.

XXXIII. UNam pariter esse Ecclesiam Catholicam toto Orbe diffusam, & cujus est Pastor Summus Pontifex Romanus, Beati Petri Apostolorum Principis in ea Sede Successor, cui, & per quem Successoribus suis, plenam potestatem regendi, & gubernandi totam Ecclesiam, Christus contulit; & unde Ecclesia Romana *(b)* est Caput, Mater, & Magistra omnium Orbis Ecclesia-

(a) Locus indicatur Matt. 24. v. 30. ubi legitur: *Tunc apparebit signum Filii hominis in Cœlo*. Veteres Patres & plerique Interpretes, hoc signum Filii hominis, Crucem asserunt; quam sententiam adoptavit Ecclesia dum concinit in ejus officio: *Hoc signum Crucis erit in Cœlo &c.*

(b) Quoniam privilegium istud, quo Romana super ceteras Orbis Ecclesias jure, præeminet, atque extollitur, desumatur ex itinere Romano Divi Petri, ejusque in Urbe Episcopatu, legendus omnino est

clesiarum, sicut & Pontifex Romanus, Caput totius Ecclesiæ, Pater, Magister, omniumque Christianorum Doctor, omnium in universum Præsul, cunctorumque Sacerdotum, Episcoporum, Primatuum, Patriarcharum, Ecclesiarum quarumcumque; omnium Imperatorum, Regum, Principum, & Dominorum Pastor, omnium denique, (dummodo sint Christiani, totiusque Populi fidelis) ex quo ipsi Pontifici Romano, & Christi Vicario obedire in terris renuentes extra viam existunt salutis æternæ, & in Infernum detrudentur, tamquam Hæretici Schismatici, inobedientes mandato Jesu Christi, Dei Filii Domini nostri, ac Hierarchiæ ab ipso in sua Ecclesia constitutæ.

CAPUT XIV.

XXXIV. UNum similiter, eumdemque Deum Authorem fuisse veteris, novique Testamenti, id est Prophetarum, & Evangelii; nam Testamenti utriusque Scriptores, afflati Spiritu Sancto scripserunt. Itaque recipit Ecclesia omnes libros Canonicos (a) Testamenti utriusque, infallibilem in se veritatem continentes, atque à Spiritu Sancto dictatos; videlicet è Testamento veteri quinque Moysis libros; Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium; pariter Libros Josue, & Judicum, & Ruth; quatuor Regum; duos Paralipomenon, & primum Esdræ, & ejus secundum, qui dicitur Nehemias; Libros Tobiæ, Judith, Esther, Job; Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmos continens; Parabolas, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum; quatuor Prophetas Majores, Isaiam scilicet, Hieremiam, cum Baruch, Ezechielem, Danielem, duodecim item minores, nimirum Oseam, Joelem, Amos, Abdiam,

L Jonam,

liber de hoc argumento editus Florentiæ anno 1741. a Petro Fogginio, in quo accuratissimus auctor, Romana momenta asserit, atque heterodoxorum cavillationes invictissime resolvit; eo vel maxime, quod cum huic veritati acquieverint infensissimi Ecclesiæ hostes, Montanus, Arius, Pelagius, &c. alii demum per decem, & tria secula siluerint, venales tantum calami Marsilii Paravini, & Joannis de Janduno, pro Ludovico Bavaro scribentes, circa factum illud historicum omnium primi, ut apparet, istam camarinam moverint.

(b) Theodorus Mopsvestenus Magister Nestorii, expunxit a sacrorum Librorum Canone; ut constat ex Quinta Synodo Gen. *Collat.4. anum.63. ad 71.* & ex Leontio Byzantino *Lib. de Nestorian. Impiet.n.14. & 17.* sequentes Libros: nimirum *Job, Paralipomenon primum & secundum; Esdram, Canticum Canticorum, Epistolam Jacobi, & alias aliorum Catholicas*; qui tamen alias, in eos libros commentaria scripsisse perhibetur. Verum a Nestorianis laudati libri pro Canonicis habentur, ut ex Catalogo Sobensis *Cap.1.* liquet apud Asseman. *Tom. 5. Bibl. Orient. pag.5. & Tom.4. pag.236.*

Digitized by Google

Jonam, Michæam, Nahum, Abacuch, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, Malachiam, & primum, & secundum Machabæorum. Testamenti novi quatuor Evangelistas, scilicet Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Acta Apostolorum a D. Luca conscripta; quatuordecim Divi Pauli Epistolas, nimirum unam ad Romanos, duas ad Corinthios, unam ad Galatas, unam ad Ephesios, unam ad Philippenses, unam ad Colossenses, duas ad Thessalonicenses, duas ad Timotheum; deinde unam singulis: nempe ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbreos; Petri Apostoli duas; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli unam; Judæ Apostoli unam, & Joannis Apostoli Apocalypsim; qui libri cum omnibus suis partibus sunt Canonici, & infallibilem in se continent veritatem.

DECRETUM II.

XXXV. DEclarat Synodus, in libris novi fœderis, qui sunt in usu in hac Diœcesi (a) Soriana, vel Syriaca lingua scriptis, desiderari in Evangelio S. Joanni initium *Capitis Octavi* de Muliere in adulterio deprehensa, & ad Christum Dominum adducta; pariter in *Capite Decimo Lucæ*, ubi dicitur, Christum mississe Septuaginta duos Discipulos, poni *Septuaginta* tantum: similiter Matthæi 6. in Oratione *Pater noster*, post ultima verba; *Sed libera nos a malo*: hæc addi: *quoniàm tuum est Regnum; virtus, & Imperium in secula seculorum*. Sed nec in dictis libris legi *secundam Epistolam Divi Petri, Secundam, & Tertiam Divi Joannis, Epistolam Judæ*, nec *Apocalypsim Joannis*. Præterea è *Cap.4. Epist.1. B. Joannis* impie fuisse expunctum versiculum illum: *Qui solvit Jesum non est ex Deo*, & *Cap.5.* ejusdem Epistolæ illum alium: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, Et in veteri Testamento desiderari libros *Esther, Tobiæ, & Sapientiæ*. Quos libros, & versiculos jubet transcribi & partes ablatas restitui, per emendatos Chaldaicos Codices, & conformiter ad editionem latinam, & vulgatam, qua Sancta Mater Ecclesia utitur; ut præsens Ecclesia scripturas integras habeat; ipsisque nulla, ne minima quidem parte imminutis, & immutatis sacris

(a) Etiamsi omnia ista loca novi Testamenti, depravata asserantur a Nestorianis, ut notat nostra Synodus, & ex ipsis Possevinus *tom 2. Apparat. pag.468.* & Thomas a Jesu *in Lib. De Convers. omn. Gent. pro cur. pag.355.* tamen legenti ipsa loca apud Calmetum *in Evang. & Epist.* & quæ habet Assemanus *Tom.4. Biblioth. Orient. pag.238. & seq.* facile constabit ea omnia, ante exortam Nestorii hæresim ita legi in Vulgata Syriaca versione, ut liquet *ex MS. Codd.* apud Syros Orthodoxos extantibus, & ex *Nov. Testam. Syriaco* edito Romæ, Parisiis, & Londini.

Digitized by Google

sacris libris, prout scripti fuerunt, & in universali leguntur Ecclesia, utatur; Quod munus præstari expetit Synodus à R. P. Francisco Roz Societatis Jesu, & Syriacæ linguæ Professore in Collegio de Vaipicota, ob eam qua pollet in illorum Idiomatum, & divinarum scripturarum cognitionem.

DECRETUM III.

XXXVI. CUM Sacra Biblia, Columnæ sint, quibus nostra Catholica Fides innititur, basesque, & fundamenta, in quibus consistit, & ubi veritas, puritasque illius perspicitur, quotquot hæretici fidem destruere machinati sunt, iidem divinarum Scripturarum textum corrumpere, & quædam ipsorum erroribus adversantia intercipere, sicuti & nonnulla, quæ ipsis favere possent, assuere non destiterunt: & quod in præsenti quoque Episcopatu accidit, dum per Episcopos Hæreticos Nestorianos regebatur, qui in sacris libris, quibus utebantur, loca Nestorii erroribus contraria, similiter depravarunt.

Videlicet *Actuum Apost. Cap.*20. ubi Paulus dicit: *attendite, vobis, & universæ Ecclesiæ, in qua vos Spiritus Sanctus Episcopos posuit, ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, mutaverunt impie nomen *Dei* & posuerunt *Christi*, ut sensus sit: *in qua vos posuit Christus ad regendam suam Ecclesiam, quam acquisivit suo sanguine*; Nam ipsi Nestoriani a Diabolo acti, veritatem Catholicam, scilicet Deum pro nobis passum, sanguinemque fudisse, fateri nolunt.

E *Cap.*4. *Epist.*1. *Joannis* abstulerunt versum: *qui solvit Jesum non est ex Deo*, quippe qui contra Nestorium facit, impie dividentem Christum in duo supposita.

Eadem Epist. (a) Cap.3. ubi dicit: *in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, prorsus ex malitia pro *Dei* vocem *Christi* supponunt, dicentes: *in hoc cognovimus ca-*

(a) Omnibus quidem iis locis, eo modo quo leguntur in plerisque Orientalibus versionibus, utebantur Nestoriani, ut Christum in duo supposita divisum adstruerent; qui valide impugnantur illo textu nostræ vulgatæ latinæ: *Qui solvit Jesum non est ex Deo*; idest qui discindit, & dividit Christum in plures personas, aut in plura supposita, vel ut commentatur Calmetus: *Qui dividit quidquid in ejus persona, unum tantummodo est*. Hic autem versus 3 *ex cap.*4. *Epist.*1. *Joan.* non fuit ablatus a Nestorianis, ut PP. Diamperitani putarunt; sed cum Malabarenses versionibus Orientalibus utecentur, illum versum legebant sic: *Omnis spiritus qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo*; quæ lectio uniformis videtur, in Græcis omnibus exemplaribus Syriaco, Arabico, & Æthiopico.

Digitized by Google

ritatem Christi, quoniam ille &c., ut pariter cum Nestorio negent, Deum pro nobis mortuum.

In Epist. *ad Hebræos cap.2.* ubi dicit Apostolus: *vidimus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, scribit, ut distinctionem duorum suppositorum cum Nestorio asserat, ita superaddendo: (a) *vidimus Jesum propter Passionem Mortis, gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei PRÆTER DEUM pro omnibus gustaret mortem*; id est, ut gratia Dei, sed à Deo divisus, & extra Deum pro omnibus moreretur.

In Cap.6. Lucæ, ubi Christus dixit: (b) *mutuum date, nihil inde sperantes*, ut usuras, quibus alebantur, & quas tamquam justitiæ consonas probabant, defenderent, posuerunt ita: *mutuum date, & inde sperate*; quasi diceret: mutuum date & lucrum inde expectate. Quæ omnia loca, ut depravata, & corrupta ab Hæreticis, præcipit Synodus, ut in cunctis codicibus expurgentur, & castigentur, ac puritati pristinæ, juxta veritatem editionis vulgatæ, qua Sancta Mater Ecclesia utitur, restituantur, idque sine mora cupit ab Illustrissimo Metropolitano in hujus Diœceseos visitatione fieri, vel per semetipsum, vel per viros Syriace doctos, quos ipse ad hoc munus deputaverit.

DECRETUM IV.

XXXVII. COmperit Synodus ob communicationem, quam in hac Diœcesi habent Christiani cum Infidelibus, aliquos ipsorum animis adhæsisse ineptos errores, eosque ab hebetibus, & rudibus hominibus mordicus teneri, & potissimum quidem tres hisce Infidelibus familiares: nempe animas post mortem in alia corpora transmigrare, sive animalium, sive aliorum hominum, quod & ineptissime asseritur, & est error, & hæresis manifesta, nostræ Catholicæ fidei opposita, docenti, animas post mortem, in Cœlum,

(a) Quatenus ad hunc textum Pauli *ad Heb.2. v.9.* traducuntur Nestoriani, tamquam illius depravatores; quo circa consule Cl. Asseman. *Tom.4. pag.2.9.* Ceterum liquet utramque lectionem antiquissimam esse: & illa quidem quæ Nestorianis tribuitur, ubi pro: *Gratia Dei*, legitur: *Præter Deum*, vel: *Absque Deo*, recensetur non modo a D. Fulgent. Theodoret. & Vigilio Tapsensi, verum etiam ab Ambrosio, Hieron., & Origene; a qua iste delirando intulit, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, & Dæmonibus; eo quia pro omnibus excepto Deo, aut *præter Deum*, salvandis, mortuus fuerit. Unde etiam Nestorio antiquior evincitur, modus ille legendi. Vide Calmet *hic*.

(b) Neque locus iste Lucæ depravatus est a Nestorianis: nec ex ejus lectione, & genuino sensu educi potest, nisi ineptiendo, licitum esse usuras accipere. Vide infra *Action. 8. Decret. 9. in Not.*

Digitized by Google

Cœlum, Infernum, Purgatorium, vel Limbum, pro meritis uniuscujusque duci, absque tali transmigratione, falsa, & inter fabulas numeranda.

XXXVIII. Secundo: omnia fieri necessitate, fato, aut fortuna, quod ipsi appellare solent nascentiam hominum; asserentes, res, velint nolint homines, ita debere contingere, ut de facto contingunt, quod est apertus error ab Ecclesia damnatus, tollens de medio libertatem arbitrii, qua Deus nos præditos esse voluit, in nostra relinquens libera potestate bene, vel male agere, itaut nostræ electionis sit obedire sanctis inspirationibus, & internis motibus, quibus ad amplectendum bonum, repudiandumque malum allicimur, & provocamur; quamobrem sicuti a sua Divina misericordia, ac bonitate sunt motus, & incitamentum ad bonum, ita a nostro libero arbitrio, Divinis auxiliis adjuto, est motibus illis, & incitamentis vel obtemperare, vel contumaciter obsistere, & uno verbo, bene, vel male operari; atque adeo unice nostra libera voluntas in causa est peccatorum, ac nostræ perditionis, ut docet Catholica Fides; nascentiæ vero fatum, quam Infideles impie docent, mera fatuitas est.

XXXIX. Tertio: unumquemque sua (a) in lege salvari posse, legesque omnes esse rectas; quod plane erroneum est, ac hæresis turpissima: nulla enim est lex, in qua salvi fieri valeamus, præter legem Christi Salvatoris nostri, una quippe ipsa veritatem docet, & homines quotquot sectas alias profitentur, a veritate turpiter aberrant, & penitus extra salutis æternæ viam miserrime vagantur; atque adeo ad Inferni pœnas damnabuntur, nec enim aliud nomen datum est hominibus, præter nomen Jesu Christi Dei Filii pro nobis Crucifixi, in quo oporteat nos salvos fieri. Horum errorum fugam ab omnibus Ecclesiarum Vicariis, & Concionatoribus sæpissime rudi Populo inculcari Synodus jubet. Id quod privatim præstari vult ab iis, qui Confessiones audiunt, qui si pœnitentes suos erroribus hisce irretitos inveniant, omni ope contendant, ut eos ab hisce deliriis, ad Catholicæ veritatis professionem revocent.

DECRETUM V.

XL. AD notitiam pervenit Synodi, fuisse in hac Diœcesi etiam e suggestu divulgatam hæresim valde noxiam, nimirum, inju-

(a) Politicorum & Tolerantium hoc est perversum Dogma, in solo enim Christo Jesu oportet nos salvos fieri: unde *Indifferentes*, quam longissime a via veritatis aberrant.

injuriam Christo irrogare, (a) qui ejus Sacram Passionem meditetur, vel de ea loquatur, idque peccatum esse gravissimum (quod insuper impiis censuris non sine incredibili audacia fuit prohibitum) & etiam nunc plurimi miserrime decepti tenent. Hic manifestus error, & opponitur fidei, & fidelibus maximum animarum detrimentum affert; cum ex dictis meditationibus, & colloquiis ingentes capiantur fructus amoris, & dilectionis erga Dominum, qui talia passus est, ut nos redimeret, tum & imitationis earum virtutum, quæ in ejus Passione magis resplendent; concipitur etiam odium peccatorum, propter quæ delenda fuit passus, timor divinæ Justitiæ, cui adeo rigorose satisfecit, fiducia salutis, pro qua nobis obtinenda, tam copiosum redemptionis pretium impendit; desiderium frequentandi Sacramenta, quibus Passionis virtus applicatur, ultra alia quamplurima emolumenta inde provenientia. Perniciosissimus error hujusmodi, ad alium in Nestoriana secta viam stravit; reprobationis scilicet sacrarum Imaginum; si etenim impium est de Passione Christi cogitare, ejusmodi etiam erit quidquid illius memoriam excitat inter fideles, & promovet, cujusmodi est signum Sanctæ Crucis, & Sacræ Passionis Imagines: Quæ omnia cum sint manifestæ hæreses, & stultissima Nestorianorum deliria, maximopere commendat Synodus Concionatoribus, Sacerdotibus ad audiendas Confessiones deputatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ut sæpissime mysteriorum adeo Divinorum, & sublimium meditationem, Populo persuadeant. Qua occasione devotionem erga Rosarium Virginis Mariæ Populo instillent, quippe in eo præcipua Vitæ, & Passionis, ac Mortis Christi Mysteria recoluntur.

DECRETUM VI.

XLI. INter plures errores à perfidis Nestorianis disseminatos in hac Diœcesi, quosque usitatis libris inseruerunt, plerique leguntur adversus B. Virginem Mariam Dei Matrem, præsentissimum in nostris calamitatibus remedium, misericordiæ Matrem, peccatorum Advocatam, Angelorum Reginam; Quapropter declarat

(a) Hic error damnatus fuit a Concilio Viennensi, inter alios Beguardorum; quorum ultimus recenseetur ab Harduino *in Collect. tom.7. col.1359. Quod esset imperfectionis, si a puritate & altitudine contemplationis, tantum descenderent, quod circa Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi, aliqua cogitarent*. Attamen meditari in Christo laudabile est, immo initium ad supremam contemplationem, ex S. Theresia a Jesu *in Castell. Mansio. 7. cap.2.* quam sequitur P. Godinez, hoc tempore illustratus a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera *tom.2. Praxis Theol. Mystic. lib.5. Schol. 20. & 21. ad Caput 5.* Viro pietate, ac mystica œconomia conspicuo.

Digitized by Google

clarat Synodus, Catholicam docere Fidem, Beatissimam Virginem numquam actualis peccati maculam incurrisse; immo pie credi eam (a) fuisse à peccato Originali præservatam, quod sane Matris Dei dignitatem maxime decet; etsi quoad hoc nihil adhuc Sancta Mater Ecclesia definierit. Insuper eadem fides docet Catholica, Virginem extitisse semper illibatissimam ante partum, in partu, & post partum, peperisse absque doloribus, aliisve anxietatibus verum Dei Filium, Hominem factum; nec emisisse (b) Secundas, vel subjectam fuisse purgationibus, aliisque incommodis, quibus Mulieres aliæ subjacent in partu. Quin etiam nec in partu, nec post, alicujus (c) obstetricis, vel alterius ope indiguisse, nam salva virginei claustri integritate, hora, & tempore à Sanctissima Triade præfinito, non sine ejusdem Virginis ingenti lætitia, & spirituali gaudio, Æternum Verbum caro factum, e purissimis visceribus prodiit: unde appellanda est vera Dei Mater, & non Mater tantum Christi; quæ postquam ex hac vita migravit, assumpta fuit in Cœlum, quo Anima, simul cum purissimo Corpore commigravit, singulari quidem privilegio dignitati, ac peculiaribus ipsius meritis debito. Nec enim congruum erat, quod Corpus illud, è quo Sanctissima Caro Filii Dei Hominis facti, efformata fuerat, in pulverem, cineremque, more aliorum abiret; sed par erat, ut non expectata universæ resurrectionis die, glorificaretur, & exaltaretur super omnes Choros Angelorum, ut canit, & confitetur Ecclesia; circa quæ omnia impii hæretici Nestoriani plurimas protulerunt blasphemias, & hæreses, quas vel in Breviariis hujus Episcopatus ediderunt.

DE-

(a) In hanc rem plurimum juvabit, perlegere, quæ hoc ævo scripta sunt pro *voto profundendi sanguinem* in defensionem istius piæ opinionis, a Parthenotimo, P. Attardi Augustinensi, P. Luca Minorita, aliisque; & quæ ex adverso sub nomine Antonii Lampridii, & Ferdinandi Valdesii edidit eximius atque præclarissimus toto orbe literario Scriptor Ludovicus Antonius Muratori, qui unus Immaculatæ Conceptionis gloriam, præ omnibus, quasi ex repercussione luminis, splendidiorem reddidit, atque augustiorem.

(b) Ita sensisse antiquos Patres apparet ex S. Cypriano seu auctore *Serm. de Nativ. Christi* dicente: *Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis præparari; quippe nec aliqua naturæ injuria, Matrem Domini læserat.*

(c) Nullam in partu Virgineo intervenisse obstetricem affirmavit Cyprianus, ubi supra: *Genitrix est* (Maria) *& obstetrix; ultro maturus ab arbore bajulæ, fructus elapsus est; nec oportuit vellicari quod sponte prodibat.* Consonant Nazian. *de Christ. patien.* Nyssen *Ser. de Resur.* Hieronym. *Contra Elvidium*: Fulgent. *De laud. V. Mariæ*, & Bernardus *Ser. 4. in Vig. Nat. Dom.* Apage ergo putidissimam fabulam Nestorianam, quod nimirum S. Anastasia obstetricis obsequia V. Mariæ præstiterit, atque idcireo de ea fieri commemorationem in secunda Missa Nativitatis Domini; vide Lami *De erudit. Apostol. pag.* 184.

Digitized by Google

DECRETUM VII.

XLII. NOn sine ingenti dolore audivit Synodus hæresim, perversumque errorem, fidelibus hujus Diœceseos perniciosissimum, per Schismaticos disseminatum, asserentes; unam esse legem Sancti Thomæ, aliam vero Divi Petri, ambas à Christo *immediate* latas, quæ tamen constituebant duas Ecclesias diversas atque invicem distinctas, & alteram ab altera independentem, nec Pastorem unius debere Pastori alterius obedire. Profitentes vero legem Divi Petri, conari in destructionem legis Sancti Thomæ, eosque ob tale crimen à Sancto Thoma puniri. Quæ omnia errores sunt notissimi, apertum Schisma, hæresisque perversa; cum lex Christianorum sit unica a Jesu Christo Filio Dei data, & explicata, & per ipsius Apostolos sub una Fide, & uno Baptismate per universum Mundum promulgata; quo circa una tantum est Ecclesia Catholica, & Apostolica, cujus unus est Sponsus Christus Deus, & homo, qui eam fundavit, unus tantum Pastor universalis, qui eam regit, & cui alii omnes *Prælati* obedire tenentur, Papa Pontifex Romanus, Divi Petri Apostolorum Principis in Cathedra Successor, quam illi Christus ipse, & in eo ceteris illius Successoribus tradidit; quam doctrinam Catholicam, utpote ad salutem æternam necessariam, jubet Synodus à Parochis, & Conciona-toribus, quampluries Populo proponi, ut de re adeo necessaria plenius instruantur.

DECRETUM VIII.

XLIII. QUoniam ante adventum Illustrissimi Metropolitani in hanc Diœcesim, frequentissime quædam proferebatur hæresis, semel, & iterum in Sancto Missæ Sacrificio, etiamque bis in divino Officio, Patriarcham Babylonicum vocando Pastorem universalem, & caput Ecclesiæ Catholicæ, eoque decorabatur titulo soli Pontifici Romano, Principis Apostolorum, Divi Petri Successori, Christique in terris Vicario debito, quoties ipsius nomen proferendum esset; præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, ut nullus in hac Diœcesi, sive Secularis, sive Ecclesiasticus, hujusmodi titulo audeat verbo, vel scripto, tam in Divino Sacrificio, & Officio Divino, quam extra, Patriarcham Babylonicum, aut quemlibet alterum *Prælatum* donare, præterquam Pontificem Romanum

Digitized by Google

manum Dominum nostrum; qui vero contra fecerit, pro excommunicato, Schismatico, & Hæretico denuntietur, & ut talis juxta Sacros Canones puniatur; tum quia Patriarchæ Babylonici, quibus Ecclesia præsens erat subjecta, sunt Hæretici Nestoriani, & hujus maledictæ Sectæ Duces, Schismatici, extra obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à nostra Fide Catholica alieni, atque adeo excommunicati, & non licet in Ecclesia publice pro Excommunicatis orare; tum quia ista Ecclesia nunc nulla ratione subjecta est dicto Patriarchæ Babylonico, neque reipsa, neque quoad speciem; cum obedientiam præstiterit Sanctissimo Patri Papæ Domino nostro, Christi in terris Vicario; quam præstare, & Jure Divino, & sub interminatione damnationis æternæ tenentur: præcipit ergo Synodus sub eodem præcepto obedientiæ, & excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut nullus Cassanarius, aut Chamazius audeat in posterum in recitatione Officii Divini, aut in Missæ Sacrificio, in Ecclesiæ precibus talem Patriarcham nominare, etiam sine falso titulo Pastoris Universalis; sed in ipsius locum substituatur nomen Domini nostri Papæ, tamquam veri, & universalis totius Ecclesiæ Pastoris, & post illum, nomen Domini Episcopi hujus Diœcesis pro tempore, qui contra vero malitiose, & scienter fecerit, excommunicatus declaretur, & subjiciatur aliis pœnis, quæ visæ fuerint Præsuli, juxta ipsius contumaciam eidem infligendæ.

DECRETUM IX.

XLIV. CUm Breviaria omnia, quibus hæc Ecclesia utitur, Nestoriana sint, & ex præscripto Præsulum ejusdem Sectæ, qui ipsam rexere, quotannis præfinita die, quæ tamquam festa habebatur, recitaretur Officium de impio, ac perverso Hæresiarcha Nestorio; pariterque in aliis de Theodoro, Diodoro, (a) Abbacathocha, Abraham, Narsai, (b) Barchauma, Johanan, Hormisda, (c) Michaol, hæreticis omnibus Nestorianis; & etiam feria sexta post Nativitatem recitaretur de Nestorio, Theodoro, & Diodoro; & septima sexta feria post ipsam de Abrahamo, Narsai, aliisque supra nominatis; & qualibet feria quinta per totum annum memoria celebraretur illorum omnium simul juxta Officium Nestorianorum; nec non quotidie in Missæ Sacrificio, & in officio divino fieret commemoratio de Nestorio, & aliis, & ea quidem licet alicubi non fieret de Nestorio, Theodoro, & Diodo-

M ro

(a) Lege *Abba Catholico*.
(b) Lege *Barsauma*.
(c) Lege *Michael*.

Digitized by Google

ro fieret tamen universaliter de Abrahamo, Narsai, Barsauma, Johanan, Hormisda, Michael, & in fine Missæ Sacerdos Populo benediceret per hæc verba: *Hormisda vos custodiat à malis, cujus estis Discipuli*: & insuper feria sexta per totum annum recoleretur memoria Sanctorum, ejusdem (a) Hormisdæ, Michael, Johanan, Barchauma, Bariauda, Raban, Hedsa, Mathai, Hixojau, Caurixo, Avahixo, Lixo, Barmun, Lixo metidar, Cahada, Israel, Ezechia Lixo, David Lixo Xualixo, Bavai Iraol, Juliavuis, Haudixo, Eulogio, Abba, Maratevvem, Cuada, Joanenaudeos, Abraham, Marsai, Marabba, Catholicaxhelito, Galara, Jonan Caldon, omnium Hæreticorum Nestoriatonum, atque præcipuorum illius sectæ Ducum, ut constat ex ipsorum officio, vitis, & commemorationibus, & ex elogiis quibus eos extollebant: propterea præcipit Synodus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus Cassanariis, Chamazibus, aliisque Secularibus, & Ecclesiasticis hujus Diœcesèos, ut de ipsis Hæreticis nullo unquam die Officium recitetur, neque ipsorum festa serventur, neque solennitas ulla in illorum honorem celebretur, vel de ipsis commemoratio ulla aut Nercha habeatur in Officio Divino, aut in Missa; nec extra, preces ullius generis ad illos in commune, vel in particulari; neque vota, promissiones, oblationes dirigantur; Immo ipsorum Imagines neque in Ecclesiis, neque in propriis domibus habeantur, & paucis verbis, nulla ratione ipsis cultus, & veneratio tamquam Sanctis exhibeatur; præterea præcipit, ut eorum nomina e Libris, Calendariis, & Officiis expungantur, Missæ, & Officia de ipsis a Breviariis, & Missalibus abrasa, igni tradantur: eorum commemorationes, & memoria omnis aboleatur à Fidelibus; Indigni enim sunt his honoribus, utpote Hæretici maledicti excommunicati, ab Ecclesia damnati, æternoque igni ob sua crimina, suasque hæreses addicti: Præ-

(a) Synodi nostræ inversor ac perturbator Croazus, quo religionis suæ reformatæ, Caculam ageret strenuum, acerrime debachatur in Menessium, Lusitanum homiaem, quasi universa Nestorianorum nomina corrupte scripserit. Tantum ne crimen est, Lusitanum Lusitanæ Syriacorum nominum prolatione uti? Ipsius ergo fuerit, hominis loquacissimi, ea nomina, hoc in loco, & act. 3. Dec. 14. ubi liber *Flos Sanctorum* prohibetur a Synodo, ea omnia integra restituere atque emendare; at hic, loquax Cicada hæsit, & induit speciem taciturnæ Rinæ Seriphiæ. Igitur ex Syriacis Codicibus, & Bibliot. Orient. Assemani, cujus eruditioni, plurimum hac in parte obstricti sumus, hæc Nestorianorum nomina, ita sunt emendanda; *Hormisda, Michael, Johanan, Barsauma, Bar-Sahada, Rabban Isa, Matthai, Jesujab, Sabarjesu, Ananjesu, Jesu Barmun, Jesumetidar, Sahada, Israel, Ezechiel, David, Jesu Salicha, Babai, Abba Juliani, Abdiesu, Eulogii, Abba Marat Kan, Chodai, Johanan Abdeos, Abraham, Narsai, Maraba Catholici, Scialitæ, Gabare Johanan, Chakdan.*

Præcipit insuper Synodus, ut in posterum, rejectis officiis hæreticorum, vice ipsorum recitetur feria sexta post Nativitatem de SS. Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Basilio, Joanne Chrisostomo, & Cyrillo Alexandrino; & septima sexta feria post ipsam, celebretur memoria de Sancto Augustino, Ambrosio, Gregorio Papa, & S. Ephræm, de quo etiam inter hæreticos fiebat commemoratio: & qualibet feria quarta de omnibus laudatis Sanctis Confessoribus simul recitetur, ac in commemorationibus Officii divini, & Missæ, iidem Sancti nominentur, illorum hæreticorum loco: quod si quis contra fecerit, & ausus fuerit, vel ad eos preces fundere, absolutionem a censura, quam incurrisse declarabitur, non obtinebit, quousque dignam ad arbitrium Præsulis pœnitentiam non egerit, ipsisque hæreticis, eorumque pravis sectis ejuratis, publicum fidei juramentum non emiserit, aliasque pœnas juxta suæ rebellionis meritum non sustinuerit; quodsi fuerit Ecclesiasticus, perpetuo manebit suspensus ab Ordinibus, & emolumentis, necnon ad Sacrorum Canonum normam punietur.

DECRETUM X.

XLV. CUm Ecclesia loci de Angamalle; quam Archiepiscopi vocant; a Mar-Abrahamo fabricata, dedicata fuerit Hormisdæ Abati, qui vulgo in hoc Episcopatu appellatur S. Hormusus, indignus penitus hoc titulo Sancti, quippe qui fuit hæreticus Nestorianus, & Nestorianorum Dux, eaque de causa Catholicis invisus, sive ut in ejus vita habetur, invisus Romanis, prout ex ejus actis constat Syriace scriptis, continentibus plures hæreses, blasphemias, & falsa miracula in confirmationem Nestorianæ Sectæ; ideoque jussu Illustrissimi Metropolitani igni traditis; præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ut duo festa in ejus honorem celebrari solita, alterum die prima Septembris, & alterum decima sexta post Resurrectionem, nulla ratione in posterum celebrentur, nec aliqua ipsi dedicetur, nec in illis detur solita Nercha (a); insuper ut ipsa Ecclesia dedicetur S. Hormisdæ Martyri, etiam in Perside nato; ac in Altari, quod fiet, Imago hujus collocetur, & quatenus liceat, ejus passio depingatur, quo fidelium Populus, cui Sanctorum dicata sit Ecclesia, probe noscat: sicuti & ad quem suas preces, ac petitiones, & obsequia dirigat; festumque, & Nercha, quæ illis diebus fiebat ex more, Hormisdæ Abati hæretico, fiant

(a) Idest convivium; Vide Syllab. Voc. Exot.

deinceps in die, quo celebratur memoria hujus Sancti, & in ipsius honorem.

DECRETUM XI.

XLVI. CUm in Symbolo fidei, vel *Credo*, quod in Missa canitur, à SS. Apostolis digesto, necnon in Sacris Conciliis generalibus explicato, præcipua mysteria, ac nostræ fidei articuli contineantur, æquum non est, aliquod ipsi verbum addi, vel detrahi, sed sicuti in Ecclesia universa, & ubique terrarum canitur, ita nulla ratione auctum, vel imminutum cani debet in hac Ecclesia, & Diœcesi; quamobrem præcipit Synodus, ut quæ desunt verba, restituantur, atque adeo, ubi de Christo Domino habetur a *Patre natum, ante omnia secula*, addantur illa verba, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; ulterius ponantur illa verba: *Consubstantialem Patri*, ac deleantur illa, quæ fuerunt subrogata: *Filius essentiæ Patris*; qua ratione fiet, ut Symbolum, quod in hac Diœcesi canitur in Missis solennibus, penitus conformetur cum Symbolo, quod in tota Ecclesia Catholica cani solet.

DECRETUM XII.

XLVII. QUamquam Sacris Canonibus sit adversum, pueros Christianorum, Ludimagistris paganis in eorum scholis erudiendos tradere; nihilominus cum hæc Diœcesis tot subjecta sit Regibus Idololatris, qui plerumque Præceptores alios, quam paganos non patiuntur; præcipit, & declarat Synodus, non licere Christianis adolescentibus, eas adire scholas, sive addiscendi causa artem legendi, & scribendi, sive arma tractandi, in quibus Præceptores, vel Panicales (*a*), habent Pagodes (*b*), & cogunturillue ingressi Juvenes, juxta consuetum morem, illis Sumbayam (*c*) exhibe-

(*a*) *Panicales* sunt lanistæ, qui arma tractandi artem alios docent.

(*b*) Id est Idola.

(*c*) *Sumbaya* fortasse est obsequii, ac venerationis signum, quo ingressi ludum, Juvenes Indi, venerantur. *Paranni*, sive ut alii vocant, *Sa-aspeti* Deam scientiarum; ac subinde Panicali *Sumbayam* exhibent; pari enim cultu Malabares, Deos & Præceptorem colunt; manus nimirum fronti admovendo, quas postea tendunt supplices, caput una inclinantes ipsi. Deam illam in rebus dubiis consulunt: eamque filiam *Visnu* asserunt, Deorum præcipui, ab ipsius pectore aut capite natam: ipsam effingunt, corpore nudo, cujus dextram lancea, sinistram libro, *Ollis* seu palmæ foliis compaginato instruunt, non secus ac Minervam aut Palladem Mythologi. Consule Vinc. Maria à S. Cath. *lib. 3. cap. 10. Viag. all' Ind.* De obsequio Magistris & Præceptoribus deferendo, consule Novarin. *in Schediasm.*

Digitized by Google

hibere; nec eos, quorum curæ commissi sunt, id permittere posse, sub pœna incurrendi crimen Idololatriæ. Sicubi vero Ludimagistri, sive Panicales ad ejusmodi Sumbayam, Pagodi exhibendam, Juvenes non cogant Christianorum, vel ad alias Idololatricas ceremonias exercendas, adire posse Adolescentes Christianos scholas hujusmodi; dummodo tamen nullus existat in Pago Præceptor, vel Panicalis Christianus; & Parentes, vel alii in quorum custodia fuerint, præmoneant Adolescentes, ut nulli obsequium exhibeant, nisi Præceptori; nec honoris singnificationem ullam, ut alii Adolescentes Ethnicorum exhibeant; quod diligenter caveri debet, ne in illa tenera ætate, simul cum educationis lacte, Idololatriam combibant: plurimum etiam inculcat Synodus cunctis Populis Pagorum, & cujuscumque loci, ut omni diligentia sibi comparent, Præceptorem aliquem, vel Panicalem Christianum, qui Christianorum pueros instruat; & quod attinet ad imbuendos pueros in arte legendi, vel scribendi, poterunt id præstare Cassanarii suis in domibus. Quodsi constiterit, Præceptorem aliquem, seu Panicalem cogere pueros ad exhibendam Sumbayam Pagodi, præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, cunctis Patribusfamilias, aliisve, qui Juvenes in sua cura habuerint, ut nullo pacto eos dictas sinant scholas adire: si vero contra fecerint, excommunicati declarentur, & cum rigore á Præsulibus puniantur; & ipsos Juvenes ab ingressu Ecclesiæ arceant; in quibus plurimum Vicarii, ceterique Sacerdotes invigilent, ne Juvenes Idololatricis moribus, ac ritibus assuescant: si autem in Pago, aut in vicinia, Panicalis extiterit Christianus, omnino prohibet Synodus, fidelium adolescentes, scholas Infidelium frequentare.

DECRETUM XIII.

XLVIII. QUoniam Synodo constitit, nonnullos Panicales Christianos, in suis habere scholis, Pagodes, & Idola, quibus, ut moris est, exhibeant pueri Infidelium Sumbayam, quod faciunt, ut aliarum scholarum consuetudini se conforment, nec discipulorum frequentia minuatur; jubet ipsos Panicales, statim ac de hoc ipsis constiterit, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, tales Pagodes & Idola, ipsorumque cultum a suis domibus auferre, nec pueris permittere Ethnicorum, in ipsis, ejusmodi adorationem exhibere; qui vero contra fecerit, talesque Pagodes habuerit, excommunicati declarentur; nec aliquo pacto cum Ecclesia,

Digitized by Google

na, vel Christianis communicent; nec in casu mortis in loco Sacro sepeliantur, & sepultura careant Ecclesiastica, neque pro ipsis Christi fideles publice orent: hujusmodi vero Decretum per Vicarios Ecclesiarum, ad quas dicti Præceptores pertineant, ipsis innotescat.

DECRETUM XIV.

XLIX. CUm Fidei candor, libris bonæ sanctæque doctrinæ plurimum conservetur, sicuti ex adverso, suspectæ & hæreticæ doctrinæ libris, quibus corda rudium eos legentium, vel audientium, errores ebibunt, Populi corrumpantur; cumque fuerit Synodo compertum, hanc Diœcesim libris refertam esse Syriacis, Hæreticorum Nestorianorum, aliarumque sectarum diabolicarum, hæresum quamplurium, blasphemiarum, falsæque doctrinæ plenis: præcipit in virtutæ sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, ut nemo, cujuscumque conditionis, aut qualitatis extiterit, penes se habeat, scribat, vel legat, vel legentes audiat sequentes libros. Videlicet:

L. Librum vocatum *de Infantia Salvatoris* (a) vel *Historia Dominæ nostræ*, olim ab antiquis Sanctis damnatum, cum plurimas blasphemias, multasque fabulas contineat; quas inter ait, Annuntiationem fuisse peractam ab Angelo, in Templo Hierosolymitano, ubi aderat Virgo; contra Lucam dicentem, factam fuisse in Nazareth; sicuti etiam Joseph aliam tunc Conjugem, filiosque habuisse, dum desponsatus fuit Beatæ Virgini; insuper quampluries ab eodem Sancto Puerum Jesum fuisse reprehensum, eo quod non bona ageret, lusibusque pravis, ac odio dignis oblectaretur; insuper puerum Jesum didicisse in scholis Rabbinorum, & ab ipsis fuisse instructum, & alia hujusmodi blasphema, Christoque indecentissima; cum ex Evangelio constet, ejus sapientiam Judæos fuisse miratos, dum dicebant: *quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Christum fuisse tentatum a Diabolo in deserto, ante quadraginta jejunii dies; contra Evangelistas; Joseph ut exploraret, an virgo admisisset adulterium, eam ad Sacerdotes adduxisse, & juxta morem a lege præscriptum, Virginem, probationis aquam bibisse. Imminente vero partu, Dominam nostram cum doloribus, & anxietatibus peperisse, itaut iis adacta, se in Bethleemiticum præsepe recu-

(a) De hoc libro, aliàs inscripto; *Evangelium infantiæ Salvatoris*, vide Calmet. *tom.* 7. *pag.* 48. & infra, ubi rursus de hoc libro sermo instituetur: de quo sicuti de aliis libris Apocryphis, videndus omnino, Albertus Fabricius *De Apocryph. N.T.*

Digitized by Google

receperit: demum nec ipsam Virginem, aut alium Sanctorum, Deo adhuc in Cœlo gaudere, sed in Paradiso terreno, usque ad diem Judicii: alios præterea quamplurimos errores continet: hic brevitatis gratia omissos; nonnullos enim, & præcipuos solum, in hoc libro, sicuti in ceteris aliis, indicat Synodus; ut omnibus clare pateat, quam juste, & utiliter ipsos prohibeat, & sententia Excommunicationis in legentes, vel habentes prædictos libros animadvertat, utque unusquisque illos magis horreat, & vitet, atque comburat; postremo suppetunt Synodo rationes aliæ, sibi bene visæ, quæ prohibitionem hujusmodi reddunt valde utilem, & necessariam.

LI. Item librum *Joannis Brialdon* (a), ubi sæpius scribitur, duo in Christo fuisse supposita, divinum scilicet, & humanum, contra veritatem Catholicæ Fidei, agnoscentis in ipso, unum tantum suppositum Divinum: ex quo errore infertur, in eodem libro nomina *Jesu*, & *Emmanuel*, nomina esse suppositi tantum humani; ideoque venerandum non esse dulcissimum nomen *JESU*: scribitur etiam tres divinas Personas, eadem Incarnationis unione, fuisse incarnatas: Christum Dominum nostrum esse Filium adoptivum, non vero naturalem Dei: Unionem Incarnationis esse accidentalem, & tantum ex amore, inter duo supposita, Divinum, & humanum.

Item librum scriptum *De Processione Spiritus Sancti*, in quo per totum diffuse probatur, Spiritum Sanctum non procedere nisi a solo Patre, non vero à Filio, adversus Catholicam veritatem docentem, a Patre, Filioque procedere.

LII. Item librum, cui titulus: *Margarita Fidei*, ubi multis fallacibus rationibus, ac ineptis argumentis probatur, Beatissimam Virginem, (b) nec esse, neque vocari debere *Matrem Dei*, sed *Matrem*

(a) Ebedsejus Sobsensis *in Catal. lib. Syr. c. 132.* recenset scripta *Joannis Bar-Chaldon* revera Nestoriani, & cujus opera ait Thomas a Jesu *Lib. De Convers. omn. Gent. pag. 354. damnata fuere in Synodo Diamperensi*: unde putamus ipsum esse, qui in nostro autographo, depravata voce *Brialdon* dicitur. Liber ipsius, de quo hic loquitur Synodus, putat Clariss. Asseman. *Tom. 3. Biblioth. pag. 266.* esse illum, qui inscribitur: *Magnus liber Quæstionum*.

(b) Cum in Concilio Ephesino *anni* 431 assorta fuisset contra Nestorium V. Mariæ *Maternitas Dei*, excepti fuerunt illi Patres, a Populo lætis acclamationibus, & eisdem Jo, Pæana canentes cuncti, eos ad proprias ædes cum lampadibus comitati sunt; qua occasione, agente S. Cyrillo, Salutationi Angelicæ, addita fuere verba illa: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.* atque Theodosius & Pulcheria ipsius Soror, origi curarunt, titulo *Matris Dei* augustissimum C. Poli templum in *Blachernis*, aut Suburbio Βλαχέρναι dicto (aliqui autem id Leoni Imperatori tribuunt) & Sixtus III. in ejusdem rei monumentum, Arcum erexit triumphalem, qui adhuc hoc tempore visitur, ante aram maximam Sanctæ Mariæ Majoris in Urbe; Consule eruditissimum Marangonium pluribus lucubra-

Matrem Christi: duplex etiam in Christo distinguendum suppositum, alterum *Verbi*, alterum *Jesu*: Unionem Incarnationis accidentalem esse amoris, & potentiæ, non vero substantialem; tres insuper esse Fides, & diversas *credentias*; fidemque esse divisam in tres Confessiones, Nestorianorum, Jacobitarum, & Romanorum; quæ autem Nestorianorum est, ipsam esse veram, atque ab Apostolis traditam: Romanorum vero hæreticam, falsam, atque armorum vi, necnon Decretis Imperatorum, quoad majorem Orbis partem introductam; Idemque esse Nestorium Excommunicationi subjicere, ac excommunicare Apostolos, Prophetas, & totam Scripturam: eum qui eorum doctrinam non credit vita æterna privandum: qui Nestorium sequuntur, hanc Apostolorum Fidem accepturos, quam usque in præsens Ecclesia Babylonica Syrorum conservat: Matrimonium non esse Sacramentum, sed nec esse posse: Crucis signum unum esse ex Sacramentis, in Ecclesia à Christo institutis: Inferni ignem metaphoricum esse, & non verum ignem: Ecclesiam Romanam à Fide excidisse, contra quam, illud etiam militare, quod in fermentato non celebrat; cum id Ecclesia ab Apostolis acceperit; & contrarium tamquam hæresim habendum esse.

LIII. Item librum, qui dicitur *Patrum*, in quo habetur, B. Virginem non esse, nec appellari debere Matrem Dei: Patriarcham Babylonicum Nestorianorum, caput esse universalis Ecclesiæ, à Christo institutum: Ignem Inferni non esse verum, sed spiritualem: Hæreticum esse dicere, Deum natum fuisse, aut mortuum: in Christo duplex esse suppositum, & non tantum unum.

Item librum *Vitæ Abatis Isaiæ*, à quodam Nestoriano commentariis aucto, ubi dicitur, unionem fuisse tribus Personis communem; ac S. Cyrillum Alexandrinum, qui Nestorium anathematizavit, esse impium Hæreticum, & in Inferno existere; eo quod unicum in Christo suppositum asseruit; ubi etiam, quoties de Nestorio, Theodoro, ac Diodoro sermo instituitur, iidem Sancti, ac Beati appellantur; & ipsorum testimonio contenditur, Sanctos ante diem Judicii Cœlum non adituros, nec Deo gavisuros; damnatos vero morari in Eden loco aliquo tenebroso, apud Paradisum terrenum: insuper quo aliquis nequior est, eo minus à Dœmonibus torquendum fore in Inferno, dum illic erit, ob conformitatem,

tionibus notissimum, in perpolito volumine: *Delle Cose Gentilesche &c* hoc anno 1744. Romæ edito *cap.25. pag.96.* & corrige erratum typum *Balchermis*. Ac neque additionem illam *Sancta Maria &c.* tempore Concilii illius Ephesini factam fuisse sustineamus, sed seculo XV. labente, cum Grancolasio *in Breviar.*

Digitized by Google

tem, & amicitiam, quæ intercessit dum viveret, & quam inimi adhuc colunt: Verbum factum non fuisse hominem; qui vero id asseruerit, blasphemum fore: Christum vicisse peccati affectiones virtute ab extra adveniente ipsi, quam in se non habebat, cum non esset Deus: Divum Cyrillum Hæreticum fuisse, quia unum tantum in Christo suppositum agnoscebat: duplicem in Christo naturam, Divinam & humanam, amore tantum, adeoque accidentali unione fuisse unitas: Totam Trinitatem incarnatam fuisse: Deum habitasse in Christo, tanquam in rationali Templo, cui virtutem contulit, qua se omni Justitiæ uniret, non quod eam haberet: Justorum animas in Paradiso existere terreno usque in diem Judicii, malorum autem, quæ in mortali decedunt, duci ad locum nominatum *Edem*, ubi non alia ratione torquentur, quam consideratione pœnarum, quas post Judicium luent.

LIV. Item librum nominatum *De Synodis*, (a) in quo Epistola reperitur supposita Pontifici Cajo, falsis etiam subscriptionibus plurium Præsulum Occidentalium munita, atque Babyloniis nuncupata; in qua fatentur, Ecclesiam Babylonicam nullimode Ecclesiæ Romanæ subjici debere; & tam ipsam, quam ceteras illi subditas, *immediate* à Christo subsistere, quin Romanum teneantur revereri Pontificem: atque alio in loco ait, in Ecclesia Romana existentes, Fidem abjudicasse, ac Apostolorum Canones, armata Imperatorum hæreticorum manu, corrupisse; hæreticos etiam esse, eo quod in fermentato non celebrent, contra inviolatum Ecclesiæ morem, à Christo ejusque Apostolis acceptum: plurimi faciendos esse Episcopos Nestorium sectantes, eorumque adnotationes; quos etiam Sanctos vocat, atque ipsorum Reliquias venerandas: matrimonium non esse Sacramentum, eumque ob conjugum asperitatem dissolvi posse: usuram non esse peccatum, sed rem licitam.

Item librum, qui dicitur (b) *Timothei Patriarchæ*, in quo libro

N

(a) Liber hic inscriptus *de Synodis*, fortasse fuerit, qui a Sobense *in Catal. cap.* 191. recensetur, ubi laudantur Synodi Mar-Isaaci, Barsumæ, Abæ, Ezechielis, Jesujabi, & aliorum: ast *de Synodi Orientalibus* avide expetimus opus, quod prælo parat, exactissimus rerum Orientalium scriptor, Joseph Simon Assemanus.

(b) Nestorianos duos insignitos hoc nomine invenimus; nempe Timotheum post Ananjesum secundum, in Patriarcham Syrorum Nestorianorum electum, circa annum Græcorum 1089. Christi 778.; alterum hujus nominis Patriarcham, suffectum legimus loco Jaballahæ anno Christi 1317.: cum autem ille inter ea quæ edidit, & videri possunt *in Biblioth. Orient.* Clariss. atque eruditiss. Assemani *tom.* 3. *pag.* 60 nihil de re Sacramentali protulerit, ut fecit Timotheus iste II. qui librum edidit *de Sacramentis Ecclesiæ*, cujus apographum anno 1613. exaratum, a Josepho III. Chaldæorum Patriarcha ad Sac. Congreg. de Propaganda, nuper fuit transmissum; huic potius attribuendus videtur, iste Liber; vehementissime tamen suspicamur, ne error

bro Sanctissimam Eucharistiam nefariis erroribus, ac deliramentis impetunt; idque triplici in capite, impiè asserendo, in illa Christi dumtaxat imaginem, non autem Christi verum Corpus existere.

Item epistolam appellatam (a) *De Dominica*, quam fingunt Cœlo delapsam, in qua Ecclesiæ Romanæ filii, tamquam à vera religione transfugæ, & diei Dominicæ violatores traducuntur.

Item librum, cui titulus (b) *Maclamatas*, ubi longius, pluribusque verbis probare conantur distinctionem suppositorum in Christo, atque unionem solum moralem, & extrinsecam Dei, & Hominis, quem errorem veluti primigenium, aliis falsis ac blasphemis promovent exemplis.

Item librum, qui vocatur (c) *Vguarda*, sive *Rosa*, qui etiam asserit in Christo duplex suppositum, & unionem solum extrinsecam, ac moralem, additque filios Divo Joseph ex alia uxore (d) susceptos, obstetricem advocasse ad Virginem parituram, eamque inter dolores, ac anxietates peperisse, aliaque id genus commenta penitus fabulosa, atque blasphema.

Item librum sic inscriptum *Camiz*, ubi dicitur alium fuisse Filium Dei, sive Verbum Divinum, & alium Virginis Filium, & hanc cum doloribus, & angoribus Filium suum enixam fuisse.

Item epistolam (e) *Marnacai*, quæ tota est in probando, Beatam Virginem non esse Matrem Dei, nec ita a fidelibus vocandam.

Item librum, cui titulus (f) *Menra*, ubi impie docetur, Christum Dominum esse tantummodo Divini Verbi imaginem; Deique substantiam, sive id quod hoc nomine significatur habitare in ipso veluti in templo; deinde Christum, secundum tenere locum post Divinitatem, Deique socium factum fuisse.

Item librum *De Ordinibus*, ubi primo docetur per solam formam absque materia Ordines conferri. Secundo asseruntur formæ commentitiæ, & errorum plenæ. Docetur insuper, nullum haberi Ordinem in Ecclesia præter Diaconatum, & Presbyteratum: Additur (g) Altaria lignea, & non lapidea consecranda esse. Postremo

de Eucharistica *figura Christi*, ab aliquo e Protestantibus inductus sit, cum Assemanum ejusmodi errorem in illo neutiquam comperisse appareat, dum ejus capita & Sectiones percurrit *tom.3. a pag 572.*

(a) De hac Epistola vide *Histor. Synod. Diamper. cap.2. §.2. in Notat.*

(b) Legendum *Machamatas librum Rhythmorum*.

(c) Lege *Varda*, sive *Rosa*.

(d) A Thoma Apostolo quartum, Sedem Seleuciensem tenuisse *Abrim* Hebræum, Divi Josephi filium, asserit Mares; alterum etiam filium illi appingit *Jacobum Adelphoteum*, Vide Assem. *tom.3. pag.611.*

(e) Legi debet Mar-Narsai.

(f) Lege *Memra*, idest *Liber Orationum*, seu *Sermonum*.

(g) Utrumque hoc, ut disciplinæ Ecclesiæ Orientalis firmatum caput, sustinendum esset in Indis Chaldæi ritus.

Digitized by Google

ſtremo adjungitur deprecatio quædam, qua abſolvi debent ab Anathemate, cui ſubjacent, qui doctrinam Neſtorii inſectantur, & rurſus conciliari cum Eccleſia, qui ab aliis ſectis ad Neſtorii partes accedunt.

Item librum *Homiliarum*, ubi legitur Sacram Euchariſtiam eſſe tantum (*a*) Imaginem Chriſti, & ab eo diſtingui, non ſecus ac imago ab homine vero, nec in illa eſſe Chriſti Corpus, quod ſolum in Cœlo exiſtit. Præterea totam Trinitatem fuiſſe cum humana natura copulatam, (*b*) & Chriſtum ſolum eſſe Templum Divinitatis, & Deum non reapſe, ſed ſpecie tantum: ulterius Chriſti animam non deſcendiſſe ab inferos, ſed tantummodo ad Edem Paradiſum ductam fuiſſe, nec poſſe citra errorem contrarium aſſeri: atque adeo nos in Symbolo errare: nonnullæ etiam habentur in eodem libro Epiſtolæ Synodorum hæreticarum, docentes Patriarcham Babylonicum ſubjectum non eſſe Romano Pontifici. Poſtremo adjungitur juramenti formula, qua eidem ſoli Patriarchæ tamquam totius Eccleſiæ capiti, fides, & obedientia promittatur, non vero Romano Pontifici.

Item librum, qui inſcribitur: *Expoſitio Evangeliorum*. In hoc libro paſſim duo ſuppoſita aſſeruntur in Chriſto. Inſuper aſſeritur Chriſtum utpote purum hominem, ex neceſſitate Deum adorare debuiſſe, nec ab neceſſitate orandi fuiſſe immunem; eumdem fuiſſe templum Sanctiſſimæ Trinitatis: non deſcendiſſe poſt mortem ad inferos; ſed in Paradiſum aſportatum fuiſſe, eamdemque Paradiſi ſedem. Latroni in Cruce promiſiſſe: Præterea impie docetur, Beatam Virginem reprehenſione fuiſſe dignam; eo quod ſuperbe putaret ſe Matrem magni Regis terreni, atque adeo Chriſtum eſſe purum hominem, ejuſque regnum temporale, quo in errore cum Judæis conſentiebat. Additur inſuper, Evangeliſtas non ſcripſiſſe omnia, prout vere contigerunt, cum ceteroqui pleriſque ex rebus geſtis, quas narrant, non interfuerint, atque inde ortam eſſe Evangeliſtarum diſſentionem in iis, quæ poſterorum memoriæ tradiderunt: Magos inſuper, qui ab Oriente venerunt,

(*a*) Errorem iſtum de figura Euchariſtiæ adſcitis, non nativis Neſtorianorum deliramentis tribuimus; cum enim veteres Neſtoriani, nihil ſimile aſſeruerint, non eſt cur de antiquitate illius Pſeudo-Dogmatis, authoritatem illi conciliare conentur Proteſtantes cum Crozæo: videſis noſtram *Diſſ.4. num.90.*

(*b*) Totam Trinitatem non fuiſſe cum humanitate copulatam, ſive ut dicitur *Incarnatam*, copulata natura Divina, illud eſt mirabile Myſterium, quod varie a Theologis explicatur; præ omnibus placet Auguſtinus: utinam non fuiſſet Concil. Epheſino præmortuus! *Ser.224.* alias 17. ex Sirmondianis *num.3. Deus Chriſtus* (ait) *hoc eſt quod ille* (Pater) *non hic eſt, qui ille; quia ille Pater, hic Filius*: Si ergo hic non eſt qui ille, poteſt hic incarnari, non incarnato illo.

Digitized by Google

nullam mercedem accepisse à Deo, nec in Christum credidisse: Christum vero fuisse Filium Dei adoptivum, nec ulla ratione fieri potuisse, ut esset Filius Dei naturalis, ea ferme ratione, qua impossibile est homines justos fieri naturales Dei Filios: quamobrem illum accepisse per baptismum gratiam, quam antea non habebat, eumdemque fuisse tantummodo imaginem Divini Verbi, & Spiritus Sancti Templum: Ulterius Sacram Eucharistiam solum specie tenus, & non revera esse Corpus Christi, quod in illa non existit, sed solum in Cœlo ad dexteram Dei Patris. Multa de Christo ipso subnectuntur prorsus fabulosa, & sacrilega: eum nempe utpote purum hominem, quænam futura esset finalis judicii dies, ignorasse: Thomam Apostolum, cum mittens manum in Christi latus dixit (a) *Dominus meus*, & *Deus meus*, non locutum fuisse de Christo, sed in eam (b) exclamationem erupisse admiratione raptum, ut fieri solet, ad aspectum rei mirabilis, & inopinæ: Potestatem à Christo Petro relictam in Ecclesiam nihil omnino diferre ab ea, quam Sacerdotibus aliis contulit: Quamobrem Petri Successores non excedere in jurisdictione Episcopos alios: Beatam Virginem non esse Dei Matrem: demum primam Epistolam Divi Joannis, & Epistolam Jacobi non fuisse ab ipsis scriptas, sed ab aliis, qui eodem nomine appellabantur, atque adeo non esse canonicas.

LVII. Item librum (c) *Hormisdæ Raban*, cui nomen Sancti falso tribuitur, in quo libro, Nestorium Sanctum, & Martyrem, ac pro veritate passum fuisse asseveratur: Rursus Divum Cyrillum Nestorii insectatorem, Dœmoniorum fuisse Sacerdotem, & Diaboli ministrum, atque inferni pœnis addictum: Imagines venerandas non esse, utpote idola turpia, & immunda, (d) easque Divum Cyrillum hæreticum (ut ipsi calumniose dictitant) adinvenisse, atque introduxisse. Plura in eodem libro narrantur falsa, & commentitia miracula, quæ ab Hormisda illo, ut comprobaret veram esse Sectam Nestorii, patrata dicuntur. Recensentur postremo ea,

(a) Joann. cap. 20. v. 28.

(b) Nunc primum, ut notat Calmetus, *Dei* nomen explicite, Jesu Christo in Evangelio tribuitur; unde Nestoriani validissime confutabantur; cujus vim textus ut eluderet Theodorus Mopsuestensis, istam noviziam excogitavit explicationem, nimirum Thomam non fuisse confessum Divinitatem Christi, sed τὸ *Deus* ad Patrem intendisse, exclamans præ miraculi magnitudine: *Heu Domine Deus meus quod nam miraculum!* quæ tamen confixa fuit in Synod. V. œcumenica Constantinopolitana II. Can. 12.

[c] *Raban* idem est ac Magister noster, quo titulo Chaldei Monachos proprie appellant.

[d] Adversarius Synodi nostræ Crozæus, cum ingenti plausu excipit novum inventorum Imaginum Cyrillum, cum Elmasino hæretico Jacobita; atque hujus testimonio, & Hormisdæ confisus, rem quasi certam supponit; refragatur tamen illi consensus Patrum, in traditione fundatus, & antiquissima ante Cyrillum *Pastoris* imago. Vide *Epist.* Bachin. & Cl. Assem. *tom.* 4. *pag.* 504.

Digitized by Google

mo ea, quæ Catholici in Hormisdam egerunt, ad frangendam illius contumaciam, quæ omnia, injustis persecutionibus, quas ipse in comprobationem veritatis suæ sectæ passus fuit, falso annumerantur.

Item librum *Sortium*, cui adjungitur *annulus*, qui dicitur Salomonis. Liber hujusmodi superstitiosas continet dierum faustorum electiones pro matrimoniis ineundis, aliisque rebus bene gerendis, aliaque plura sacrilega, atque ex ethnicorum ritibus petita; quem librum, & alios quoscumque de sortibus, vel de dierum electione tractantes, sub eadem censura Synodus prohibet.

Item librum alium, qui se habet instar libri illius, qui apud Catholicos sic inscribitur: *Flos Sanctorum*: describuntur enim in illo acta aliquorum Nestorianorum, quos Sanctos appellant. Eadem damnatione comprehenduntur libri alii, qui acta alicujus Nestoriani peculiariter narrant, & nominatim ii, in quibus describuntur (*a*) vitæ Abrahami cognomento *Magni* (1), Georgii Abbatis (2) Cardeg (3), quem Martyrem dicunt; Jacobi Abba (4), Saurixo (5), Johanan (6), Gauri (7), Raban Sabacat (8), Ocama (9), Daniel, Barcaula (10), Raban Nuna (11), Jacob, Rabai (12) Magni, Dadixo (13), Jomarusia (14), Schalita (15), Ihab, Abimelec expositoris (16), Abraham (17), alterius Abraham Natpraya

(*a*) Longum ac permolestum esset de his sermonem instituere; istorum plures memorat Asseman in Bibliot. tom.3. ubi de Scriptoribus Syris Nestorianis agit: pene impossibile autem, orthographicos castigare defectus, apographi Lusitani, quo usi sumus, quod nomina cognominibus confundit, disiungit, temere interpungit, aut erronee exarat: adeo ut maleficio orthographiæ Lusitanæ Renaudotio teste, ut notat Crozæus, pag.244., nomina ista orientalium, reddita sunt cimmeriis obscuriora tenebris. Ex historia tamen Thomæ Margensis, & ex aliis Nestorianorum documentis, quæ idem Assemanus *tom.3*, *citato* producit, præter ea quæ in adnotatione ad *Dec.IX. hujus actionis* dedimus supra, sic ista nomina corrigenda censemus, quæ suis cuncta numeris respondent, & cunctis etiam Codex, e quo illa castigamus; nimirum:

(1) *Abrahami* cognomento Magni: ex Thoma Margen. *in Histor. Monastic. lib.1. cap 4.*

(2) *Georgii Abbatis* Idem *lib.2. cap.12.*

(3) *Cardag.* Idem *lib.5. cap.6.*

(4) *Jacobi Abbatis.* Idem *lib.1. cap.6.*

(5) *Sabarjesu.* Idem *lib.1. cap.14.*

(6) *Johanan.* Idem *& ibidem.*

(7) *Gabrielis.* Idem *lib.2. cap.18.*

(8) *Rabban Sabocht.* Idem *lib.1. cap.14.*

(9) *Uchama.* Idem *& ibidem.*

(10) *Danielis Bar Caula*: Sobensis *in Catalogo cap.105.* apud Asseman *tom.3. pag.174.* ubi dicitur, *Daniel Tobonita.*

(11) *Rabban Jona.* Thom. Margen. *lib. cap.17.*

(12) *Rabban Jacobi.* Idem *lib.1. cap.14.*

(13) *Dadjesu Magni.* Idem *lib.1. cap.5.*

(14) *Marjabi.* Idem *lib.1. cap.19.*

(15) *Scialitæ.* Sobens. in *Catal. cap.109.* apud Asseman. *tom.3. pag.176.* Est & alius Scialita, quem Nestoriani socium S. Eugenii faciunt, de quo in eodem *tom.3. pag.302.*

(16) *Rabban Abibi Expositoris.* Soben. *in Catal. cap.112.* apud Assem. *tom.3. pag.177.* de quo & Thomas Margen. *lib.6. cap.8.*

(17) *Abraham.* Soben. in *Catal. cap.126.* apud Assem. *tom.3. pag.194.* de quo etiam Margens. *lib.3. cap.3.*

Digitized by Google

va (18), Jobcarder (19), Joannis, Ircasca (20), Nestorii (21), Jaunam [22], Barcurra (23), Raban Gabarona (24), Schabibi (25), Barcima (26), Titi (27), Raban Saporis (28), Gregorii Metropolitæ (29), Georgii Monachi (30), Xahucalmaran (31), Josephi (32), Nathanaelis (33), Simonis (34) Abbatis Chabita, (35), Zinai Abbatis, Audixo (36), Joannis Crascaya (57), Barcahade (38), Italaah (39), Joannis Sahadui (40), Aha (41), Xalita (42), Joanacoreta, Xari, alterius Joannis, Eliæ, Joadarmah (43), Annanixo (44), alterius Joannis (45), Barhetta (46), Rabai Simeonis

(18) *Alterius Abraham Netpharaje.* Soben. in Catal. *cap.*122. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*191. & Thomas Margen. *lib.*2. *cap.*17.

(19) *Job Catanei.* Sobens. *in Catalo: cap.*107. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*175.

(20) *Joannis Azrak.* sive *Azracb.* Sobens. *in Catal. cap.*115. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*182.

(21) *Nestorii.* Soben. in Catal. *cap.*20. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*35. Hic est a quo Sectarii ejusdem, dicti sunt Nestoriani.

(22) *Johanan* id est *Joannis* de quo Soben. *in Catal. cap.*56. apud Assem. *tom.*3. *pag.*72. cognomento *Beth. Raban.* Abrahæ, & Narsetis socius fuit.

(23) *Barturæ* Thomas Margen. *Histor. Monast. lib.*1. *cap.*18. Barturæ cœnobium memorat: *& lib.*6. *cap.*8. eidem Cœnobio præfuisse Marcum scribit. Vide Assem. *tom.*3. *pag.*459. 470. 501. *& pag.*344. ubi inter Cœnobia exemta numeratur.

(24) *Rabban Gabruna: Gabruna* autem idem est ac *Gabriel.*: de quo Margensis *lib.*6. *cap.*1. *& seqq.*

(25) *Habibi*: de Habibo & Jacobo fratre Monachis Margen. *lib.*6. *cap.*8.

(26) *Barsaumæ:* Soben in Catal. *cap.*54. ap. Assem. *tom.*3. *pag. alias Barsumas.*

(27) *Titi*, Amrus *in Vita Eliæ III. Patriarchæ*, Assem. *tom.*3 *pag.*558.

(28) *Rabban Saporis*: Saporis Cœnobium vide *tom.*3. Assem. *pag.*615.

(29) *Gregorii Metropolitæ*: Margen. *lib.*1. *Hist. Monast. cap.*25. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*441. ubi fuse de Gregorio Metropolita Nisibis.

(30) *Georgii Monachi* Idem Margen. *lib.*1. *cap.*28. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*218.

(31) *Sciuachalmarani*: Idem *lib.*2. *cap.*34. apud Assem. *tom.*3. *pag.*479.

(32) *Josephi* Margen. *lib.*2. *cap.*26. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*477.

(33) *Nathanaelis*: Idem *lib.*2. *cap.*20. & Soben. *in Catal. cap.*154. apud Assem. *tom.*3. *pag.*224. *&* 476.

(34) *Simeonis*: Margen. *lib.*5. *cap.*12. & Soben. *in Catal.* cap.157. apud Assem. *tom.*3. *pag.*225.

(35) *Abbatis Scialitæ*: Mares & Amrus in Vita S. Simeonis, & Barbasima Episcoporum Seleuciæ, mentionem faciunt Scialitæ & Sociorum Monachorum: vide Assem. *tom.*3. *pag.*306. Alter *Scialita* idemque recentior extitit Rhesinæ Episcopus, de quo Assem. *tom.*3. *pag.*176. *&* 294. is floruit anno Christi 740.

(36) *Zinæ Abbatis Abdjesu.* Soben. *in Catal. cap.*124. ap. Assem *tom.*3. *pag.*191.

(37) *Joannis Cascarensis*: vulgo *Abbas Cascarensis*, alius ab Abraham Cascarense de quo Margen. *lib.*1. *cap.*4. De Abbate vero Cascarense, agit Soben. *in Catal. cap.*83.

(38) *Barsabedæ*, ejus meminit Jesujabus Adjabenus: vide Assem. *tom.*3. *pag.*142.

(39) *Aitaltahæ*: ejus Cœnobium supra pagum Laghest vide *Hist. Monast.* Margen. *lib.*6. *cap.*1. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*456.

(40) *Joannis Sabaroe*: Margen. *lib.*1. *cap.*14. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*469.

(41) *Achæ.* Acha & Joannes fratres: Assem. *tom.*3. *pag.*147. 180.

(42) *Scialitæ*: Assem. *tom.*3. *pag.*306. *&* 176.

(43) *Joannis Carturi*, alterius *Joannis*; *Eliæ*; *Joannis Adramæ*: Margen. *lib.*1. *cap.*14. ap. Assem. *tom.*3. *pag.*469.

(44) *Ananjesu*: ibidem nempe *pag.*469. Assem.

(45) *Alterius Joannis*: Ibidem.

(46) *Baritæ*: Assem. *tom.*3. *pag.*218. 224. 458. 471. 473. *&* 500.

Digitized by Google

nis (47), Narsai Naban (48), Raban Theodori, Rabai Doctoris (49), Abda (50), Abolaminer (51), Rabantarsahar (52), De Cadarvi (53), Juveal Maran, Sergiududa (54), Xuvealmaran, Dadixo, alterius Abraham, & Ezequieldosa (55), Rabai Perca, David Barnutar, Hormisdæ (56), Pition (57), Salamonis Abbatis (58), Raban Machixo (59), alterius Georgii, Muchiqua, alterius (60) Abraham Apnimacan (61), Xaurixo, Ixosauran (62), Josedec, Raban camixo (63), Bardirtæ Abbatis (64), Abraham Barmaharait, Georgii Raban, Zlivæ Abbatis (65), Guiriaco (66) Rabanbaut (67), Josephi Abbatis, Zaca, Nosbian, Jesus (68) Abbatis, Haronis (69) Bucatixo, Atcan (70), alterius Abrahami, Xonxæ Abbatis, Amanixo Gasraya, Sahedonæ Episcopi (71), Joseph Azaya (72) Isahaha Episcopi (73), Jacob appellati Prophetæ, Ixa-

(47) *Rabban Simeonis*. Assem. *tom.3. pag.184. 185. 476. & 477.*

(48) *Rabban Narsai*: Assem. *tom.3. pag.63. 64. & seqq.*

(49) *Rabban Theodori Doctoris*: hic est ille Theodorus Mopsuestenus Nestorii Præceptor: Assem. *tom.3. pag.30. & seqq.*

(50) *Abda*: Assem. *tom.3. pag.368. & seqq.*

(51) *Abda* alterius: Assem. *tom.3. pag.369. & seqq.*

(52) *Rabban Isa*: Margen. *lib.1. cap.14.* Assem. *tom.3. pag.469.*

(53) *Codabua*: Rabban Codabua fuit Cœnobii Beth Halensis Archimandrita: Ebedjesus Soben. ap. Assem. *tom.3. pag.152. 204. & 284.*

(54) *Jubal-nârani*, *Sergii Dudæ*: Soben. in Catal. *cap.82.* Assem. *tom.3. p.154.*

(55) *Sciubchalmarani*: Assem. *tom.3. pag.204. 474. & 631.* *Dadjesu*: alterius *Abraham*: *Ezechielis*: ibidem.

(56) *Rabban Pharchæ*: *Davidis Barnutar*; *Hormisdæ*: Assem. *tom.3. pag.276. 284. 368. & 553.*

(57) *Phetionis*: Assem. *tom.3. pag.156. 160. 397. 490. & 506.*

(58) *Salomonis Abbatis* Assem. *tom.3. pag.186. 459. & 470.*

(59) *Rabban Machichæ*: Assem. *tom.3. pag.549. & seq.*

(60) *Alterius Georgii*: Machichæ alterius: Assem. *tom.3 pag.620.*

(61) *Abraha Aphnimarani*: Assem. *tom.3. pag.141. 148. & seqq.*

(62) *Sabarjesu*, *Jesusabran*: Assem. *tom.3. pag.285. 633.*

(63) *Josedec Rabban Chamisii*: Joannes Bar Chamis: Assem. *tom.3. p.256. & 566.*

(64) *Bardirtæ Abbatis*: Assem. *tom.3. pag.187. 501.*

(65) *Abraham Barmarait*.
Rabban Georgii.
Salibæ Abbatis: Assem. *tom.3. p.140. 218. 473.*

(66) *Cyriaci*: Assem. *tom.3. pag.487. 489. 490. & 511.*

(67) *Rabban Bautha*: Assem. *tom.3. pag.439. 488. 557.*

(68) *Josephi Abbatis*.
Raban Zachæjesu: Assem. *tom.3. pag.255. 455. 469.*

(69) *Abbatis Aaronis*: Assem. *tom.3. pag.207. 209. 211. 490.*

(70) *Bochtjesu*: *Atkenio*: Assem. *tom.3. pag.216. 217.*

(71) *Abrahami alterius*.
Sciubchaljesu Abbatis.
Ananjesu Cascarensis.
Sahaduna Episcopi.
Assem. *tom.3. pag.81. 107. 115. 142. 453. & 474.*

(72) *Josephi Huzayæ*, seu *Huzitæ*, aut *Hazaja* id est *videntis* idem *pag.23. 81. 100. & seqq.*

(73) *Isaia Episcopi*:) Assem. *t.3.*
Jacob appellati Prophetæ:) *pag. 104.*
Isaia:) & in Indi-
Eunuchi Romani.) ceScriptor-
Job, &) Nestorian.
Malachi: *qui omnes sunt hæretici &c.*

Digitized by Google

Ixajahu, Eunuchi Ramani, Jobar Malchi, qui omnes sunt hæretici Nestoriani, & perfidi sequaces illius execrabilis sectæ, ut apertè colligitur ex libris, eorum acta continentibus, qui scatent undique multis hæresibus, blasphemiis, ac fabulosis, falsisque miraculis, quibus Nestoriani sectæ suæ fidem conciliare frustra conantur.

LVIII. Item librum appellatum *Parisman*, sive *Medicina Persica* veneficiis refertum, & qui plura docet verba ad nocendum inimicis, ad seducendas, alliciendasque feminas, & ad alia turpia, & prohibita; plura insuper nomina Dœmoniorum penitùs incognita recenset, promissione adjecta, qua spondetur certò futurum, ut qui ex eorum Dœmonum nominibus saltem septem chartæ inscripta secum tulerit, quæcumque mala, & pericula evadat. Plures etiam continet superstitiosos exorcismos ad ejiciendos Dœmones, aliqua simul verba sacra, aliaque ignotæ significationis, obsecrationesque plures, quin & ipsam invocationem Sanctissimæ Trinitatis, quibus, ut sacrilegè ajunt, sternitur via ad turpia, & pudenda peccata; continet pariter deprecationes plures, in quibus merita Nestorii, ejusque Asseclarum cum meritis Beatæ Virginis promiscue copulantur, & Angelorum Sanctorum merita cum turpium Dœmonum meritis: quod quidem in hac Diœcesi frequentissimum est, & apud omnes fermè Cassanarios ad hanc usque diem usitatissimum. Prædictos libros omnes sub eadem censurà superius lata Synodus prohibet. Qui verò aliquem ex libris prædictis apud se habere compertum fuerit, ultrà memoratam censuram, pœnis aliis graviter a Præsule punientur.

DECRETUM XV.

LIX. VErum non in recensitis tantùm libris, flagitiosè Nestorianorum hæreses leguntur; sed quod detestabilius est, in ipsis Breviariis, & sacrarum precum libris adhiberi solitis in Ecclesia: cum enim a Nestorianis editi fuerint; pluribus blasphemiis, hæresibus, fabulis, ac narrationibus apocryphis scatent; ità ut in solennitatibus sacris, divinisque officiis, Deum, quem laudare debent, blasphemiis, atque conviciis indesinenter afficiant.

Itaque *in Breviario Magno* legitur, Verbum Divinum carnem non assumpsisse, quod ineptissime inferunt ex eo, quod si ita factum fuisset, superflua fuisset obumbratio Spiritus Sancti. In illo eodem Breviario, *Officium in Adventu* est ex omni parte hæreticum, cum in illo passim duo supposita in Christo asserantur, & Christus assidue

Digitized by Google

duè appelletur Templum dumtaxat Dei : Officium vero in Festo Nativitatis ultrà prædictos errores continet solennem Antiphonam, in qua legitur hæc propositio verbis Divi Joannis apertè contradicens ; nimirum *Nec Verbum Caro factum est*. Illud insuper accedit, quod qui dictæ propositioni impiæ, & hæreticæ refragantur, inobedientes appellantur, rebelles, ac tardi corde ad credendum. Quamobrem Officia Adventus, & Nativitatis nihil aliud esse videntur quam nefaria hæresum, & blasphemiarum congeries.

In libro *Precum Jejunii Magni* sæpènumero duo supposita divinum, & humanum ponuntur. Atque etiam divina Officia in cultum, & honorem Nestorii, aliorumque plurium ejusdem Nestorii Asseclarum, pluresque commemorationes de ipso Nestorio sæpius fieri præcipitur. Illud etiam additur, nempè (*a*) Marndeay, Theodorum (*b*), Deodorum, aliosque hæreticos Nestorianos, Divum Ephrem sectatos fuisse.

LX. In Breviario majori, quod vocant *Hudre*, & *Gaza*, sive *Thesaurum recitandi*, sæpissimè in Christo duo supposita asserunt, necnon impie docetur, Christum esse Filii Dei repræsentationem, & Divi Verbi Imaginem, ejusdemque Templum : suppositum divinum illuminasse suppositum humanum : Christum tractu temporis, & paulatim divina gratia, & scientia infusa profecisse : Virginem non generasse, nec in Utero gestasse Deum ; sed Christum ceteris hominibus parem ; atque adeo illam non esse dicendam Matrem Dei, sed Matrem secundi Adam : Trinitatem totam, Humanitatem assumpsisse ; idque edoctos fuisse Hebræos à Sancto Matthæo: Deum factum non fuisse carnem, sed hanc fuisse veluti umbraculum, & quoddam habitaculi genus, quo suam gloriam tegeret : Deum se tantummodo addidisse socium Christo, cum duceretur ad Crucem, nec in Cruce ipsa quidquam fuisse passum ; quippe qui Humanitatem non assumpserat : Verbum Patris fuisse in Humanitatem (*c*) mutatum, ac per Filium Mariæ genus hominum redemisse : Patrem æternum etiam carnem accepisse eodem pacto, quo Filius : Angelum missum fuisse Nuncium ad Virginem morantem in Templo,

(*a*) Legendum fortàsse *Mar Adai*, id est Sanctum Adæum.

(*b*) Lege *Diodorum*.

(*c*) Quia vix percipi valet, ista naturarum mutatio atque commixtio, sine aliqua unione, quæ habitaculi modum excedat, duplicem ex Joan. Pinchensi *Bib. Orien. tom.3. pag.355.* adinvenerunt unionem. Heterodoxi : *unionem* nempe *commistionis*; ut si Christi nomen atramento & minio commistis exaretur : *En* (ait) *corruptio, en confusio, neque atramentum est, neque minium*. Altera est *unio adhærentiæ*, si nempe idem nomen *atramento exaretur in charta minio tincta : en venustas, en lux, & atramentum est, & minium*. Illam unionem asserunt Jacobitæ, istam vero Nestoriani : unde illa potius in textu exprimitur, ut apparet.

Digitized by Google

non vero in Domo Nazareth, eamque non sine dolore peperisse non secus ac feminæ, & matres ceteræ: In Eucharistia non existere verum Christi Corpus, pluraque alia prorsus impia, & a recta fide abhorrentia, contra illam adduntur: Nestorium fuisse veracem veritatis præconem. Plures insuper ibidem gratiæ Deo aguntur, eo quod veritatem revelaverit Theodoro, ac Deodoro, Nestorii magistro. Pluribus etiam precibus oratur Deus, ut ab omni malo nos eruat, propter merita Nestorii Martyris, qui passus fuit a filiis iniquitatis, atque erroris, & præsertim Divi Cyrilli invidia, qui fuit (*a*) iniquitatis magister, necnon ut puniat aliter credentes, dissidentesque a Nestorio, ejusque Asseclis, quorum fides ibidem asseritur fundata super fidem Divi Petri, aliorumque Apostolorum. Beatam insuper Virginem, ejusque Sponsum Divum Joseph eodem in libro venisse fingitur ad Sacerdotes, qui nesciebant unde conceperat: Imagines ulterius idola esse impie docetur, nec venerandas in Ecclesiis, vel privatis fidelium domibus. Adduntur postremo Officia de Nestorio, aliisque ipsius Asseclis, & commemorationes aliorum plurium hæreticorum.

LXI. In libro (*b*) *Officii Sacerdotum Defunctorum* habetur: in Eucharistia tantummodò Christi virtutem, non autem verum Corpus, & Sanguinem contineri. Quos libros omnes, & breviaria, licet digna sint quæ igni tradantur, cum ultra enumeratos plurimos alios errores contineant; attamen Synodus emendari præcipit, eo quod in hac Diœcesi alii sacri libri non suppetant, quibus Sacerdotes utantur

(*a*) Nemo pene dixerim, e Sanctis Patribus ita acriter adversariorum obloquutionibus atque calumniis divexatus fuit, uti S. Cyrillus Alexandrinus, Nestorius enim criminabatur, confusas esse a Cyrillo duas Christi naturas, atque hujus anathematismis suos anathematismos opponebat: Joan. Antiochenus, ut ipse Cyrillus in Apologetico scribit, asserebat eum cum impio Apollinario sentire, & execranda impiaque Arii & Eunomii dogmata approbare: omnia denique opera Cyrilli aboleri contendebant orientales: immo & recens scriptor quidam insimulavit Cyrillum quasi factionarium perturbatorem, qui tamen a Parisiensi Archiepiscopo Harlæo, gravi censura repressus fuit, atque ad palinodiam compulsus *die* 16. *Aprilis anni* 1693. Ast uti Joannes ille cum suis, servente disputationis æstu, se illi infensissimum præbuit, ita defervescente ardore, ad mutuam amicitiam sincere rediit. Verum ni fallor occultum fomitem detexit simultatis in *lib. Margaritar. Sobensis part.* 3. *cap.* 4. nempe quod Nestoriani eum inter suos cum adnumerassent, eo delusi quod Theodorus Mopsuestenus Nestorii Præceptor, atque erroris præcursor, ipsi nuncupaverit Cyrillo, duos in Jobum tomos, ægerrime ferebant ab eodem ut transfuga impugnari; adeo ut per contemptum non Cyrillus, sed modo diminutive & nominis, & famæ ab illis *Cyrillulus* appellitaretur. Vide Asseman. *tom.* 3. *Bibliot. pag.* 31. Quin & hoc etiam tempore Marchio de Argens *tom* 1. *Epist. Judaicarum*, quæ iis diebus jussu Tribunalis S. Officii Romanæ Inquisitionis, præ Foribus Templi S. Mariæ super Minervam manu Carnificis, fuere traditæ flammis, Cyrillum, Cardinale Retz componit.

(*b*) Crozæus legit: *Antistitum defunctorum*.

Digitized by Google

tur in celebrandis divinis officiis, donec novi sacrarum precum libri procurentur, & a Romano Pontifice petantur, atque impetrentur. Itaque Synodus præscribit, ut primum errores, & commemorationes de hæreticis deleantur, deinde quæ habentur integra in ipsorum cultum officia, simul cum officiis de Adventu, & Christi Nativitate, a Breviariis revulsa, & in frusta discerpta comburantur. Supplicat insuper Synodus Illustrissimo Metropolitæ, ut mandato suo in hac secunda, quam parat Diœcesis visitatione, prædictorum omnium executionem urgeat. Demum præcipit in virtute sanctæ obedientiæ cunctis Cassanariis, atque Chamazibus, ut dictos libros proferant, & alios quoslibet, tum quorum usus communis est in Ecclesia, tum qui privatis in domibus sunt in usu; rursus tum pertinentes ad horarias preces, tum ad Missarum celebrationem, eosque Metropolitæ, in hac quam adornat visitatione, ad eum finem tradant, ut illos omnes, una cum doctis viris, quibus hanc curam commiserit, emendet, juxta emendationes alias ab ipso institutas, & executioni mandatas.

DECRETUM XVI.

LXII. AD Fidei puritatem conservandam, præcipit etiam Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub anathematis pœna Cassanariis omnibus, & Chamazibus, aliisque quibuslibet cujuscumque dignitatis, & conditionis in hac Diœcesi, ut intra bimestre a publicatione hujus decreti, ad ipsorum notitiam perlati, omnes, & quoslibet libros syriace scriptos, Illustrissimo Metropolitæ vel per se ipsos, vel per interpositam personam, tradant eo tempore, quo hujus Diœceseos Ecclesias visitaverit; vel nisi ipsi, saltem Patri Francisco Roz Societatis Jesu, syriacæ linguæ Professori in Collegio Vaipicotæ; vel ad minimum ad ipsum Collegium deferant, ut ab erroribus, si quos continuerint, expurgentur; vel si opus fuerit, penitus prohibeantur, exceptis libris, in quibus continentur horariæ preces, quotidie ex lege Ecclesiæ recitandæ: namque ii, juxta formam superius præscriptam, corrigi debent. Sub eodem pariter obedientiæ præcepto, & anathemate præcipit, ut nemo ex hac Diœcesi, cujuscumque conditionis fuerit, librum aliquem syriace transcribere audeat; nisi ad id Præsul facultatem ipsi scripto concesserit, facta expressa mentione libri, ad quem transcribendum facultatem concedit, sacris Bibliis exceptis atque Psalmis. Sede autem vacante, & quamdiu hæc Ecclesia suo Pastore orbata fuerit, has vices committit R. P. Francisco Roz Societatis Jesu, ut-

Digitized by Google

potè diu versato in horum librorum versione, & linguæ tum chaldaicæ tum syriacæ peritissimo; atque adeo qui optimè callet hujusmodi librorum qualitatem.

DECRETUM XVII.

LXIII. QUoniam doctrina, quæ populo publicis in concionibus insinuatur ad fidei, morumque puritatem servandam, augendamque plurimum confert, Synodus, cui compertum est aliquos ex Cassanariis sufficienti scientia destitutos ad Populum verba facere, & non raro errores, atque hæreses publice proferre, plura insuper fabulosa, & commentitia, quæ ex libris hæreticis, & apocryphis, præcipuè ex libro *De Infantia* (a) *Salvatoris*, aliisque id genus decerpunt, præcipit, ut nullus imposterùm conciones, & sermonem ad populum habere audeat: nisi ad id facultatem à suo Præsule habuerit, eamque scripto traditam, præmisso insuper ad eam obtinendam examine de sufficienti doctrina, juxta Concilii Tridentini præscriptum: at quia sedes episcopalis vacat, Illustrissimus Metropolita examen hujusmudi committit R. P. Rectori Collegii de Vaipicota Societatis Jesu in hac ipsa Diœcesi existentis, qui cum PP. ejusdem Societatis ab eo deputandis, de sufficientia cujuslibet, qui examen subierit, judicium ferat, eidemque literas obsignatas tradat, quibus Præsul de sufficientia, vel insufficientia literas exhibentis certior fiat. Illustrissimus vero Metropolita, dum obeundo hanc Diœcesim de rerum communium statu cognoscet, viros deputabit idoneos, qui populum, prout necessitas postulaverit, instruant. Omnes autem, qui concionem, & sermonem ad populum habere, absque facultate, a suo Præsule in scriptis habita, ausus fuerit, incurrat ad annum pœnam suspensionis ab exercitio ordinum, & ecclesiasticorum emolumentorum perceptione. Liceat tamen Vicariis in propriis Ecclesiis conciones, prout opus fuerit, coràm populo habere, eumque salutari doctrina ex Sacra Scriptura, aliis-

(a) Liber *de infantia Salvatoris*, opus est tota antiquitate notissimum, etiam sub titulo *Evangelii infantiæ Salvatoris*, cujus auctorem crediderunt nonnulli S. Petrum, alii S. Matthæum, alii S. Thomam Apostolum, ut Origenes, Ambrosius, & Hieronymus; Sanctus autem Cyrillus Hierosol. *Catech. 6.* illum Thomæ Manetis discipulo adjudicat. Sane Gelasius, & Timotheus Presbyt. Constantinop. *Lib. de his qui ad Ecclesiam accedunt*, edito a Meursio, perspicue distinguunt, duo hæc scripta *Evangelium Thomæ*, & *Lib. de infantia*. Adisis Calmet. *Dissert. in Evang. apocrypho num. 8.* Extat liber hic sermone Arabico exaratus, in *Bibliot. Palatin. Medic.* recens edita, ab Evodio Assemano Archiep. Apameense, in orientali eruditione versatissimo.

Digitized by Google

aliisque probatis libris deprompta pascere: ad quem finem Synodus vehementer optat, Catechismum Malabarico idiomate conscribi, cujus Catechismi, die quolibet Dominico caput aliquod coràm populo publice legatur, eumque non ignoret Synodus, id operis per Illustrissimum Metropolitam inceptum, futurum esse in promptu, tempore primæ visitationis, præcipit, ut postquam fuerit absolutum, atque in lucem editum, Vicarii omnes diebus Dominicis, vel tempore oblationis, vel si ipsis libuerit ante, aut post missam, ex ipso saltem caput unum elata voce, cum populus ibidem convenerit, legant.

DECRETUM XVIII.

LXIV. CUM ex ignorantia Sacerdotum hujus Diœceseos, & ex prava doctrina, qua hactenus longo usu legendi hæreticos, & apocryphos libros, sæpissimè contingat, ut ii errores, & acta fabulosa in colloquiis, & inter concionandum populo incaute proponant; ne aliquid erroneum, ac falsum animis auditorum infigatur, atque ità fiat, ut sensim vel recta fides corrumpatur, vel saltem morum integritas; præcipit Synodus, ut si Præsul certo sciat id contigisse, quidquid erroneè dictum fuit, scripto consignetur, & Cassanarius, vel alius quicumque id protulerit, auctoritate superioris cogatur errorem suum reprobare; quam reprobationem, vel oretenus, vel si consultius fuerit de scripto coràm populo recitet, eique sanam doctrinam errori, vel falsitati contrariam exponat. Verùm si id (quod Deus avertat) exequi recusaverit, habeatur tanquam sejunctus per anathematis censuram, a communione fidelium, & juxtà sacros canones, ac majorem, vel minorem erroris gravitatem puniatur: quod quidem severius fiat, si id scienter, & dolo malo pronuntiaverit; sin minus, atque adeo ex ignorantia, vel ex incauta loquendi facilitate, mitius cum ipso agendum erit; quamobrèm satis erit, si moneatur, cogaturque publice improbare, quod incaute protulit; qua in re, si ut par est, promptè paruerit, non ultrà est progrediendum.

DECRETUM XIX.

LXV. CUm Synodo compertum fuerit, nonnulla celebrata esse seditiosa conventicula in hac episcopali sede, post mortem Episcopi Mar-Abrahami, in quibus & publico, & secreto interposito juramento, contra jus & obedientiam Sanctæ Romanæ Eccle-

Ecclesiæ debitam, aliqui ex Cassanariis, aliique plures polliciti sunt unanimiter consentientes, se in rebus, tum quæ ad Religionem, tum quæ ad hujus Ecclesiæ regimen spectant, nihil amplexuros; nisi id ceteri omnes approbaverint, nec recepturos quemquam Episcopum a Sancta Sede Apostolica electum, & renunciatum, nisi ex præscripto Patriarchæ Babylonici; qui quidem est Schismaticus, & hæreticus Nestorianus; rursus alia quædam jurasse, eaque omnia adversus sacros Canones, & obedientiam Sanctissimo Pontifici Romano debitam; Declarat Synodus, juramenta hujusmodi, & alia similia interposita, vel in posterùm interponenda, nulla prorsùs, & irrita, eaque tam longè abesse ab obligatione ulla inducenda, impediendisque religione animis, ut potius, utpotè temere, & impiè interposita, non nisi pari temeritate, atque impietate impleri valeant. Sententiam præterea pronunciat, qua a Fidelium societate, & communione segregat eos omnes, qui tam flagitiosa juramenta acceptaverint, vel præstiterint: Immò tota Synodus jurat, ac spondet obedientiam quoad omnia, mandatis Papæ, sancteque Sedis Apostolicæ, juxtà sacros canones, seque neque nunc, neque posthac unquam accepturam Episcopum ullum, vel alium quempiam Præsulem, qui non mittatur a S. Matre Ecclesia Romana, cujus est, Præsules, & Episcopos cunctis Orbis Ecclesiis præficere; Contra vero se absque ulla mora, & æquo, libentique animo accepturam quemcumque Romanus Pontifex elegerit, eique promptam obedientiam, tamquam legitimo animarum Pastori, non expectato cujuscumque alterius jussu, nec obstante quolibet juramento, impie in contrarium interposito, protinus delaturam.

DECRETUM XX.

I.XVI. SYnodus una cum omnibus Sacerdotibus, & Populo fideli hujus Diœceseos amplectitur ea, qua par est, veneratione, Concilia omnia generalia ab Ecclesia universa recepta, & quidquid in eorum Decretis credendum proponitur, credit, & confitetur. Rejicit insuper, damnat, & anathematizat, quidquid ab illis fuit rejectum, & anathematizatum. Præsertim obsequenti animo amplectitur, & recipit Sanctum Concilium Ephesinum (a) pri-

(a) Non ingratam rem putamus lectori facturos, profereudo quo modo Nestoriani, diversos sentiendi modos de Incarnatione Domini in Synodis Ephesina & Chalcedonensi, depingant: *Inde factum est* (ait Ebedjesus Metropolita Sobensis tom. 3. Bibl. Orient. pag. 355.) *ut Christianorum cœtus in tres sectas divisus fuerit. Primam qui-*

Digitized by Google

primum, a ducentis Patribus celebratum, ac firmiter credit quidquid in eo decretum fuit; necnon rejicit, & damnat, quæ in eo damnantur, ac potissimum diabolicam Nestorianorum hæresim, quæ longo tempore in hac Diœcesi promulgata fuit, & recepta. Diris insuper omnibus execratur ejus auctorem Nestorium, & Nestorii Asseclas, qui Diabolo suadente duas in Christo personas adstruebant; ex quo tamquam primario errore, consectarios alios colligebant; & primo quidem Verbum Divinum carnem non assumpsisse; sed eam tantummodo tamquam sui Habitaculum, instar Templi sanctificasse. Secundo nec Deum incarnatum, & mortuum fuisse, nec Beatissimam Virginem Dei Matrem, sed dumtaxat Christi Matrem esse appellandam. Tertio diabolicas alias hæreses propemodum innumeras; quas omnes Synodus damnat, rejicit, & anathematizat, & in omnibus Sanctam Fidem Catholicam amplectitur, ea puritate, animique sinceritate, qua eam tenet, ac profitetur Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Magistra, cui in omnibus se subjicit, ut supra jurisjurandi religione interposita promisit. Profitetur insuper gloriosum Cyrillum Archiepiscopum, & Patriarcham Alexandrinum, qui à Pontifice Romano in Sancto Concilio Ephesino legatus præsedit, Sanctum esse, Beatum, Deoque in Cœlo gaudere; ejusque doctrinam adversùs Nestorianos in eo Concilio approbatam, Sanctam esse, atque universaliter ab Ecclesia Catholica receptam; Fatetur demum ipsam impugnantes hæreticos esse, & anathemati subjectos.

DECRETUM XXI.

LXVII. ADmittit etiam Synodus una cum omnibus Sacerdotibus, & Populo fideli hujus Diœceseos, Sacrosanctum Concilium Tridentinum, ultimum ex Œcumenicis, in Ecclesia Dei cele-

dem unam naturam & unam personam in Christo confitetur; quam Copti & Aegyptii, atque Aethiopes ex traditione Cyrilli sui Patriarchæ tenent: Altera quæ duas naturas & unam personam asserit, Melchitarum dicitur, quippe ab Imperatore vi (immo fide vera cogente) *stabilita est; & hanc suscepere Romani, qui Franci appellantur, & Constantinopolitani Graeci, & omnes populi boreales, Rutheni scilicet, Alani, Circassi, Asiani Georgiani, & reliqui ipsis finitimi. Franci vero ab illis discedunt in eo, quod Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicunt & azyma ad sacrificium usurpant. Et gemina quidem prædictæ sectæ illam vocem Deipara susceperunt. Tertia autem secta, quæ duas naturas & duas personas in Christo confitetur, Nestorianorum appellatur: qui ita per injuriam & immerito nuncupati sunt: etenim Nestorius eos* (antiquos) *sequutus est, non ipsi Nestorium*. Plura hic lectori observanda erunt, circa Historiam sectarum. Porro Sobensis floruit *anno Christi* 1285. qui ad Metropolim Sobæ seu Nisibis evectus est *anno* 1290.

Digitized by Google

celebratis: cæterum non solum credit, & confitetur, quæ in illo decreta, & approbata fuere, ac rejicit, & anathematizat, ab illo rejecta, & condemnata, verum etiam cuncta de reformatione Ecclesiæ, & Populi Christiani in eo Concilio statuta, amplectitur, eaque omnia servare, & custodire spondet, & jurat, ea ratione, qua servantur, & custodiuntur in aliis Ecclesiæ Catholicæ Diœcesibus, & in iis ipsis propinquioribus, quæ subiectæ sunt Episcopis provincialibus, & suffraganeis Goensis Metropolitæ: Quapropter quascumque malas consuetudines dicti Concilii decretis contrarias, omnino tollendas decernit; neque inposterum permittet unquam, ut aliter quam juxta reformationem morum, & Ecclesiæ Regimen a Concilio Tridentino præscriptum populi fideles, & catholici gubernentur, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, etiam immemorabili præsentis Diœceseos.

DECRETUM XXII.

LXVIII. VEnerabundo, atque obsequenti animo, una cum omnibus Sacerdotibus, ac fideli Populo hujus Diœceseos se subjicit hæc Synodus Sancto, integro, justo, & necessario Inquisitionis (a) Sancti Officii Tribunali, in his partibus existenti; quippè probe noscit, quantum ex illo integritas, puritasque Fidei dependeat: unde jurat, ac spondet ipsius mandatis, in rebus Fidei obedire, ut fit in aliis hujus Provinciæ sedibus Episcopalibus: vult insuper circa res fidei a laudato Tribunali, vel ab ipsius Commissariis, ut cæteri fideles, judicari; licet hoc Sacrosanctum Tribunal in hac Diœcesi, ob hujus Ecclesiæ distantiam ab aliis, Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ subjectis, nec non ob defectum communicationis cum illis, id hactenus non præstiterit: Supplicat

(a) Inquisitorum munus, atque nomen, a primis Ecclesiæ seculis repetenda sunt; adeo ut vel ipse Petrus Giannone *Histor. Neapol. lib.* 15. *cap. ult.* homo alias in hoc Sanctum Officium non admodum officiosus, immo hostis infensus agnoscat cum Gottofredo *in l. Quisquis* 9. *C. Th. de Hæret.* eorum institutionem primam, a Theodosio Magno profluxisse, quod postea æmulati sunt Impp. Arcadius & Honorius: primordia vero specialis *Tribunalis* S. Officii ad tempora revocat Innoc. IIII. tam etsi asserat, Inquisitoris Generalis munus, tempore Innoc. III. S. Dominico Hispano ex Civitate *Calagorra*, collatum fuisse: in quo castigandus est chorographicus palmaris error laudati auctoris, qui suapte indole ac ingenio quoscumque sequitur errantes; Dominicus enim natus est *Calaroga*, Hispanice *Calerueg a*, non vero Calagurri, aut *Calagorra*, ut ipse post Tarapham & alios scripsit: de quo vide pietate ac eruditione conspicuum P. Antonin. Bremondum *De Guzmana stirp. S. Dom. cap.* 1. *Roma edit. a* .1740. Igitur Inquisitoribus opportuna exhibuere documenta *anno* 1235. Concil. Narbonen. *Capitulis* 29. & Biterren. *an.* 1246. alia dedit monita ipsis 37. *Capitulis* comprehensa, quæ legisse nullum Inquisitorum pigebit.

Digitized by Google

plicat etiam Dominis Inquisitoribus, ut velint, ne opportunum remedium animabus desit, Commissarios suos instituere in hac Diœcesi viros aliquos doctos; vel etiam Patres Societatis Collegii de Vaipicota, & aliarum Residentiarum eorumdem Religiosorum, qui possint, ut opus fuerit, absolvere à casibus eidem Sacro Tribunali reservatis, limitationibus, ac restrictionibus adjectis, quas ipsi opportunas judicaverint. Ratio sic supplicandi est difficultas confugiendi ad Goense Tribunal, quam patiuntur Montium Incolæ; tanto magis quod sæpè sæpius casus contingunt urgentes, eo quod inter Ethnicos degunt, suntque ipsis commixti, unde oritur, ut ex eorum commercio pluries, etiam in iis, quæ ad Religionem pertinent, inscii, & rudes homines delinquant.

DECRETUM XXII.

LXIX. CUM in rebus fidei, maximam oporteat puritatem servare, nec non plurimum vigilandum sit, ne Populum corrumpant doctrinæ falsæ, & peregrinæ; præcipit Synodus omnibus huic Sedi Episcopali subjectis, cujuscumque qualitatis, & conditionis, ut ubi ipsis constiterit, quemquam credere, facere, vel promere, verbo, vel scripto aliquid contrarium Fidei catholicæ, vel hujus rei esse auxiliatorem, aut fautorem, majori quà possit celeritate, & secreto, id Præsuli deferat; quod si huic non valeat, Vicariis Ecclesiarum id aperiat, aliisque fidelibus viris, qui de hoc per literas quamprimùm rationem reddant, ut juxtà causæ necessitatem provideatur: præcipit etiam in virtute sanctæ obedientiæ ipsis Vicariis, ceterisque, quibus ejusmodi res delatæ fuerint, ut eas cito citiùs denuntient.

Digitized by Google

ACTIO IV.

De Sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

Doctrina de Sacramentis in genere.

LXX. NOvæ legis Sacramenta, per Jesum Christum Dei Filium, Redemptorem, (a) ac Salvatorem nostrum, in sua Ecclesia ad medelam, & salutem hominum instituta, quibus suæ sacræ passionis, & mortis infinita merita in animarum nostrarum fructum impenduntur; per quæ etiam omnis vera justitia incipit, cœpta augetur, & amissa recuperatur, sunt septem: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium; quæ quidem a veteris legis Sacramentis plurimum differunt: illa enim gratiam non conferebant, sed eam, quæ per Christi passionem, conferenda erat, præfigurabant: nostra verò Sacramenta & gratiam in se continent, & ipsam dignè illa recipientibus conferunt. Quorum priora quinque ad bonum spirituale cujuscumque proprium spectant: posteriora duo ad Ecclesiæ regimen, augendumque Fidelium numerum. Per Baptismum ergo Deo spiritaliter renascimur; per Confirmationem gratia crescimus, ac in fide roboramur: renati autem, & roborati, divino Eucharistiæ, & Sacramenti Altaris enutrimur pabulo: quod si ex peccato, animæ contrahimus ægritudinem, per Pœnitentiam spiritaliter sanamur; per extremam denique Unctionem salutem animæ, & corporis, si ità expediat, obtinemus. Deinde Sacramento Ordinis Ecclesia regitur, ac spiritualiter multiplicatur; Matrimonio demùm corporaliter augetur. Omnia isthæc

(a) Septenarium Sacramentorum numerum agnoscunt Nestoriani: at mirum quantum in iis recensendis dissentiant. Ebedjesus Sobæ *lib. Margar. par. 4. cap. 1.* ponit 1. *Sacerdotium*. 2. *Baptisma*. 3. *Oleum unctionis*. 4. *Oblationem corporis & sanguinis Christi*. 5. *Remissionem peccatorum*. 6. *Sacrum fermentum* (quid illud sit, dum de Eucharistia agetur explicabimus) 7. *Signum Crucis*. Timotheus II. lib. *de Sacram.* inter Sacramenta censet *Consecrationem Ecclesiæ & Altaris*, *Benedictionem Monachorum*, & *Officium pro defunctis*, & ad calcem libri meminit de *Indulgentia* seu *Pœnitentia*; Christiani Divi Thomæ, Sacramenta tantum Baptismi Eucharistiæ & Ordinis colebant; ast id ex ignoratione Cassanariorum recentiorum proveniebat: evincitur enim ex antiquis Ecclesiæ Malabarensis Ritualibus, septem eos Sacramenta cum Ecclesia Catholica agnovisse: videsis infra *Dissert. 4. num. 88.*

Digitized by Google

isthæc Sacramenta tribus perficiuntnr: Rebus ut materia; verbis tanquam forma; & Ministro, qui Sacramenta peragat, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: Ex quibus si vel unum deficiat, non perficitur Sacramentum: omnes verò ceremoniæ, ac approbati ritus, quibus in ipsorum administratione utitur Sancta Mater Ecclesia, Sancti sunt; neque contemni, omitti, vel in alios mutari valent; licet ad integritatem, & essentiam Sacramenti non pertineant; absque gravissimo peccato. Tria etiam ex ipsis, spirituale quoddam signaculum animæ imprimunt, omninò indelebile, ab aliis distinctum, quod appellatur character, atque idcirco à nullo iterari possunt; & sunt Baptismus, Confirmatio, & & Ordo: quattuor alia, nimirum Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, & Matrimonium, hujusmodi signum minimè imprimunt, unde debito modo reiterari valent. Etsi tamen omnia septem Sacramenta sint divina, & gratiam in se contineant, & digne accedentibus eam conferant, atque omni veneratione digna sint, & cultu, tum quia id exigit Authoris excellentia, qui est Jesus Christus Filius Dei, necnon assistentia Spiritus Sancti, qui in illis operatur, tum etiam ob virtutem, quæ illis inest, ad sanandas animas, & quia in ipsis depositus est thesaurus passionis Christi, quæ per ipsa nobis communicatur: nihilominus id non officit quominus alia aliis digniora habeantur, ampliorique veneratione, cultu, ac reverentia pertractari debeant. Hæc Jesus Christus, antè suam in Cœlum Ascensionem instituit, quo per ea suis fidelibus gratiam, ac cetera bona, quæ nobis passione sua, & morte acquisivit, communicaret: ipsa suo verbo firmavit, ac promissionibus, ut nos redderet securos de suimet, suæque passionis fructus communicatione; dummodò ipsis, legitimè, ac præmissa debita præparatione, juxta uniuscujusque Sacramenti modum, & Christi institutionem uteremur.

DOCTRINA.

De Sancto Sacramento Baptismi.

LXXI. PRimum inter alia Sacramenta locum obtinet Baptismus; est enim spiritalis vitæ janua; ac per ipsum aliorum Sacramentorum capaces reddimur, ad quæ sine illo inepti essemus; etenim sicuti nequit homo, antequam sit natus bonis gaudere vitæ naturalis; ità neque bonis spiritualibus supernaturalis vitæ, priusquam per Baptismum sit ad illam renatus, & per

Digitized by Google

illam membra Christi simus, atque Christianæ Reipublicæ, necnon Ecclesiæ corpori mystico copulemur. Et quia (a) *per primum hominem mors pertransiit* in alios homines, ob peccatum inobedientiæ, quod ipse, & nos in ipso commisimus, ac propterea a Regno Cœlorum excludimur, & nascimur filii iræ, atque a Deo separati, si denuo non (b) *renascimur ex aqua, & Spiritu Sancto, non possumus introire in Regnum Dei*, prout ipsa veritas Christus, nos docuit. Itaque nascimur ex utero Matris filii iræ, & per Baptismum renascimur filii gratiæ: nascimur in peccato hominum filii, at in Baptismate nascimur filii Dei, quia Christo inserimur, juxta Paulum dicentem, (a) *quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis*. Sacramenti istius materia est aqua, vera, naturalis & communis, Maris scilicet, fluminum, fontium, lacuum, & pluviæ, & nulla alia, quantumlibet munda, & pura, cum reliquæ sint potius liquores, quam naturalis aqua. Forma est hæc: *Ego te* (b) *baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Minister ordinarius est Sacerdos, ad cujus munus pertinet baptismum conferre; ceterum in casu necessitatis quilibet, vel Sacerdos, vel Diaconus: immò etiam laicus, aut etiam femina: Ethnicus insuper, Turca, Hæreticus, vel Judæus, demum hominum quicumque baptizare potest, servata tamen Ecclesiæ *Forma*, cum intentione faciendi, quod ipsa facit, cum etenim nullus salutem assequi valeat, non baptizatus, eadem causa, qua Christus hujus Sacramenti materiam, aquam esse voluit, qua nihil communius, voluit etiam omnes, nullo excluso, hujus Sacramenti Ministros esse. Hujus Sacramenti vis, & effectus, venia est, & remissio omnium peccatorum, tam Originalis, quam actualis ante Baptismum commissi, totiusque reatus pœnæ per ipsum contracti;

(a) Paul. *Ep. ad Rom. cap.5. v.12.*
(b) Evang. Joan. *cap.3. v.5.*
(a) Paul. *Ep. ad Galat. cap.3. v.27.*
(b) Cum *Baptisma* nihil aliud significet nisi ablutionem, septem Baptismatis seu ablutionum species enumerant Orientales cum Ebedjesu: *ib. Margarit. Par.4. cap.3.* nimirum 1. Baptisma commune. 2. legale. 3. Baptisma ex traditione seniorum, dum sacra vasa abluuntur, calices &c. 4. Baptisma Joannis. 5. Baptisma Christi. 6. Baptismus sanguinis ex illo Christi *Baptismum habeo, quo baptizer, & multum coarctor, donec perficiatur.* 7. denique Baptisma lacrymarum. Ex iis videre licet antiquam traditionem Ecclesiæ de tribus Baptismi speciebus fluminis, sanguinis & flaminis: ne omnia Acatholici vanis Scholasticorum insomniis tribuant. Timotheus vero II. *Lib. de Sacram. cap.3. sect.4. de modis Bap.* octonarium celebrat numerum; nam ab eo recenseetur 1. *Baptismus Diluvii.* 2. *Baptismus in mari & in nube.* 3. *Baptismus legalis per Moysen.* 4. *Baptismus Joannis per aquas tantum nimirum pœnitentiæ.* 5. *Baptismus Domini nostri, qui est adoptionis filiorum per aquam, & Spiritum.* 6. *Bapt. Martyrum.* 7. *Lacrymarum.* 8. *Baptismus alter per quam difficilis, quo baptizantur per ignem.* Et forsitan isto intelligebat baptismate, purgatorium ignem,

Digitized by Google

tracti: quapropter nulla debet baptizatis pœnitentia imponi, pro peccatis ante baptismum commissis: immò si Baptismate suscepto, absque novo crimine moriantur, salutem assequuntur, ac Dei visione in æternum fruuntur.

DECRETUM I.

LXXII. CUM deprehenderit Synodus, varias in hac Diœcesi fuisse inductas formulas abluendi Sacro Fonte à Præsulibus Schismaticis, aut ab Hominibus rudibus, & indoctis, earumque formularum plures irritas esse, ac nullius efficaciæ in Sacramento perficiendo, ut diligenti examine illis discussis, Illustrissimus Metropolitanus judicavit: alias verò incertas, ac dubias, plurimum commendat Fidelibus omnibus christianis hujus Diœceseos, immò etiam præcipit, in virtute Spiritus Sancti, ut Illustrissimo Metropolitæ, Diœcesim quamprimum obituro, vel aliis ab ipso deputandis, sincere exponant cuncti tempus, quo fuere sacro Fonte abluti, ut facta collatione temporum, dignosci possit, an verbis ratis, ac data à Christo forma abluti fuerint, an secus. Quod si secus, possint opportuna adhiberi remedia, quibus eorum spiritali saluti consulatur, prout Illustrissimus Dominus decreverit, cui omnes obedire teneantur, & quidquid jusserit executioni mandare.

DECRETUM II.

LXXIII. QUoniam post diligentem disquisitionem, à Reverendissimo Metropolitano peractam, in Ecclesiarum hujus Diœceseos nupera visitatione circa modum administrandi Sacramenta, alicubi compertæ sunt aliquæ dissentaneæ formæ in Baptisteriis scriptæ. Compertum est etiam plures Cassanarios Sacramentum Baptismi conferre per hanc formam. (a) *Baptizatus est, & perfectus est, N. in nomine Patris, Amen; in nomine Filii, Amen: in nomine Spiritus Sancti, Amen.* Alibi verò in usu esse Græcorum formam cum hac additione *in nomine, & Amen*

(a) Ista non erat revera (uti putabant PP. Diamperitani) baptismi forma, ab illis Cassanariis usurpata, sed proclamatio illius, jam celebrati; quod perspicue constat ex ordine Baptismi Chaldæorum Cod. *Syr. Vatic.* 16. & habetur *tom.* 4. *Bibl. orien. pag.* 241. Si vero Ritualis verba perpendantur, formam potius confirmationis ea exhibent.

Digitized by Google

Amen; dicendo: (*a*) *Baptizetur servus Christi, in nomine Patris Amen: in nomine Filii Amen: in nomine Spiritus Sancti Amen*: jubet Synodus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub anathematis pœna ipso facto incurrenda, ut nullus his, aliisve formis uti audeat, sed eam tantum abhibeat, quam approbat, & adhibet Sancta Ecclesia Romana; nimirum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; utque aliæ quæcumque à Baptisteriis, & libris, in quibus scriptæ inveniuntur, deleantur, penitusque obliterentur, quarum loco hæc sola scribatur.

DECRETUM III.

LXXIV. QUum ad Synodi notitiam pervenerit, quamplures ex hac Diœcesi Silvicolas, præsertim longè ab Ecclesiis distantes, sacro fonte ablutos non esse, interim tamen se christianos reputare, eo quod ex iis originem trahant: immò ad Ecclesias accedere ad participandum de Sacramentis aliis: causam verò cur à Baptismo suscipiendo abstineant duplicem esse: erubescentiam nimirum, & paupertatem: ipsos enimverò pudet fateri se non esse baptizatos: piget etiam solvere pretium illud, quod antehac simoniace exigebatur: præcipit Synodus Ecclesiarum Vicariis, ut singuli in Paroeciæ suæ territorio, diligenti examine, ultra id quod, cum Diœcesim obiret, ab Illustrissimo Metropolita institutum fuit, & in ea, quam parat nova visitatione propediem instituetur, accuratè perscrutentur, an aliquis in Silvis, quas plures incolunt, Sacro Fonte non ablutus inveniatur, insuper diebus festis, quo tempore Silvicolæ in Ecclesiis conveniunt, omnes de hac re in communi admoneant. Quod si eorum aliquis non sit ablutus, vel de suo Baptismo prudenter dubitet, ei secreto necessitatem suscipiendi baptismum denuntient, eidemque baptismum

(*a*) In Rituali nuper laudato Syriaco ponitur hæc forma, at in præsenti indicativi modi: *baptizatur*. Anno 1630. deputata fuit Romæ congregatio Theologorum super validitate Baptismi Chaldæorum, qui utebantur verbo *Eemad* pro masculis & *Eemdad* pro feminis id est *Baptizatus* aut *baptizata est talis in nomine Patris &c.* forma de præterito; quamquam ex actione baptizandi ad significandum de præsenti contraheretur; ut aliqui contendebant: decrevit tamen Congregatio quod ad tollendam omnem erroris occasionem in Sacramento adeo necessario, uterentur in posterum Chaldæi, vel verbo præsentis indicativi, aut imperativi; si vero vellent uti verbo indifferenti ad præteritum & præsens, illud usurparent in significatione de præsenti. Recentiores autem Chaldæi tutius duxerunt, verbo uti de præsenti: *Ego te baptizo servus Christi talis &c.* alii etiam Syriacam & Græcam formam usurparunt dicentes: *Baptizatur talis &c.* quæ quidem usitata est Græcorum forma, quidquid dicant aliqui Scholastici, de quo vide inter alios Anonymum de Re Sacramentaria; & nostrum Berti in perpurgato & eximio opere *de Theol. Discipl. lib. 31. cap. 8. prop. 2.*

Digitized by Google

mum secreto conferant, doceantque nihil solvendum esse, juxta id quod Synodus alibi constituit, ac declaravit: palam etiam insinuent non baptizatis, non esse christianos, nec æternam posse adipisci (a) salutem, nec Sanctorum Sacramentorum participes futuros, nisi prius per Baptismum fuerint inter christianos cooptati; eandem insuper veritatem sæpe sæpius inculcent Concionatores: Deputati etiam ad confessiones excipiendas rudes istos Silvicolas interrogent; an Baptismi Sacramentum susceperint: si verò occurrat de illius susceptione prudens dubium, eos secreto abluere possunt, ad quod facultatem Synodus impertitur Sacerdotibus quibuslibet tum hujus, tum alterius Diœceseos. Siquem ergo repererint ex rudibus hisce hominibus, sacro fonte non ablutum, ubique locorum eum possunt abluere.

DECRETUM IV.

LXXV. CUM Synodo certa scientia compertum sit, aliqua esse in hac Diœcesi loca exigua, ubi incolæ, & propter Præsulum, ac Sacerdotum negligentiam, & quia loca hujusmodi longo intervallo ab Ecclesiis distant, nondum sunt initiati baptismate, & Christianorum vix aliquid præter nomen habent, quamvis Christiani Divi Thomæ communi nomine appellentur, & ab eorum stirpe descendant, præcipit in hanc rem diligenter inquiri, quam curam primo Reverendissimo Metropolitæ committit, deinde Ecclesiarum Vicariis. Excurrant ergo hi, loca omnia suis Paroeciis adjacentia, & incolas inducant ad suscipiendum baptismum, Ecclesias insuper ædificari curent in Pagis hujusmodi, vel saltem in locis finitimis: Vicarios etiam ibi constituant, à quibus rudes in rebus ad Religionem pertinentibus instruantur: ità ut nullus inposterum pagus relinquatur, cujus incolæ baptismi sint expertes, & Ecclesia, ac Vicario careant. Quod si aliter fieri nequeat, pagos prædictos alteri Territorio adnectant, cujus Vicarius Sacramenta illorum incolis administret.

DE-

(a) Nestoriani negant peccatum originale; infantes vero & potissimum ex Parentibus Christianis progenitos asserunt nulla labe teneri; ista hæresis Pelagianorum, a Theodoro Mopsuesteno pariter propugnata est; unde Nestorius istius discipulus eam arripere potuit; attamen secum pugnantes (qui heterodoxorum est character) iidem docent, omnes etiam parvulos; e Christianis natos, baptismo indigere; quia ex peccato primi Parentis, nati sunt filii iræ & servi peccati; adeo ut si infans morti proximus aquis baptizari non possit, eum oleo catechumenorum signent; quod loco aquæ, assumere ad baptizandum possunt & debent, ex Timoth. II. Patriarc. & Georgio Arbelensi *de Baptis. quæsito* 20.

DECRETUM V.

LXXVI. QUIA plurimum negligunt Christiani hujus Diœceseos, suos parvulos, intra (a) octo dies ab ipsorum ortu, juxta Ecclesiæ morem, baptizandos adducere; præsertim pagorum incolæ, quorum plerumque Infantes (b) post menses plures, immo aliquando etiam post plures annos baptizantur, Synodus severissimè jubet, baptizari omnes intra octiduum à nativitate, ut mos est universalis Ecclesiæ: quod si periculum mortis instet, vel prævideatur impedimentum, per quod baptismus, ultra quam par est, differri debeat, jubet baptizari vel nulla mora interposita, vel statim ac baptismi opportunitas se obtulerit. Qui verò in Silvis, & longe ab Ecclesiis degunt, si infantes suos intra octiduum asportare nequiverint, terminum tamen quindecim, aut viginti dierum non prætergrediantur; si qui autem negligentes fuerint, graviter puniantur; quod si eorum tanta sit negligentia, ut suos filios, vel parvulos sibi commissos, etiam captivitate acquisitos, ultra mensem, ad baptismum non duxerint, ab Ecclesia separentur, nec Sacerdotes domos ipsorum ingrediantur, nec ipsi Casturim exhibeant, donec eos ad Baptismatis fontem perduxerint; ceterum dum probabiliter timetur parvulo, mortis discrimen ex longinquitate itineris, ipsius Pater, vel ejus curam gerens, Vicarium propriæ Ecclesiæ certiorem reddat, ut ipsi salutare conferat remedium, nec periclitanti Puero Baptismi beneficium retardetur: jubet insuper Synodus Vicariis, quamprimum eo loci per se, vel per Sacerdotem, diligenter accedere, cum id ad ipsorum munus quam maxime pertineat.

DE-

(a) Perperam ait Crozæus octiduum istud ritum esse Judaicum Lusitanorum. Vide infra, *Vindicias Synodi, num.86.*

(b) Nec recens nec Malabaricæ regionis propria putanda est ista consuetudo, aut abusus protrahendi baptismi tempus; is enim fuit Babyloniorum mos, adeoque vetus, ut a seculo 8. aut sequenti repetendus sit. Etenim cum apud Nestorianos ea viguerit disciplina, ut si eorum filii absque Baptismo decederent, in pœnam admissæ incuriæ quinquaginta dierum continentia in ipsos animadverterent, rogatus super hoc Georgius Arbelæ Metropolita, quare id observandum esset, cum nullo Canone, aut SS. Patrum præscripto id constaret; ita respondit *lib. de Sacram. Qu. esit. 31. Respondeo, antiquis temporibus filios suos per annum, duos tresve relinquebant parentes, & maxime montium pagorumque incolæ, ac præsertim in locis, ubi neque Ecclesiæ, neque Presbyteri erant eorumque Baptismum negligebant: ut sine illo decederent; ideo decretum fuit ut parentes continentiam observarent &c.* Nec dissimilis est casus nostræ Synodi. Florebat autem Arbelensis anno Christi 945.

Digitized by Google

DECRETUM VI.

LXXVII. IMprobat Synodus pravam consuetudinem, quæ usque in præsens in hac invaluit Diœcesi, non baptizandi parvulos ex Parentibus excommunicatis natos, ne baptismum conferentes cum illis communicarent, undè non raro factum est, ut pueri per plures annos baptismo caruerint, nec salutari hoc remedio ipsis consultum fuerit, ne in ipso quidem mortis periculo: qua de causa Synodus contrarium decernendo præcipit, ut hujusmodi excommunicatorum filii, vel alii apud ipsos nati, non secus, nec alio tempore, quam ceteri, baptizentur: declarando ulterius, nullam incurrere censuram, aut pœnam, qui tales parvulos asportaturi eorum domos ingrediuntur, eosve conducunt, levant, vel de Ecclesia reducunt; ceterum hæc agentes, non se associent excommunicatis, neque ipsorum conviviis, vel celebritatibus, etiam ob hunc finem institutis, in eorum domibus intersint, quod planè ipsis non licet.

DECRETUM VII.

LXXVIII. HOrtatur, atque commonefacit Synodus, Patres, & Matres, & alios quoscumque, qui feminarum partui interfuerint, ut maximam curam, ac diligentiam adhibeant, ne parvuli sine baptismo moriantur: unde si ipsos viribus destitutos, aut vita periclitari compererint, illico, si fas sit, Vicarium, aut etiam quemlibet alium Sacerdotem, eo absente, quærant, & arcessant, ut eos baptizet: Quod si tale fuerit vitæ discrimen, ut ne brevem quidem moram patiatur, tunc cuique ex (a) Astantibus eum baptizare liceat, servata Ecclesiæ forma, atque adeo capiti ipsius aquam fundendo, atque uno, eodemque tempore proferendo hæc verba: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*: Servari tamen hic ordo debet, ut Ecclesiastici, secularibus, & viri feminis præferantur, dum tamen omnes formam sciant Baptismatis: si vero alii nesciant, ille solum, qui scit, baptismum conferat. At si dum nascuntur parvuli, vita periclitari videantur, dummodo caput, vel ex potioribus membris aliud ex materna alvo eruperit, eos baptizent,

 etiamsi

(a) Nestoriani cum asserant solum Presbyterum ministrum esse Baptismi, consequenter, id denegant Laicis; nec in quocumque necessitatis eventu eis baptizare permittunt; quod etiam tenent recentiores Græci ex Arcud. *de Concord. lib. 1. cap. 11.*

Digitized by Google

etiamsi ex integro corpus foras non prodierit, aquam tali membro affundendo, ac formam proferendo.

LXXIX. Ita vero baptizati, si supervixerint; dummodo caput, vel potior aliqua corporis pars abluta fuerit, & servata fuerit forma, non baptizentur iterum, sed unicè ad Ecclesiam asportentur, ut ibi sancto oleo inungantur; si vero pars alia corporis minor abluta fuerit, sub conditione postea baptizentur, per hæc verba: (a) *Si es baptizatus non te baptizo, sin aliter, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et ita se gerant Sacerdotes, aut quilibet alius, cum illis, de quorum baptismo probabile, prudensque dubium occurrat; caveant tamen ne parvulum periclitantem in ortu, si alii adfuerint, Pater, aut Mater baptizent, idque caveant ad evitandam inter conjuges spiritualem cognationem: Quod si nullus alius adsit, & instet probabile mortis periculum, poterunt Pater, vel Mater eum baptizare, ne puero extrema laboranti necessitate remedium desit.

DECRETUM VIII.

LXXX. CUnctis populis inculcat Synodus, ut suis in pagis feminas habeant christianas, quæ (b) obstetricandi munus exerceant, formamque baptismi calleant, atque adeo parvulis periclitantibus in casu necessitatis succurrere valeant. Quia tamen Obstetrices ethnicæ, ac præsertim, quæ Turcarum Sectam profitentur, multas superstitiosas ceremonias, a puritate, & Sanctitate Christianæ Religionis abhorrentes, erga infantes recenter natos exercent, Vicariorum frequens cura sit, populum, ac præsertim Obstetrices hac in re instruere, itaut omnes sciant, parvulis in discrimine versantibus succurrere: Sacerdotes etiam Obstetricum confessiones excipientes, de hoc eas interrogent: An formam baptismi sciant, & ignaras erudiant, iisque exponant, quantum earum intersit, id non ignorare.

DE-

(a) Conditionalem hanc formulam ex Alexandri III. Constit. præscribit Catechismus Concilii Trident. cujus etiam meminit Concil Cameracen. *anni* 1586. *Tit.6. de Baptis. n.8.*

(b) Concilium Cameracen. inculcat, *Tit.6. de Bapt. n.11.* quod obstetrices *per Pastorem loci sint examinatæ, & si opus sit instructæ.* Adstringuntur etiam jurejurando ut qui baptizandi sint pueri, *ante diem a nativitate eorum tertium, omnino Parochis denuntient.* Et in Concil. Mediolanen. 5. sub S. Carolo Borromæo præcipitur §.7. ut adsint aliæ mulieres testes, quæ audiant obstetricis verba, utque *Parochus postea diligenter obstetrices & testes, de verbis prolatis interroget.*

Digitized by Google

DECRETUM IX.

LXXXI. PRæcipit Synodus, ut nullus Christianorum apud se habeat famulum captivum non baptizatum; si quos ergo habuerint inferioris ætatis, illicò illos baptizari curent: si verò fuerint adulti, eos ad fidem, ac Baptismum alliciant, sine vi, frequenti tamen suasione; Quod si quis inveniatur, suos inter famulos habere vel puerum teneræ ætatis, vel adultum non baptizatum, qui tamen baptizari velit, graviter per Præsulem puniatur, illi verò baptizentur; cui rei plurimum Vicarii invigilent, tempore præsertim, quo in album referunt, ut moris est, qui præcepto annuæ confessionis satisfecerunt, qua occasione singulas Paroeciæ domos perscrutantes inquirant, an ibi aliqui sint nondum baptizati, & si qui sunt, baptismum qua de causa non susceperunt, probe, & accurate noscant.

DECRETUM X.

LXXXII. QUoniam Christianorum aliqui, suæ professionis obliti, contrà sacros Canones turpi lucrandi cupiditate impulsi, christianos juvenes ethnicis vendunt, qui juvenes, utpote inexperti, & dominorum suorum metu coacti, plerumque christianam religionem abnegant: præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis a Jure lata, quam ipsos incurrisse statim declarabit, ne aliquis ex Christi fidelibus, contractus hujusmodi cum Infidelibus exercere audeat: quod siqui hac in re delinquentes inveniantur, statim a communione Fidelium segregati declarentur, nec unquam absolvantur, donec, quem vendiderunt, redemerint, etiam majori pretio, si opus fuerit, vel saltem Vicario Ecclesiæ, & ceteris Cassanariis, ac Populo, se fecisse pro redemptione quantum potuerunt, constiterit. Quo in casu antequam absolvantur, solvere debeant in pœnam, id pretii quo illum vendiderunt; quo pretio Vicarius, & Œconomi Ecclesiæ, alium emant juvenem ethnicum (frequentes enim in Malabare sunt venditiones hujusmodi) quem baptizari curet, & statim ac christianam religionem professus fuerit, manumittatur, ac libertate donetur; alicui insuper ex ditioribus, & bene moratis Christianis dono detur, qui ipsum pietate in Deum, bonisque moribus imbuat. Jubet præterea Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, nequis aliquem adolescentem, aut adolescentulam, etiam non bap-

Digitized by Google

tizatos, Turcæ, Judæo, vel Gentili vendat: ob imminens perversionis periculum, quæ certò continget, si infidelibus vendantur, ut frequens experientia docuit. Poterunt tamen eos, si opus fuerit, Christianis vendere; dummodo jure capti sint; qui autem contra fecerit, graviter puniatur; excipe tamen, si is, qui veniit, adultus fuerit, ac vigesimum annum excesserit, atque ante venditionem ad Vicarium adductus fuerit, cui compertum fiat, eum nolle baptismum suscipere.

DECRETUM XI.

LXXXIII. QUoniam istarum partium Ethnici, utpote plurimum auguriis, ac superstitionibus dediti, si dies nativitatis filiorum, inani conjectura ducta ex superstitionis auguriis nefasti habeantur, eos aliquando perimunt, ne vitam, ut putant, agant miserrimam; sæpe etiam ipsorum Matres, ne proprias manus filiorum sanguine cruentent, eos in Silvis sub arboribus, vel inter virgulta deserunt, (a) ut ibi moriantur, pereantque: præcipit Synodus omnibus fidelibus Christianis hujus Diœcesèos, quippe cum ipsis ethnicis commixti, aut in vicinis commorantes, quæ apud ipsos fiunt, scire facile possunt, ut in re tanti momenti plurimum invigilent; & si qui pueri in Silvas transferantur, ibi deserendi, eos quærant, aut quovis modo in Silvis repertos, christiana charitate excipiant, eosque vel per se ipsos baptizent, vel ab alio baptizari curent, si eos in mortis periculo constitutos inveniant, etiamsi ipsorum Parentes cognoscant, sciantque id ægre laturos, nam eorum dominio se privasse Parentes videntur, dum eos procul à se abjectos, morti exposuerunt; quamobrem in Parentum locum Ecclesia tamquam pia Mater succedit; atqueo adeo ipsi incumbit onus eos suscipiendi; quod si illos alere nequiverint, eosdem ad Vicarium, & ceteros Ecclesiæ Cassanarios adducant; quibus in Domino præcipimus, ut Primoribus sui Pagi congregatis, eos vehementer, & efficaciter hortentur ad parvulorum hujusmodi curam suscipiendam, eisque Nutricem,

(a) Quam hic horrori ducimus barbariem crudelissimam, e vanis auguriis descendentem, non absimilis secuta est impietas, nostrarum regionum seculo 5. canibus enim exponebant infantes, nec ipsos calumniarum metu, colligere ullus audebat; jussit autem Concilium Vasense *anno* 442. *can.* 9. eos colligere, & de altari, Dominica die, collectos annuntiare; ut *infra decem dies*, qui ipsos agnovisset, accipere posset; & *Can.* 10. statuit, ut qui postea repetitor, aut calumniator extiterit, *ut homicida, ecclesiastica districtione feriatur.* Quod confirmavit Concil. *Arelaten. II. anno* 452. *Can.* 51. qui laudatur 9. *Distin.* 87. *si expositus*.

cem, ac reliqua omnia ad eorum vitam conservandam necessaria, comparanda; Si autem aliter hoc fieri nequeat, & nullus inveniatur, qui id oneris pro Dei amore subire velit, de eleemosynis Ecclesiæ, & deposito fabricæ, quantum opus fuerit, detrahatur.

DECRETUM XII.

LXXXIV. PRæcipit Synodus, ut parvuli ante fores Ecclesiæ vel in aliis locis quibuscumque expositi; nisi ipsos esse jam baptizatos certo certius constiterit, baptizentur, atque ipsorum educatio procuretur, eo prorsus modo, quo de Ethnicorum filiis in Silvis repertis dictum est: & incessanter Vicarius, & Cassanarii insistant, ut aliqui, apud se enutriendos, ac edocendos ipsos, pro Dei amore suscipiant.

DECRETUM XIII.

LXXXV. QUI ab Ethnicorum secta ad Christianam Religionem adulti accedunt, in rebus fidei, antequam baptizentur, bene instruantur; itaut sciant se salutari crucis signo munire, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, præcepta Decalogi, & quidquid addiscere potuerint; qua in re usque ad præsens, maxima negligentia laboratum est: Vicarii præterea ante baptismum, eos de rebus ad Christianam Religionem spectantibus interrogent, ut experimento deprehendant, an sint sufficienter instructi. Si vero mortis periculum immineat, etiam talia nescientes, dummodo fidem confiteantur, ejusque præcipua mysteria, ac se baptizari velle quocumque modo significent, illico baptizentur. Et quia non ignorat Synodus, sæpius contingere, ut plures Ethnici paucis ab hinc annis ad Christianos accedant, eisque manifestent desiderium, quod habent suscipiendi baptismum, segnitia autem, & incuria Sacerdotum, & Christianorum, eorum instructionem vel prætermitti, vel diu, multumque differri; plurimum hac in re Vicariorum conscientiam onerat, eisque injungit, ut quam primum, pro maximo, quo postulant, animi fervore baptismum, eos per se, vel per alios instruant, ac ad fontem Baptismatis perducant; Ministrosque omnes Ecclesiasticos, allosque, si opus fuerit Christianos, ardorem non mediocrem animi, ac diligentiam quam maximam impendere, peroptat, ac rogat.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM XIV.

LXXXVI. QUoniam Sacri Olei (a) usus in Sacramentis, huc usque in hac Episcopali Sede, (b) aut nullus fuit, aut si aliquis, hic certe fuit Ecclesiæ Catholicæ ritibus minime consentaneus. Usi enim sunt oleo communi, & quem Episcopus sacris precibus, & benedictionibus non expiaverat: Quamobrem Illustrissimus Metropolita dum in hac Diœcesi, Ecclesiæ universæ disciplinam restitueret, ac renovaret, Oleum de more benedixit, cujus portionem aliquam, Ecclesiis omnibus impertiit, ejusque usum maxime commendavit explanavitque: præcipit Synodus Vicariis omnibus, atque Cassanariis, in virtute Sanctæ obedientiæ, ut Sancto oleo in baptismo utantur. Itaut oleo Cathecumenorum pectus, & scapulas baptizandorum ante baptismum inungant; post baptismum vero, caput jam baptizatorum Sacro Chrismate signent, Pollice ergo Sancto oleo delibuto, vel signent super caput Crucis formam, vel id agant penna, ad tale munus in ipsis vasis servata, deinde Sancti olei reliquias abstergant lino, aut gossypio ad hunc finem ipsis pyxidibus imposito. Eodem præcepto jubet insuper Synodus, ut omnes Cassanarii, & Vicarii hoc conferant Sacramentum, cum ritibus, ceremoniis, exorcismis, & orationibus, quæ in Rituali Romano continentur, Illustrissimi Metropolitani jussu Syriace exscripto, pro omnium administratione Sacramentorum, quod in omnibus haberi debet Ecclesiis: Sacerdotes vero dum solenniter in Ecclesiis baptizaverint, superpellicio, ac stola è collo suspensa utantur, ut Sacramentum decet, quod conferunt; neutiquam verò illud, ut huc usque non sine indecentia factum est, consuetis, & quotidianis vestibus induti, administrent. DE-

(a) De sacris oleis plurimum juvabit legere Fortunatum Scacchum, nostri Augustinensis instituti virum eximium, in elegantissimo opere *Elæochrismaton* politissimis typis Hagæ Comit. excuso, an. 1725.

(b) Ex mera calumnia colligit ex hoc decreto Crozæus novitium esse inventum Ecclesiæ Romanæ, sacris uti oleis; propterea quia antiqua istorum Christianorum Ecclesia, illorum usum non agnoscebat: verum ista desuetudo, Nestorianorum inscitiæ & Cassanariorum ignorationi tribuenda est, non vero traditioni; etenim Ritualis liber illorum *Cod. Syr. Vatic.* 16. meminit unctionis; eamque præscribit, cum iis Sacerdotis verbis: *Ungitur hic talis &c.* deinde aqua tingitur ille, & deductus extra cancellos, confirmationem suscipit, per manus impositionem, & unctionem chrismatis: signatque eum *Sacerdos pollice suo in fronte, dicens: Baptizatus est, & perfectus est talis &c.* Unde quod illi Christiani, vel id non præstarent, aut certe id præstarent oleo nucis Indicæ vulgo *Aceyte de Cocos*, exiguum afferre potest errori heterodoxorum solamen, nullumque subsidium. Vide in *Dissert. n.* 88., & Timothei II. *Lib. de Sacram.* qui *cap.* 3: *sect.* 10. inter partes essentiales Baptismi oleum enumerat: *Aquam, oleum, Sacerdotem.*

Digitized by Google

DECRETUM XV.

LXXXVII. QUia usque in præsens laudabilis, & antiqua Ecclesiæ consuetudo assumendi Patrinos (*a*) in Baptismo in hac Diœcesi nulla fuit, & spiritualis cognatio inde orta inter Patrinum, & baptizatum, ejusque Patrem, & Matrem fuit penitus ignota, (*b*) præcipit Synodus, ut baptizandi omnes associentur unico Patrino, & ad summum duobus, aut etiam, ut usus obtinuit, uno tantum Patrino, & una tantum Matrina, qui eos Ecclesiæ præsentent, eorumque caput, ante baptismum tangant, atque à sacro fonte educant. Ad Patrini autem munus non admittantur, nisi homines, qui decimum quartum ætatis suæ annum excesserint, & ad Matrinæ munus, nisi feminæ, quæ duodecimum. Declarat insuper Synodus inter Patrinum cognationem spiritualem oriri, quæ vocatur *Patrini*, & spiritualis *filii*, aut *susceptoris* e sacro Fonte, *& sucepti*: atque inter ipsos spiritualis filii Patrinos, & Matrinas, ac ejus Patrem, & Matrem. Pariter inter ipsos spiritualis filii Patrinos, & Matrinas invicem comparatos, & inter ipsos, & filii spiritualis Patrem, & Matrem aliud cognationis spiritualis genus consurgere, quod appellatur *Compatris*, & *Commatris*; ita ut Patrini, vel Matrinæ, nullo tempore contrahere possint matrimonium cum suis filiis, aut filiabus spiritualibus, vel cum ipsorum Patre, & Matre, absque Papæ, vel

(*a*) Pium Patrinorum officium, inter antiquos Baptismi ritus recenset Augustinus pluribus in locis; & præsertim *Epist.* 194. *n.*43. *Antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu, infantes & cum exorcizantur, & cum ei, per eos* (Patrinos) *a quibus gestantur, renuntiare respondent, a Diaboli dominatione liberantur*. Et ex illo ejus effato *lib.*1. *oper. Imper. num.*56. scimus propterea Patrinos intervenire *ut per alios credant, qui per alium peccaverunt*. Vocantur etiam *Sponsores & susceptores*. Sibed Jesus & Nestoriani frequentius *fidejussores* appellant eosdem. Augustinus eos vocat *Fidedictores* ex Bonifacio *Ep.*98. alias 23. *ad Bonif. ipsum n.*7. Jure ergo merito ritus iste inter antiquiores recensetur, cujus meminit *Passio SS. Victor. Alexander &c. anno* 290. ap. Theodor. Ruinart. *Act. Mm. p.*303. Tertull. memorat *Sponsores cap.*18. *de Bapt.* & Dionis. Areop. aut auctor *de Eccles. Hierarc. cap.*2.

(*b*) Nulla erat istiusmodi cognatio apud Nestorianos; nec minimam illius mentionem fecere, qui hactenus Nestoriani scripsere; nimirum in hac re antiquam primævæ Ecclesiæ disciplinam sequuti sunt, de qua, si fides est Juenino per tria priora secula nihil habetur: Vide Juenin. *de Sacram.*; Quod autem scribit Gianonius *Hist. Civil. lib.*7. *cap. ult.* tempore Joannis X. nempe anno 913. circiter *Per far correre in Roma piu gente: s'introdusse l'affinità spirituale, fra il Compare e la Comare*; turpis est impostura: etenim ultra mox dicta, in Synodo etiam Metense anno 753. celebrata; *Cap.*1. habetur: *Si homo incestum commisserit de istis causis; de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina spiritali de fonte, & confirmatione spiritali Episcopi: pecuniam suam perdat &c.*

Digitized by Google

vel ejus vices gerentis dispensatione, quæ raro, nec sine urgenti motivo obtinetur; si autem ista non habita, celebretur matrimonium, irritum est, ac nullius effectus. Insuper declarat Synodus cognationem hanc spiritualem non extendi ad plures Patrinos, quam duos (a) vel ad unum dumtaxat Patrinum, & Matrinam unam dumtaxat, qui ad hoc gerendum munus vocati sint; etiamsi alii plures parvulorum (b) capita contigerint, nec à Sacerdotibus permittendum, ut alii, ultra duos hoc munus gerant.

DECRETUM XVI.

LXXXVIII. CUM per Jesum Christum Dominum nostrum, ejusque mortem, à lege veteri, & scripta, ad novam, & gratiæ translati fuerimus, recta exigit ratio, ut hæc in cunctis rebus eluceat. Dissimulare itaque nequit Synodus id quod in hac Diœcesi frequenter accidit, ut nempe Sanctorum veteris legis, vel etiam indigenarum nomina Christianis imponantur, adeo ut pauci sint, qui Sanctorum Legis gratiæ nominibus appellentur. Præcipit ergo Synodus, ut Sacerdotes curent inveteratam hanc consuetudinem abolere, atque adeo e Sanctorum, Sanctarumque Catholicæ Ecclesiæ catalogo, nomina desumant baptizatis imponenda, ac præcipue Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum, vel Sanctarum in Ecclesia celebriorum; nec propterea mens Synodi est, ut Sanctorum veteris legis nomina nunquam usurpentur, sed ut si præ devotione usurpentur nomina Sanctorum veteris legis, ea solum adhibeantur, quæ celebriora sunt, & frequentius usitata in hac Diœcesi, ut Abraham, Jacob, Zachariæ, aut alia id genus. Cæterum nomen *Filii*, quod est in hac Diœcesi usitatissimum, non liceat in posterum alicui imponere, nec id Sacerdotes patiantur; cum illud sit dulcissimum (c) Jesu nomen, nec nisi irreverenter, ac penitus prætermissa veneratione, tanto nomini debita, id fieri videatur; dum ad hujusmodi nomen, (d) *omne genu debeat flecti, cœlestium, terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteri*, quia per hoc nomen, cuncta nobis bona, in terris proveniunt; Immo severe prohibet, ne qui tale nomen sortiti sunt,

(a) Concil. Moguntinum inter alia *anno* 1549. *Capitul.* 19. præcipit unum tantum patrinum adhibere.

(b) Hujus antiquissimi ritus meminit auctor *lib. de Ecclesias. Hierarc. cap.* 2.: *Cum promisit* (baptizandus) *manum ejus capiti admovet* (susceptor).

(c) Usitatissimum fuit inter Syros præcipue Nestorianos, nomine Jesu insigniri: adeout septem supra viginti memorentur Scriptores Orientales hoc ornati nomine, *in* 2. *tom. Bibliot Orien.* Assemani, & undecim *in* 3. *tomo.* Vide *Act.* 8. *Decr.* 20.

(d) Philip. 2. 10.

Digitized by Google

sunt, eo utantur, sed aliud assumant; præsertim dum Sacramentum confirmationis suscipiunt; indigenarum vero nominibus, uti poterunt; dummodo sint ex usitatis inter Christianos; abstineant tamen (a) à nominibus Ethnicorum propriis, vel ab Ethnicis frequenter usurpatis, vel quæ sint illis affinia, immò vel Ethnicorum nomina inter Christianos nota, imponi imposterum in Baptismate Synodus prohibet, & Vicarios, ac Sacerdotes baptismum ministrantes monet, ut ab iis imponendis caveant.

DECRETUM XVII.

LXXXIX. AD Synodi notitiam pervenit, Christianorum plures suæ professionis oblitos, post baptismum à filiis in Ecclesia susceptum, eisque nomen Christianorum proprium, in baptismate impositum, iisdem privatim domi nomen aliud inter Christianos non usitatum, pro libito imponere, quo deinde, priori relicto, communiter appellantur. Quamobrem severe prohibet, ne Christianorum ullus nomina alia parvulis suis imponere, vel ea adhibere audeat, præter illa, quæ fuerunt in Baptismate imposita. Quod si justa aliqua de causa, nomen hujusmodi in aliud commutare optaverint, id non aliter faciant, quam dum Parvuli Sacro Chrismate inunguntur, & Sacramentum confirmationis suscipiunt. Qui vero contrarium fecerint, graviter à Præsule puniantur, de qua re sæpius Vicarii populum admoneant.

DECRETUM XVIII.

XC. CUM sæpe accidat, ut plures simul parvuli ad baptismalem fontem abluendi adducantur, qua occasione inter Christianos non leves excitantur contentiones, præeligi enim parvulum suum quisque optat, & prius ablui, unde, & jurgia inter contendentes, & non levium summarum oblationes, quæ Cassanariis fiunt, ut unus præ aliis primas habeat, quæ plane sunt pravæ consuetudines, quas Ecclesia pati non debet, & ad quas facile evitandas satis profecto esset, ut non differretur ultra octiduum baptis-

R mus,

(a) Opportune adest Chrisostomus *in cap. 5. Genesis, Hom. 21. pag. 235. Nunc fortuito & absque causa nomina fiunt. Dicunt enim, juxta nomen avi vel proavi nominetur puer, at prisci* (loquitur de Setho, qui filio imposuit nomen Enos) *omnem operam adhibebant, ut talia natis imponerent nomina, quæ nullam non sapientiam docerent. Igitur nos, neque quævis nomina pueris indamus, neque avorum, & proavorum, & eorum, qui clari genere fuerunt, nomina tribuamus, sed sanctorum virorum: neque in appellatione sublime sapere &c.*

mus, & parvuli intra dies octo baptizarentur; qua ratione fieret, ut raro admodum, vel fere nunquam simul parvuli ad sacrum fontem adducerentur. Quapropter jubet Synodus ejusmodi contentiones ab Ecclesia arceri (a), pueroſque vel prius, vel postea indiscrimatim, & prout sors tulerit, baptizari; quamobrem Sacerdotes curent, ut hæc consuetudo baptizandi indiscriminatim hos, vel illos, nulla habita ratione, vel ditiorum, vel pauperiorum, quantum in ipsis est, inducatur; nullusque Sacerdos, aut Vicarius, sive ante, sive post baptismum summam ullam, immo nihil omnino, etiam ultro oblatum, etsi valoris exigui, immo etiamsi munusculum sit comestibilium accipiat; & si secus fecerit, tanquam Simoniacus, pœnis a jure, & aliis ab hac Synodo imponendis plectatur.

DECRETUM XIX.

XCI. IN cunctis Ecclesiis parochialibus fons baptismalis quam primum extruatur ex fabricæ deposito, vel ex eleemosynis Ecclesiæ, vel ex iis, quas populus ad hunc finem exhibuerit. Fons hic in angulo Ecclesiæ decenter collocetur, subtus parva scrobs aperiatur, in quam aqua decidens fluat, ne pedibus irreverenter conculcari possit; ipse vero fons ligneo operculo clave obserato contegatur. Vas interim æneum, vel cupreum ad hunc solum usum destinatum decenti in loco, in Ecclesia, vel Sacello asservetur: non adhibeantur ergo, prout hactenus factum est, vasa alia indiscriminatim, quod plane quam dedeceat, nemo ignorat. Deinde aqua, qua fuerit collatum baptisma, in Ecclesiæ piscinam projiciatur, vel in locum alium ad usum hujusmodi deputatum, vel etiam in Cœmeterium, ne pedibus conculcetur; demum aqua ad conferendum baptisma sive in fonte, sive in alio vase contineatur, Sancto Chrismate, prout in Rituali Romano, quo uti debent, continetur, sacris precibus & benedictionibus expietur.

DECRETUM XX.

XCII. PRæcipit Synodus juxta decreta Concilii Tridentini, ac universalem Ecclesiæ usum, ut in qualibet Parochiali Ec-

(a) S. Carolus Borromæus in *Concil. 5. Mediolanen. Par. 1. 6. 7.* præscripsit, ut hujusmodi contentiones vitari possent: *Is ordo servetur, qui antiquissimi ritus est, ut mari primum, deinde feminæ ministretur* (Baptismus) *nisi necessitas aliter cogat. Idemque servetur, si plures offerantur, partim mares, partim feminæ.*

Digitized by Google

Ecclesia, liber habeatur, cujus paginæ notis numeralibus distinguantur, in quo Vicarius nomina scribat baptizatorum, Patrum, ac Matrum; loci etiam, in quo ortum duxerint, Patrinorum insuper, qui eos e sacro fonte susceperint. Demum notentur locus, in quo baptismus confertur, dies, mensis, & Æra hac forma; *tali die mensis N. Æræ N. Ego N. Vicarius Ecclesiæ de N. baptizavi in ipsa, vel in tali parte, N. filium N., & N.* (declarando nomen Patris, & Matris, talis loci naturalium) *& fuere Patrini N., & N.* (ipsos nominando) & ad calcem ipse suum nomen subscribat. Si vero Sacerdos aliquis non Vicarius baptizaverit infantem, (quod non nisi obtenta a Vicario facultate facere poterit) ita scribat; *Ego N. Cassanarius, de licentia N. Vicarii talis Ecclesiæ* (nomen Vicarii Ecclesiæ apponat) *baptizavi N.* & reliqua ut supra, annotato die, Mense, & Æra, suumque nomen ad calcem subscribat. Hic liber semper sit in Ecclesia, ac de illo Vicarii rationem reddant, & Præsul in Visitatione eum videat, & consideret, an in eo accurate adnotentur ea, quæ adnotari debent; ex ipso etiam Vicarius certior fiet de uniuscujusque ætate, atque adeo poterit de hac, fidem facere, ubi agetur de matrimoniis contrahendis, vel suscipiendis ordinibus, neque hæc cæco modo fient, ut usque adeo factum est, dum nulla de ætate matrimonio conjungendorum, vel promovendorum ad ordines, certitudo haberi poterat, id quod conjugibus, & promotis ad ordines non raro scrupulum injiciebat.

DOCTRINA

De Sacramento Confirmationis.

XCIII SAcramentum (a) secundum, dicitur confirmatio, quod Christus Dominus noster instituit, ut per illud Christiani amplius confirmarentur, & eo roborati evaderent fortes in fide, ita ut nulla re ab ea divellerentur. Idque virtute Spiritus Sancti, quæ ad hunc effectum, ultra gratiam sanctificantem, quæ est effectus etiam aliorum Sacramentorum, specialiter confertur. Materia

 hujus

(a) Plerique Baptismum & Confirmationem unum Sacramentum esse idemque putarunt, eo quod continuo post ablutionem baptismalem conferretur, ab Orientalibus & Occidentalibus; diversa tamen sunt Sacramenta; per illud enim efficimur *filii Dei*, per istud *Milites Christi* constituimur. Nestoriani vocant hoc Sacramentum *Perfectionem*, atque dum ungitur Chrismate, qui eum suscipit, proclamat Minister: *Baptizatus est & perfectus est talis &c.* Quia ut ait Arbelensis *Lib. Declar. Offic. tract. 5. de Bapt. cap. 5. In perfectione designat* (Minister) *Spiritum descendere tanquam linguas ignis, & sedere super unumquemque eorum.*

Digitized by Google

hujus Sacramenti est Sanctum Chrismatis Oleum, de olivis expressum, quo splendor, & puritas significatur conscientiæ; Oleo admisceri debet balsamum, quo bonæ famæ odor designatur. Chrisma debet ab Episcopo sacris precibus, & benedictionibus expiari. Forma, ea sunt verba, quæ Episcopus profert, dum pollice Chrismate tincto, signum Crucis capiti confirmandi imprimit, dicens: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; tres illico sacras, & salutiferas orationes adjungens, quibus Deum precatur, ut suo Divino Spiritu ipsos repleat confirmatos. Minister ordinarius hujus Sacramenti est Episcopus; & quamvis Sacerdotes possint Ægrotos, vel baptizatos inungere, hæc tamen unctio soli Episcopo reservatur, cum Episcopi in Apostolorum locum successerint, qui per manuum impositionem dabant Spiritum Sanctum; cui veteri manuum impositioni subrogata est in Ecclesia, ex Christi concessione, (a) Confirmatio, qua etiam Spiritus Sanctus donatur. Ceterum ex communis legis relaxatione, à Sede Apostolica obtenta, & non aliter, si causa urgens, & necessitas id postulet, etiam simplex Sacerdos confirmare potest, chrismate tamen ab Episcopo, ut supra, consecrato. Effectus hujus Sacramenti est conferre Spiritum Sanctum, animæque per ipsum, vires, & fortitudinem, sicut in die Pentecostes Spiritus Sanctus collatus fuit Apostolis, ut constanter, & intrepide nomen Christi, ejusque fidem catholicam profiteatur Christianus; ac idcirco dum confirmatur, fronti ejus signum Crucis imprimitur, & sacro oleo describitur, quippe frons, est pars hominis apertior, nec non verecundiæ, atque audaciæ sedes: & cum baptizati signentur in capite, confirmati signantur in fronte, ut nempe non erubescant, nec eos pudeat nomen Christi, ejusque Crucem confiteri, quæ quidem ex (b) Apostolo, *Judæis est scandalum, Paganis vero stultitia*, ac dementia. Plurimum differt hoc Sacramentum à Baptismate, dum per hoc fidei nascimur, per illud vero in fide confirmamur; ac sicuti vitam naturalem accipere, differt a progressu in ætate, ac virium firmitate, ita gratiæ, fidei-

(a) Cum temporibus Apostolicis sola impositione manus, hoc Sacramentum conferretur, satius esset dicere, illi subrogatam esse *unctionem* chrismatis, non vero *confirmationem*, alias diceretur confirmationi subrogatum esse confirmationem; consultius ergo dixerimus, sphalma subrepsisse in apographo; Patres autem Diamperitanos digitum intendisse ad Concil. *Moguntinum anno* 1549. quod in *Capitul.* 18. illius subrogationis hanc exhibet causam: *Cum adulta Ecclesia, & stabilita fide, signa externa* (quæ super confirmatos apparebant) *apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus S. visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi, unctio chrismatis adhiberi cœpit*. Unde hæc, signis subrogata fuit, non impositioni manus, quæ etiam fieri debet, adeas CL. Berti *tom.* 7. *p.* 40.

(b) 1. Corint. 23.

fideique nasci, quod fit per Baptismum differt ab incremento, & augmento spiritalium virium ad eandem fidem constanter servandam, quod fit per Confirmationem: Unde per Baptismum vitæ spirituali nascimur, postea vero munimur, & confirmamur ad prælium, viresque accipimus, ut nullo ex eventu, discrimine, aut timore pœnarum, bonorum jacturæ, tormentorum, aut mortis, separemur a confessione nominis Domini nostri Jesu Christi, fideique veræ, quam professi fuimus.

DECRETUM I.

XCIV. CUm hactenus, Confirmationis usu (*a*), notitiaque, Populus Christianus hujus Diœceseos caruerit, quippe qui Præsulum hæreticorum regimini suberat, quamobrem catholicæ doctrinæ veritatibus minus apte instruebatur, declarat Synodus oportere quemcumque, postquam ad rationis usum pervenerit, dum copia fuerit Episcopi ad hoc parati, istiusmodi Sacramentum recipere; insuper Patresfamilias, cæterosque aliorum curam gerentes, suos debere mittere filios, ac servos ad confirmationem suscipiendam. Siqui vero ex contemptu, sacrilegave contumacia, id renuerint, aut suos mittere prætermiserint, se lethaliter, gravissimeque peccaturos sciant: quod si id renuant, aut prætermittant, eo quod tale Sacramentum negent, vel agnoscere tamquam verum Sacramentum à Christo institutum, negligant, ut hæretici, ac a veritate Fidei catholicæ alieni habeantur. Præcipit itaque Synodus, ut in visitatione Ecclesiarum, populorumque, ab Illustrissimo Metropolitano peragenda, omnes sive viri, sive feminæ (*b*), septennem ætatem excedentes, ad Chrisma, & Confirma-

(*a*) Sane eo devenerunt ignorantiæ Nestoriani seculo 16., ut hoc Sacramentum non agnoscerent, ut ait Synodus; Joan: etiam Sulaka dum professionem fidei Romæ emitteret anno, 1560. aut circiter, dixit: *Confirmatione vero, an veteres usi sint ignoro: Monachus enim sum; & quis me id docuisset*; Josephus II. Patriarcha *cap.4. speculi Sect.4.* invehitur adversus Nestorianos, eo quod Sacro Chrismate non uterentur. Sed quidquid sit de recentioribus Nestorianis, antiqui certissime eo usi sunt, & chrisma agnoverunt; ut constat ex Rituali *Cod. Vat. Syr.16.* ex Timoth.II. *lib. de Sacram. cap.3. sec. 9.* Georgio Arbelen. *de Baptis. Quæst.42. & seqq.* Igitur in hoc recesserunt recentiores, non modo a doctrina universalis Ecclesiæ, verum etiam ab antiquis eorum Magistris.

(*b*) Hoc sanxit Synodus omnino ad mentem Catech. Concil. Trid. *De Confirm. n.18.* dicentis: *Minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre, maxime convenit.* Quare immerito nonnulli Antistites, non recto zelo abrepti, reprehendunt Parentes, qui tempus producunt confirmationis filiorum; quamquam fateamur, aliam fuisse olim Ecclesiæ disciplinam.

Digitized by Google

firmationem concurrant; exceptis tamen, qui in prima Visitatione, vel quomodocumque ab alio Episcopo fuerint confirmati. Hoc etenim Sacramentum, non secus ac Baptisma, semel tantum in vita suscipi valet; qui vero scienter id iterare tentaverint, præterquamquod Sacramentum non accipiunt, gravissimum sacrilegium committunt. Qui verò dubitaverint, num aliquando ipsum receperint, nec ne? vel hujus rei fuerint penitus obliti, prædicto Domino, aut Episcopo id aperiant, ut juxta qualitatem dubii, ejusque pondus, quod expediens apparuerit, decernat. Si quis autem (quod Deus avertat) sacrilega pertinacia, contemptuque Sacramenti, ipsum recipere noluerit, dummodò de hac pertinacia constet, anathemati subjaceat, aliisque pœnis severè puniatur, quousque Præsuli videatur, condignam pœnitentiam egisse.

DECRETUM II.

XLV. NON sine ingenti dolore accepit Synodus, complures rerum sacrarum, ac doctrinæ de Sacramentis ignaros, aut Diaboli instigatione, suo in Schismate contumaciter persistentes, nonnullis in locis, tempore Visitationis ab Illustrissimo Metropolitano peractæ, palam illi restitisse, & confirmationem suscipere noluisse, & ex iis alios, eo quod rem superfluam, nec necessariam, hactenus ignotam, & non visam dicerent; alios verò eo quod levem alapam, juxta (*a*) S. Romanæ Ecclesiæ ritum, à Præsule impactam, tolerare renuerent, idque pati erubescerent, quodque detestabilius est, homines hujusmodi, contumeliis, atque injuriis affecisse Sacramentum hujusmodi suscipientes, & tam contrà ipsum, quam suscipientes, quasi alapa dehonestari stolide paterentur, verba sacrilega, atque hæresim redolentia protulisse, atque adeò vetus Schisma renovare sacrilegè pertentasse, etiam pagis commotis integris, quorum animus, qualis esset erga fidem Metropolitæ, ex despicientia vel observantia Sacramenti hujus dignoscebatur procul dubio, ea qua par est severitate, in illos Synodus ani-

(*a*) Alapæ infligendæ ritum non perantiquum esse, testantur cum Alexand., Jueuin. & Vanespen. CL. Catalani *tom.1. Pontif. Rom. pag.19.* & Bertius noster *tom.7. p.143.* illius tamen ritus meminit *Pontif. Ms.* nostræ Angelicæ ante annos 500. scriptum: placet institutionis ratio, quam ponit *Catech. Rom.* ut nempe meminerit confirmatus se *ut Athletam Christi* ad omnia perferenda exhibere paratum; eo vel maxime quod ante Sec.13. *alapa militari* promovebantur milites etiam seculi: de quo vide Catalan. *ibidem pag.423.* Altiorem autem causam desumimus ex Concil. Mogunt. supra laudato *num.93.* quod scilicet sicut *cessantibus signis visibilibus* subrogatum est chrisma, ita cessantibus persecutionibus, sequuta est alapa.

Digitized by Google

animadverteret, nisi constaret, compertumque esset, eos pœnituisse, suosque errores retractasse, rursusque obedientiæ S. Romanæ Ecclesiæ se submittentes, veniam, quam supplices petierunt, ab Illustrissimo Metropolita obtinuisse. Nihilominus, ut nullus inposterum similia audeat, præcipit Synodus, ut si aliquis (quod Deus avertat) fecerit, vel dixerit talia contra hoc Sacramentum, ritus, ac ceremonias sacras, quibus fideli Populo confertur, ab Ecclesia, & Fidelium communione separatus censeatur, & declaretur, quousque condignam, Præsulis judicio egerit pœnitentiam, debitamque subjectionem Sanctæ Ecclesiæ ostenderit, nec non fidei juramentum sub forma in Synodo præscripta, præstiterit: declarat insuper, rejicientem, vel contemnentem, quasi inutiles, ritus, ac ceremonias in administratione solenni, tam istius, quam aliorum Sacramentorum, per Ecclesiam approbatas, & receptas, hæreticum esse, & apostatam, à nostra Sancta fide catholica, juxtà decreta Sacrii Concilii Tridentini, nec non ut talem ad Sacrorum Canonum normam puniendum esse.

DECRETUM III.

XLVI. DEclarat Synodus in hoc Confirmationis, aut Chrismatis Sacramento, non secus ac in Baptismate, Patrinum locum habere, qui ex antiquo Sanctæ Matris Ecclesiæ more, confirmandum præsentet; non plures tamen præter unum admitti posse, cui pariter adjungi potest Matrina pariter una tantum. Qui munus hoc Patrini, & Matrinæ gerunt, debebunt & ipsi fuisse antea confirmati: nec enim decet Ecclesiæ aliquem præsentari confirmandum ab iis, qui nondum confirmationem acceperint. Vir autem, qui Patrini munus suscipit, debet decimumquartum annum excessisse, Mulier verò, sive Matrina duodecimum; qui præscriptam ætatem nondum impleverit, non admittatur. In Confirmatione eadem spiritalis cognatio contrahitur Patrinum inter, sive Matrinam, & filium Spiritualem, similiter Patris, & Commatris erga Patrem, & Matrem confirmati, atque adeo quantum ad cognationem hujusmodi, & Matrimonii impedimentum perinde se habent Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Confirmationis.

AC-

(a) Aequa ratio exigit, ut non secus ac in Baptismo, constituantur Patrini in Confirmatione: qui enim Milites deliguntur, ad pugnam instrui debent a veteranis. qui ritus antiquissimus constat ex capite *In Catechismo*, quod ex Hygino dedit secul. 7. Theodorus *in Pœnitentiali num.* 4. De cognatione ex hoc Sacram. vide, quæ de ipsa diximus *supra num.* 87. *Not.*

ACTIO V.

De Sancto Sacramento Eucharistiæ, ac de Sacrificio Missæ.

Doctrina de Sancto Sacramento Eucharistiæ.

XCVII. IN spiritali vita Sacramentum Eucharistiæ est ordine tertium, cultu tamen, sanctitate, ac dignitate primum, atque excellentius; quippe quod in se continet vere, realiter, ac substantialitar corpus simul, & sanguinem cum anima, ac Divinitate Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, qui verus est Deus, verusque homo, Salvator & Redemptor noster, à quo fuit institutum, pridie quam pro nobis pateretur, tanquam omnium suorum operum complementum dulcissimum, *suæ* (a) *passionis memoriale, veterum omnium figurarum adimpletio, miraculorum ab ipso factorum maximum, ac de sua contristatis fidelibus absentia, solatium singulare.* Materia hujus Sacramenti est triticeus panis, & vinum ex vite tantum: unde qui panem ex oryza, aut alia re simili, quæ frumentum non sit; consecraverit, aut vinum, quod ex uvis maturis, iisque vitigineis, sive quæ sint fructus vitis non fuerit expressum, Sacramentum non conficit: Cum vino autem, ante consecrationem parum aquæ misceri debet, cujus quantitas sit longe (b) minor, quam vini, cum quo admiscetur; ut facilius modica illa aqua, ante consecrationem in vinum converti possit. Hæc commixtio præcipitur ab Ecclesia, quæ ex SS. Patrum testimonio credit, Christum cum vino, quod consecravit aquam miscuisse; quamobrem citra peccatum omitti non potest: Significat hæc commixtio sanguinem, & aquam, quibus manavit transfixum latus Christi Domini in Cruce pendentis: significat etiam specialem unionem Populi Christiani cum Christo, quæ unio est hujus Sacramenti effectus. Per aquam enim significantur Populi, per vinum Christus, per commixtionem vero, conversionemque aquæ in vinum, unio nostrarum animarum

(a) S. Thom. Aquin. *Opusc.* 57.

(b) Cum certissimum, ac tantum non fidei sit, etiam aquam vino permixtam, in Christi sanguinem converti, quam hic Synodus exhibet, cautelam, & quod prius aqua convertatur in vinum, exilitates putamus Theologorum, & tenebras Philosophicas, circa particulas rerum miscibilium, & athomorum conflictum. Semper tamen minor aquæ quantitas infundatur, ut fit vinum usuale.

Digitized by Google

rum cum Christo, quæ fit per hujus divini Sacramenti susceptionem, juxta ipsius Christi Domini verba: (a) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Forma Sacramenti hujus sunt verba Salvatoris, quibus Sacerdos consecrat: licet enim plura, (b) ac varia in Missa proferat, plurimasque preces, ac petitiones Deo offerat, verba hujusmodi ad substantiam consecrationis minime pertinent; solum ergo dum utitur verbis Christi, & nomine illius loquitur, Sacramentum conficit; talium verborum vi, & efficacitate convertitur tota substantia panis in substantiam Corporis Christi; tota item vini substantia in ipsius sanguinem; nihilque panis, & vini remanet, præter accidentia, & species. Totus Christus, adeoque corpus, sanguis, anima, ac divinitas, sub qualibet particula divisa, etiam minima, continentur, ac divisione facta, in quolibet specierum panis fragmento, in qualibet specierum vini guttula, totus est, & integer Christus, ac proinde à sumente alterutram è prædictis speciebus totus, & integer Christus, verumque Sacramentum suscipitur. Eaque de causa inducta est consuetudo in Ecclesia accipiendi Eucharistiam sub una tantum specie; nam qui sic suscipiunt, totum Christum suscipiunt, ac verum Sacramentum. Huic divino Sacramento debetur cultus, veneratio, & adoratio latriæ, ac eadem, quæ Deo debetur, cum Christum contineat, qui Deus est, quique in eo realiter est præsens. Effectus quem in anima digne suscipientium hoc operatur Sacramentum, est unio suscipientis cum Christo, & quoniam homo per gratiam unitur cum Christo ejusque membris, consequens est, ut hujus Sacramenti virtute augeatur gratia in iis, qui digne sumunt, & quidquid cibus, & potus materialis quoad vitam corporalem hominibus præstat, præstet etiam, & operetur hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem.

DECRETUM I.

XCVIII. CUM nihil Christianum populum deceat magis, quam assidua obsequentis animi significatione Eucharistici Sacramenti institutionem recolere, & quotidie Christo Domino

S gratias

(a) Joann. 6. v. 57.

(b) Precibus etiam, & invocatione Spiritus Sancti consecrationem fieri juxta Græcos, statuentes in illis formam consecrationis: Syros etiam in suis anaphoris, & aliis Ecclesiasticis libris, illis adstipulari, immo & S. Ephræmum, asseruerunt Renaudotius, & Le Brun; quos tamen valida manu confutat præter P. Bugeantium Soc. Jesu, novissime P. Petrus Benedictus *in Antir-ebico altero ad calcem Tomi 2. Oper. Syro Lat. S. Ephræm.* Vide etiam infra ubi de Liturgia Malabarica: & in *Dissertat. n. 91.*

Digitized by Google

gratias agere ob effusissimam liberalitatem, qua nobis seipsum sub speciebus Sacramentalibus reliquit, eo sui Divini amoris consilio, ut Divinum nobis suppeteret alimentum, quo nostra spiritualis vita aleretur, utque inter ærumnas, quibus premimur, lenimentum aliquod, & solatium haberemus; par est nos omnes, in hujus divini Mysterii cultum operam omnem impendere. Qua de causa Sancta Mater Ecclesia non solum perennem huic Sacramento venerationem exhibet, sed insuper præfinito anni die impensius, & solennius tanti beneficii memoriam celebrat: quod cum in hac Diœcesi usu receptum non sit, Synodus volens, Ecclesiam hanc particularem in tam laudabili consuetudine cum S. Romana Ecclesia, sicuti in ceteris aliis, quantum fieri potest conformare, præcipit, ut feria quinta post Octavam Paschæ, juxta morem harum partium, Festum Sanctissimi Sacramenti in omnibus Diœceseos Ecclesiis (a) celebretur; quodque hic dies ab omni populo tamquam festus habeatur, eodemque die, vel ante, vel post Missam publica supplicatio per pagum, vel locum, majori, qua potest, celebritate instituatur, non aliter ac fieri solet die Paschatis.

DECRETUM II.

XCIX. Declarat Synodus, quemlibet fidelem Christianum, dum ad usum rationis pervenerit, atque adeo mares ad annum (b) circiter decimumquartum, feminas vero ad duodecimum, debere semel in anno in Quadragesima, aut Paschate, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscipere à Vicario, & Parocho propio suæ Ecclesiæ, aut ab alio, qui ab ipso facultatem habeat; qui vero cum ceteroquin capax sit, (in qua re decidenda, standum est judicio Confessarii) ab initio Quadragesimæ usque ad diem dominicum secundum post Pascha Eucharistiam non susceperit; proxima die dominica, tertia nempe post Pascha, declarabitur anathemati subjectus, & ab omnibus habebitur tamquam segregatus à communione fidelium, quousque Confessionem faciat, ac Eucharistiam suscipiat. Facultatem tamen dat Synodus Vicariis, ut

(a) Vide Dissert. n. 92.

(b) Quamquam olim communio Eucharistica daretur infantibus postquam Baptismum suscipiebant, & quidem jejunis tantum, ex *I. Ord. Rom.* Mabillonii dicente: *Nullum cibum accipiant, nec lactentur antequam communicent*: tamen diversa hodie in Ecclesia disciplina viget; nec pueris hoc Sacramentum datur, quousque inter cibum profanum, & sacrum discernere noverint; id quod præscribunt Rituales omnes, quos consulere poteris. Erat insuper Eucharistia tessera eorum, qui in Ecclesiæ pace obibant; atque hac de causa, etiam defunctis tradebatur; de quo ritu inter alios consule Franciscum Berlendis in eruditissima *Dissert. de Oblation.* §. 3. n. 10. *pag.* 30. *Edit. Venetæ* 1743.

Digitized by Google

ut si viderint aliquos suæ Parœciæ, non posse intra tale tempus Parochale præceptum implere, eos usque ad Festum Spiritus Sancti expectent; quo tempore elapso ipsos à communione Fidelium sejunctos declarent; prius tamen eos, præcipue in Silvis degentes, admoneant, vel per se ipsos, vel per alios fide dignos, ut accedant ad Ecclesiam implendi causa urgens præceptum; sin minus declarandos esse censuræ anathematis subjectos. Curabunt etiam Vicarii scire, quinam præceptum adimpleverint, eorumque nomina in album referre, uti præcipitur, quantum ad annuam Confessionem; & quamvis Sacri Canoues, semel tantum in anno, Confessionem, & Communionem præceperint, suadeant tamen Vicarii suis ovibus, ut pluries intra annum, utrumque Sacramentum suscipiant; præsertim in Festo Nativitatis, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ; quamobrem die dominica præcedente ad has solennitates, eos de hoc ipso admoneant.

DECRETUM III.

C. DEclarat, docetque Synodus, nulli Christianorum, quantumvis dolorem (a) habeat de suis peccatis, licere divinum Altaris Sacramentum suscipere absque prævia omnium peccatorum confessione, & absolutione habita à Sacerdote approbato, & qui debita jurisdictione polleat: hæc enim est probatio, quam Apostolus Paulus requirit in eo, qui de pane isto Eucharistico edit, & de Calice bibit, secus facientibus æternam damnationem præ oculis ponens: (b) *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*. Idcirco nec publicis peccatoribus hoc Sacramentum dare licet, quousque peccata reliquerint, ut sunt publici Venefici, & Meretrices, Concubinarii publici, & qui publice odia sine reconciliatione profitentur; quicumque demum publici peccatores, cui rei plurimum Vicarii invigilabunt, scientes, quod sicuti illi in pessimo, in quo sunt statu, ad hoc Sacramentum sumendum accedentes gravissime peccant, ita ipsi non sine gravissimo crimine, illud exhibent sumendum, hujusmodi publicis peccatori-

(a) Solam fidem esse præparationem requisitam, atque sufficientem ad hoc divinum cibum sumendum, error est damnatus a Trident. Concil. *Sess.* 13. *Can.* 11. statuit etiam atque declarat, illis, quos peccati lethalis conscientia gravat, quantumcumque dolorem habeant, & se contritos existiment, habita copia Confessoris necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Nemo igitur sibi blandiatur, qui antea D. Joan. Chrisost. verba *Hom.* 3. *in Ep. ad Ephes.* pensitaverit: *Multos video temere quomodocumque, & ex consuetudine magis quam legitime communicantes*.

(b) 1. Corint. 11. 27.

catoribus, & idem servari debet, etiamsi publici hi peccatores schedam afferant, in qua Sacerdos testimonium ferat de eorum Confessione, & absolutione obtenta, si interim proximas occasiones publicas non relinquunt, & peccare non desinunt. Qua in re Vicariorum conscientias urgemus, ob maximam dissolutionem hujus Diœceseos, in qua peccatores publici Eucharistiam sumere audent: præsertim Concubinarii, & qui non expectata Ecclesiæ sententia cum uxoribus non cohabitant, ac alii inimicitias publice habentes; quin sit, qui eos absterreat, de quo rigidam Deo rationem Vicarii reddent: ceterum in mortis articulo, etiam publicis peccatoribus, hoc divinum conferre Sacramentum poterunt, dummodo eos pœnitere deprehendant.

DECRETUM IV.

CI. DOcet Synodus, divinum hoc Sacramentum à jejunis tantum, ut Sancta Mater Ecclesia præcipit, sumendum esse; quod jejunium tale debet esse, ut à media nocte nihil potus, aut cibi, ne minimum quidem sumatur ab eo, qui sequenti mane Eucharisticum Sacramentum sumere vult, quod si non jejunus accederet, gravissimum sacrilegium committeret; iis exceptis, qui gravi laborant ægritudine, ex qua imbecilles redditi sunt; isti enim electuaria sumere, (a) aut quid leve pro reficiendis viribus, prout judicaverit Confessarius, poterunt, ne morbus ingravescat.

DECRETUM V.

CII. NON semel tantum singulis annis, nempe tempore Paschatis Resurrectionis urget præceptum sumendi Eucharistiam, sed etiam quotiescumque Christifideles in probabili mortis peri-

(a) Id quidem est contra Ecclesiæ disciplinam, quæ etiam in infantibus jejunium olim exigebat, *ut supra in Not. ad n.99.* diximus, sed fortasse hæc relaxatio fuit necessaria ad promovendam Sacræ Communionis frequentiam in iis regionibus, in quibus Eucharistia non deferetur ad infirmos, sed infirmi etiam Viatico muniendi ad eam sumendam deferuntur ad Ecclesiam, ut præscribitur *in sequenti Decreto.* Mos deferendi ægros ad Ecclesias seu Monasteria, ut susciperent Sacramentum Unctionis extremæ, vigebat anno 1597. in India Occidentali; in *Concilio autem Mexicano* ejusdem anni abrogatus est: & *lib.1. tit.5. §.6.* statutum: *Ut tam immanis ac barbara consuetudo... radicitus extirpetur ... externus enim impulsus* (portitorum) *aut mortem conciliat, aut saltem accelerat.* Consule Goar in *Euchologio* de ritu deferendi ægrotos ad Ecclesiam, ad Sacramenta suscipienda. Ceterum Malabarenses ægros ad Ecclesiam asportabant, ut communicarent: ne si Eucharistiam per vicos deferrent ad infirmos, ab Ethnicis sacra Mysteria illiberaliter tractarentur: vide Vinc. Mar. *lib.2. cap.6.*

Digitized by Google

periculo versantur, ac præsertim si quis graviter ægrotet, quamobrem hoc Sacramentum dicitur *Viaticum*; nimirum commeatus pro itinere ex hac mortali ad æternam, immortalemque vitam; Idcirco præcipit Synodus, ut omnes graviter decumbentes, aut in vitæ discrimine constituti maxima cum reverentia illud suscipiant. Quibus autem cura infirmorum incumbit, Vicarios tempore apto accersant, ut eos pane Eucharistico reficiant: diligenter etiam Vicarii inquirant, quinam, & quot sint infirmi in sua Parœcia, eosque, antequam imbecilliores reddantur, vel ex itinere nocumentum recipiant, lectica à bajulis, sive alio quocumque modo jacentes, in Ecclesiam asportari curent, ut Sanctissimum sumant Sacramentum; Cujus rei gratia, Ecclesia quælibet, lecticam, vel reticulum pulvinaribus instructum habeat, quibus commode asportentur; id vero post mensem ab hujus Decreti publicatione executioni mandent, & quidquid erogandum erit, accipiant e pecuniarum summa, deposita ad Ecclesiæ instaurationem, vel ornatum. Quod si aliquis adeo negligens fuerit, ut ipsius incuria aliquis e Parœcia absque Viatico ex hac vita discesserit, per Censuram suspensionis per semestre ab ordinum exercitio, & emolumentorum Ecclesiasticorum perceptione prohibeatur. Si autem id contingat ex incuria aliorum, qui ægrotis assistunt, eo quod neglexerint Vicarium arcessere, à Præsule pro suo arbitrio graviter puniantur. Sciant interim Vicarii sedulitatem omnem in hanc rem impendere, præcipuam esse sui muneris partem, quam ipsis Synodus, ipsorum conscientias obstringendo, summopere commendat.

DECRETUM VI.

CIII. QUia sæpius in puerperiis Mulieres vita periclitantur, & non raro pereunt, declarat Synodus, eas imminente partu (a) Sacramentum Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ suscipere debere, quibus suæ æternæ saluti consulant; idque præsertim fieri oportere, si partus sit primus, in quo vitæ periculum majus est, ut experientia constat; Quapropter ipsis commendat, ut opportuno tempore id executioni mandent, & priusquam doloribus oppressæ, ad

(a) Sanctus Carolus Borromæus cum *Concilio Mediolan* 6. §. 10. statuit, ut non solum qui profecturus est ad locum, ubi sit pestis, aut hæresis, aut iturus ad bellum, aut ubi nullam Confessarii copiam habere potest, aut iter infestum, aut navigationem aggressurus, peccata confiteatur, sed etiam quod *idem officium præstet* (Parochus) *de mulieribus proxime parituris: mulier item proxime paritura frequentius sumat sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum*.

ad Ecclesiam venire nequeant. Id etiam declarat faciendum esse ab iis, qui diuturnam, & periculosam navigationem aggrediuntur, eandemque suæ æternæ salutis curam etiam ipsis præcipit, ac summopere commendat.

DECRETUM VII.

CIV. CUM in hac Diœcesi quamplures Sacerdotes, & Cassanarii Sacrum non celebrent, vel quia impediti, vel quia ante præscriptum a Sacris Canonibus tempus ad Sacerdotium promoti, requisitam ad celebrandum ætatem nondum attingunt: præcipit Synodus, ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant in Festis solennibus, & ad minus semel in mense: optaret insuper Synodus id ab ipsis singulis diebus dominicis reverenter, & cum debita animi præparatione fieri. Quoties autem Sacerdos quilibet a manu Celebrantis Eucharistiam suscipit, indutus sit superpelliceo, & stola è collo ante pectus in modum Crucis coaptata, ut à reliquo populo distinguatur; prout exigit decentia, ac dignitas gradus Sacerdotalis.

DECRETUM VIII.

CV. QUoniam, ut supra dictum est, non licet aliquem peccati lethalis conscium ad Sacramentum Altaris accedere, quin peccata Sacramentali confessione prius expiaverit, declarat Synodus id nec ipsis Sacerdotibus licere. Nemo itaque, quem remordet peccati lethalis conscientia Sacrum celebrare audeat, quin si opportunitas detur, & non desit, qui ejus confessionem excipiat, peccata sua confiteatur, quod servandum est etiam ab iis Sacerdotibus, quos munus, quo funguntur, vel sæpius, vel etiam quotidie celebrare cogit: & quamvis hac obligatione obstringantur Sacerdotes peccati lethalis conscii; nihilominus etiam non conscii Synodus præcipit, ut ad augendam animæ puritatem, semel ad minus singulis hebdomadis confiteantur.

DECRETUM IX.

CVI. PRæcipit insuper Synodus, ut Diaconi, & Subdiaconi, qui diebus dominicis, (a) in Missa solenni Sacerdoti inser-

(a) Laudabilis ista consuetudo multis in locis viget, præcipue in Hispania inter Augustinenses ad præscriptum Constitution. Ord. Par. 1. Cap. 9. n. 3. iis verbis: Insuper

ſerviunt, in eadem Miſſa cibum Euchariſticum ſumant, & in ſolennioribus Feſtis Chriſti Domini, Deiparæ, ac SS. Apoſtolorum omnes omnino Chamazes ad Euchariſticam menſam accedant; idque curent Vicarii, nec non Præſul, dum Dioeceſim peragrans de ſtatu rerum cognoſcet, diligenter inquirat, an hæc laudabilis conſuetudo vigeat.

DOCTRINA

De Sancto Miſſæ Sacrificio.

CVII. TAntus fuit amor Dei erga nos in inſtituendo Euchariſtiæ Sacramento, ut non ſolum Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus Sacramentalibus nobis exhibuerit, tamquam cœleſtem cibum, quo noſtrarum animarum ſpiritalem vitam tueri, conſervareque poſſemus; verum etiam illud inſtituerit, ut Militans Catholica Eccleſia, viſibile, ac juge Sacrificium (*a*) apud ſe haberet, quo mundaremur á peccatis, & Pater cœleſtis à nobis innumeris ſceleribus offenſus, à rigore Juſtitiæ ad lenitatem, & miſericordiam revocaretur. Itaque in Miſſa offertur Deo verum, & proprium remiſſionis Sacrificium, tam pro vivis, quam pro defunctis; hujuſque oblatione Sacrificii redditur Deus propitius, gratiamque, ac donum pœnitentiæ peccatoribus impertit, vi cujus veniam peccatorum, quantumvis enormium obtinent. Una enim, eademque eſt Hoſtia, quæ Sacerdotum miniſterio in altari offertur, ac ea, quæ in ara Crucis fuit oblata; offerendi tantum ratione, diſcreta. Unde non ſolum offertur pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, aliiſque neceſſitatibus viventium Fidelium, ſed etiam pro iis, qui in Chriſto mortui, & in pœnis Purgatorii exiſtentes, non-

jubemus, ut in Dominicis, ac ſolemnibus diebus Diaconus, ac Subdiaconus, vel alter eorum, qui non fuerit Sacerdos communionem percipiat. Quod etiam non ſemel fieri vidi Romæ in Sacroſancta Baſilica Vaticana, ubi illis diebus Altaris Miniſtri Diaconus & Subdiaconus, etiamſi ſint Sacerdotes, Corpus Domini ſuſcipiunt è celebrantis manu.

(*a*) Quam vocamus *Miſſam*, verum eſſe Sacrificium, ex Scriptura, & traditione perſpicue deſcendit; de quo inter alios vide Pouget *Inſtit. Cath. tom* 2. *pag.* 639. *Edit. Vene a anni* 1742 Quod Sacrificium varias appellationes ſortitum eſt; Patres enim Orientales illud vocant *Liturgiam*, ſeu publicum miniſterium, aut munus; *Myſtagogiam* actionem myſticam, vel introductionem ad myſteria; *Synaxim*: Fidelium congregationem ad myſteria: *Anaphoram* ſurſum elationem; demum *Proſphoram*, id eſt oblationem. Latini vero Patres, & Concilia hoc vocaverunt *Collectam* eodem ſenſu, quo Græci Synaxim; *Dominicum*, id eſt Domini ſacrificium: *Agendam* hoc eſt ſacram actionem, *Oblationem* denique, aut *Communionem* & *Miſſam*; mos tamen invaluit, ut apud Græcos *Liturgia*, & apud Latinos *Miſſa*, aliis appellationibus omiſſis, vocitaretur.

Digitized by Google

nondum plene à peccatis purgati sunt, aut pro pœnis ob peccata debitis non satisfecere: æquum enim, justumque erat, ut Sacrificium in omnium salutem institutum, omnibus prodesset. Hæc insuper est illa oblatio (a) munda, ac pura, quæ nulla offerentium (b) pravitate, nec indignitate inquinari valet: unde ejusdem est pretii, quoad substantiam, valor, & acceptatio Sacrificii, sive offeratur à Sacerdote, mundo, puro, ac inculpatæ vitæ, sive à peccatore immundo, ac vitæ contaminatæ; nec enim suam ab offerente accipit dignitatem, sed ab ejus, qui offertur excellentia, ac magnitudine; Neque Pater æternus illud acceptat ob merita, & virtutes offerentis Sacerdotis, sed propter valorem ejusdem Sacrificii, & merita infinita Domini per illud oblati. Unde cum Dominus Salvator noster esset se ipsum cruente oblaturus in ara Crucis, excellentius suæ immensæ charitatis erga nos signum exhibere non potuit, quam instituendo hoc visibile Sacrificium in Ecclesia, quo cruentum illud mox offerendum semel in aram Crucis, quotidie, & pluries diebus singulis in Ecclesiæ Altari, usque ad mundi finem non sine maximo totius humani generis proventu renovaretur. Quod quidem divinum Sacrificium soli offertur Deo, etiamsi quandoque in honorem, ac memoriam Martyrum, aliorumque Sanctorum, cum Deo regnantium, celebretur: nec enim Sanctis, sed Deo (c) soli, qui dignatus est ipsos immortali gloria donare, Sacrificium offertur, in gratiarum actionem ob strenuam Martyrum victoriam, ac illustria dona, & bona aliis Sanctis collata, nec non ob triumphum, quem per talia dona à Mundo, Carne, & Diabolo reportarunt; ipsos etiam Sanctos deprecando, ut dignentur pro nobis intercedere in Cœlis, quorum memoriam (d) agimus in terris. Postremo animadvertendum, quod quamvis Eucharistia semper sit Sacramentum, non est tamen Sacrificium, nisi dum offertur.

DECRE-

(a) Malach. 1. v. 10. & 11. *In omni loco* (juxta Hebræum) *suffimentum offeretur nomini meo, & מנחה Mincha* (oblatio munda, aut condimentum Sacrificii) *quia magnum nomen meum in gentibus.*

(b) *Articul.* 18. *Processus Cons. Joann. Hus* in Conc. Constant. anno 1415. ejus recenset errorem, nempe quod *Magister Joannes Hus dixit: hoc tenuatis, quod si Sacerdos est in peccato mortali, nihil facit, neque consecrat, nec fit ibi Corpus Christi, sed maneat ibi substantia panis sicut ante.*

(c) Ita etiam à Concilio Trid. declaratur *Sessio.* 22. *cap.* 3. *de Sacrif. Missæ: Non tamen Sanctis Sacrificium offerri docet* (Ecclesia) *sed soli Deo, qui illos coronavit.*

(d) In more positum est, ex Apostolica traditione, ut agatur in Sacrificio Missæ memoria Sanctorum; & patet ex antiquissimis Liturgiis, & ex PP., qui primis seculis floruere, Justino nimirum, Cypriano, Cyrillo Hierosol., Chrisost., Augustino, tandem quem adeas *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 27. & *lib.* 22. *cap.* 10.

Digitized by Google

DECRETUM I.

CVIII. CUM Ecclesia hæc per mille ducentos annos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est magistra Ecclesiarum omnium, & in alias omnes sinceram doctrinam, & Ecclesiasticæ disciplinæ leges, modumque derivat, minime subjecta fuerit, factum est, ut ea, quæ ad Sanctum Missæ Sacrificium pertinent, servata non fuerint, ea qua par est integritate, ac puritate; Episcopi enim e Babylonia missi, utpote schismatici, ac hæretici ea omnia per summam licentiam, quidquid ipsis visum fuit Missæ addentes, vel detrahentes, magna ex parte labefactarunt: Quamobrem in Missa Syriaca, quæ in hac Diœcesi recitatur, nonnulla inconsiderate efferuntur, quæ errores inducere, & fovere videntur; pleraque etiam impia penitus, & hæretica; Qua de causa libri omnes Sacrificii Rituales, sive Missales, quippe qui fuerunt ab hæreticis Nestorianis depravati in ignem projici deberent. Verum cum aliorum copia desit, quibus celebrari possit, quandiu Dominus noster Papa, quid agere oporteat non decreverit, aut Missalia Chaldaice conscripta, prout instanter, ac humillime Synodus supplicat, non miserit: præcipit Synodus illa expurgari, & quæ sequuntur (*a*) interseri; ceterum ante expurgationem, quam Illmus Metropolitanus in visitatione, simul cum doctis viris, & Chaldaicæ linguæ peritis, quos ad id deputaverit, perficiet, Sacerdotum nullus iis utatur.

CIX. Primum cum ex doctrina supra tradita de hoc Sacramento, constiterit, Sacerdotem non propriis ipsius verbis, sed verbis tantum Christi Domini nostri, authoris, ac institutoris ejusdem Sacramenti, consecrare; non licet addere in forma consecrationis verba aliqua quantumvis optima, verbis iis, quæ Christus protulit, excepto verbo *enim*, quod Ecclesia Romana formulæ consecrationis Corporis, & Sanguinis adjunxit; quia præterquamquod ex Apostolica tenet traditione, id Christum in Corporis consecratione protulisse, & Matthæus in Calicis consecratione posuit; Verbum illud non immutat sensum, sed unice copulat præcedentia verba cum sequentibus. Excipienda pariter sunt verba hæc; *æterni*, & *Mysterium fidei*, quæ licet apud Evangelistas non reperiantur, ex eadem Apostolica traditione constat, Christum ea in consecratione Calicis adhibuisse, quamobrem ipsis Ecclesia utitur. Verba igitur illa,

T quæ

(*a*) Plura hic adnotanda essent circa ea loca, quæ Synodus castigavit; ast ne actum agamus, ea omnia rejecimus ad Liturgiam Malabaricam ad calcem Synodi positam.

quæ Missæ Syriacæ adduntur in Calicis consecratione: *& hoc erit vobis pignus, in secula seculorum*; quippe quæ in nullo ex quattuor Evangelistis, aut aliquo novi testamenti libro habentur, nec quod ea Christus dixerit inter consecrandum, ex Apostolica traditione accepit Ecclesia, præcipit Synodus in formula consecrationis non proferri. Nihilominus cum talia verba in se pium, ac laudabilem sensum contineant, eumque conformem appellationi, qua Ecclesia Eucharistiam, futuræ gloriæ pignus vocat, utque antiquus ritus, quantum patitur Fidei sinceritas, ac doctrinæ puritas, servetur, ea Sacerdos dicat, elevato jam Calice, ac profunda inclinatione peracta; ita ut sequentes Orationes ab illis verbis incipiant, permutato tamen verbo *Vobis*, quod tanquam ex persona Christi dicebatur, in *Nobis*, ac proinde nomine suo loquatur Sacerdos dicens: *hoc erit nobis pignus*. Cum autem ea, quæ sequuntur *in secula seculorum*, prout veritas ipsa, & Ecclesiæ consuetudo postulat, tantum dicantur de iis rebus, quas ipsa futuras expectat, & poscit, & quidem tanquam semper duraturas: quod huic Sacramento non bene convenit, cujus usus, sicuti & aliorum Sacramentorum dumtaxat est pro hac vita, & usque ad consumationem Mundi, quippe in medelam spiritualium ægritudinum hujus vitæ tantum, instituta fuere; in futura enim vita videbimus Dominum, non speciebus Sacramentalibus velatum, sed perspicue sicuti est; neque manducabimus hunc divinum panem Angelorum sacramentaliter, sed eo modo, quo Angeli eum manducant; atque adeo per visionem Divini Verbi, quod sub speciebus panis continetur, longe plenius satiantur; ea propter expungantur illa verba: *in secula seculorum*; quorum loco ponatur: *usque ad consumationem seculi*, dicendo: *Hoc erit nobis pignus, usque ad consumationem seculi*. Tandiu enim est pignus, quamdiu peregrinamur à Domino, juxta id quod Christus Ecclesiæ suæ promisit; se nempe cum nobis mansurum ad finem usque seculi, ad quem usque Sacramenta ad nostrum remedium ab eo instituta non deficient. Post illa autem verba, pergat Sacerdos immediate prout in Missa habetur, *Gloria tibi Domine mi, Gloria tibi &c.*

CX. Item in consecratione Calicis, dum dicitur: *novi testamenti, qui pro vobis*, addantur Christi verba: *novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis &c.* Itaque verba consecrationis tam Corporis, quam Sanguinis reformentur, ac in omnibus apponantur Missalibus, juxta Canonem, quo utitur Ecclesia Romana, & universalis; itaut nihil addatur, vel dematur; nec non eædem adorationes, inclinationes, & ceremoniæ fiant, quæ in Missali Romano præscribuntur. Item,

Digitized by Google

Item, dum Sacerdos dicit; *Domine Deus noster, quando spirabit in nobis odor suavissimus*, eo loco ubi dicitur: *& cum animæ nostræ veritatis tuæ scientia fuerint illustratæ, tunc occurremus dilecto Filio tuo &c.*, loquendo de die judicii, dici debet: *& cum corpora nostra veritatis tuæ splendore fuerint illustrata; tunc occurremus &c.*; quia justorum animæ ante diem judicii illustrantur, & glorificantur in Cœlo; tunc enim tantum corpora glorificabuntur: videntur autem prædicta verba alludere ad Nestorianorum hæresim, dicentium, Justorum animas, ante diem judicii, Deum non videre, nec gloria, & beatitudine gaudere.

CXI. Item ubi Diaconus dicit: *orando pro Sanctis Patribus nostris Patriarcha nostro, Pastore universali totius Ecclesiæ Catholicæ*; id intelligendo de Patriarcha Babylonico Schismatico, *& Episcopo hujus Metropolis*, dicatur: *pro Sanctis Patribus nostris, Beatissimo Papa nostro, totius Ecclesiæ Catholicæ Pastore*, ipsum nomine proprio designando: *& Episcopo hujus Metropolis*, ejus quoque nomine expresso; *& Ministris ipsorum*.

Item: paulo infra dum Diaconus iterum orando dicit: *præcipue nos oportet orare, pro incolumitate Patrum nostrorum Sanctorum, Domini Patriarchæ totius Ecclesiæ Catholicæ Pastoris*, nomen Babylonici Patriarchæ proferendo, verba reformentur sic: *præcipue oportet nos orare, pro incolumitate Patrum nostrorum, Domini Papæ*, & apponatur nomen ipsius, *& Episcopi hujus Metropolis*, proprio ejus nomine apposito.

Item: dum Diaconus postea dicit: *commemoramus autem Beatissimam Mariam Virginem, Matrem Christi, & Salvatoris*, scribatur: *Sanctam Matrem Dei vivi, & veri, & Redemptoris, & Salvatoris nostri &c.* perversi etenim Nestoriani, impie negant, vocandam esse Sanctissimam Virginem Mariam *Dei Matrem*, ut in superioribus dictum manet.

CXII. Item quæ paulo infra idem Diaconus dicit: *commemoramus quoque Patres nostros Sanctos, & veritatis Doctores; Dominum, & Sanctum Nestorium, S. Diodorum, S. Theodorum, S. Ephræm, S. Abraham, S. Narcisum; omnes quoque Doctores, & Presbyteros, veritatis cultores: Oremus, ut ipsorum orationibus, veritas pura, ac sincera doctrina, quam docuerunt, & professi sunt, in omni Ecclesia sancta custodiatur, usque ad consumationem seculi*: quæ omnia hæretica sunt; impia insuper deprecatio, qua Deus oratur sacrilege, ut Nestorii precibus, & reliquorum hæreticorum assecla-rum ejus (a quorum numero excipiendus est S.Ephræm) doctrinam in Ecclesia custodiat; prorsus deleantur, ac subrogentur hæc alia

verba: *Commemoramus quoque Patres nostros Sanctos, & veritatis Doctores, Sanctum Cyrillum, S. Athanasium, S. Basilium, S. Ephræm, S. Augustinum, S. Leonem, S. Gregorium, omnes quoque Doctores, & Presbyteros &c.*

CXIII. Qua in re caute procedendum est. Nam licet in nonnullis Missalibus nomina Nestorii, Theodori, & Diodori jam sint deleta; in aliis tamen leguntur; & in omnibus habentur nomina Abrahami, & Narcisi, qui fuerunt maledictæ illius Sectæ Duces; etiamsi ergo in paucis illis Missalibus priora nomina deleri non debeant, cum jam deleta sint, posteriora tamen, non minus execranda, quam illa, deleri opus est.

Item; in fine hujus orationis, quam Diaconus dicit; ad illud: *oportet nos orare, & exaltare unum Deum Patrem, Dominum omnium, adoratione dignissimum, qui per Christum fecit nobis spem bonam*; dicendum est: *qui per Jesum Christum Filium suum, Dominum nostrum fecit nobis spem bonam &c.*

Item; dum Sacerdos Calici vinum infundendo dicit: *misceatur pretiosus sanguis, in Calice Domini nostri Jesu Christi*; dicatur: *misceatur vinum in Calice Domini nostri*, ne verba illa, quibus vinum nondum consecratum vocatur pretiosus Sanguis, præbeant occasionem errandi, & videantur alludere ad damnatum Græcorum morem, qui offerentes panem, & vinum ante consecrationem, ea adorant, dicentes, se ita facere propter id, in quod postea convertenda sunt.

Item mox infra cum Sacerdos ait: *expectans expectavi Dominum, Corpus Christi, & Sanguinem ejus pretiosum, super sanctum altare offeramus*; dicendum est ob eandem rationem; *panem Sanctum, & Calicem pretiosum offeramus.*

CXIV. Item paulo etiam infra, ubi dicit Diaconus: *edent pauperes, & saturabuntur, Corpus Christi, & Sanguinem ejus pretiosum, super Sanctum altare offeramus*; cum nondum panis, & vinum consecrata sint, dicatur potius: *Edent pauperes, & saturabuntur, panem Sanctum, & Calicem pretiosum, super Sanctum altare offeramus.*

Item infra dum Sacerdos sub silentio dicit orationem, quæ incipit: *offeratur, & gloriæ immoletur*; ubi dicitur: *& Christus, qui oblatus est pro salute nostra*; dicatur: *Jesus Christus Dominus noster Dei Filius, qui oblatus est &c.*

Item dum Sacerdos elevans vocem dicit: *Gloria Patri &c. commemoratio Virginis Mariæ, Matris Christi*; dicendum est. *fiat commemoratio Virginis Mariæ, Matris ipsius Dei, & Domini nostri Jesu Christi.*

Item

Digitized by Google

Item mox quando Diaconus dicit: *à seculo usque in seculum Amen, & Amen, Apostoli ipsius filii, & amici Unigeniti*; dicendum est: *Apostoli ipsius filii Dei, & amici &c.*

Item cum Sacerdos incipit: *pusilli cum majoribus &c.* ubi dicit, *& resurrectione tua, superglorioſa, resuscitabis eos ad gloriam tuam*; dicatur: *& per Resurrectionem tuam superglorioſam, suscitabis eos.*

CXV. Item cum Diaconus dicit; *effundite coram illo, corda vestra jejunio, oratione, & pœnitentia, placaverunt Christum, Patrem quoque, & Spiritum ejus*: dicendum est: *placaverunt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*: prædicta siquidem verba *Patrem, & Spiritum ejus*, videntur alludere ad errorem Græcorum impiè docentium, Spiritum Sanctum procedere tantummodò à Patre, non vero à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, quod fides Catholica tenet: neque mirum videri debet, quod in Regionibus hisce, Nestoriani ex assidua cum Græcis consuetudine, aliquos illorum errores sibi adoptaverint: ut itaque ulterius errandi occasio omnis de medio tollatur, citata verba prædicto modo emendentur.

Item in oratione, quam Sacerdos dicit: *Dominus Deus (a) fortis, tua est Ecclesia Sancta Catholica, quæ admirabili Christi tui passione empta est*: dicatur *quæ admirabili Christi Filii tui passione empta est.*

Item prope Evangelii finem e capite quodam D. Joannis desumpti, juxta versionem Syriacam, quæ aliquibus est in locis depravata, in exemplaribus illius, quæ habentur in hac Diœcesi, ut supra fuit dictum; ubi legitur: *quoniam venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ipsius*: dicendum est: *audient vocem Filii Dei*; prout habet Evangelista.

CXVI. Item in Symbolo, quod in solennioribus missis cantatur, desiderantur plura verba, & ea quidem magni momenti, & non sine dolo malo suppressa; nam cum de Christo Domino nostro dicitur: *à Patre natum ante omnia secula*: Deficiunt ea, quæ sequuntur: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; quæ adjungi debent; sicut & hæc alia: *Consubstantialem Patri*: quorum loco Syriace habetur: *Filius essentiæ Patris*; quæ expungi debent, ac subrogari: *Consubstantialem Patri*: Itaut Symbolum prorsus tale sit, quale cantatur à tota Ecclesia, & in Missali Romano continetur.

Item

(a) Legendum videtur *Domine Deus &c.*

Digitized by Google

Item dum immediate post Symbolum Diaconus orat, & commemorat SS. Apostolos, Martyres, Confessores, præter Ecclesiæ morem pro illis Deum orat, ut eos resuscitet, & corona Resurrectionis mortuorum coronet, his verbis; *Oremus inquam, ut Resurrectione, quæ est ex mortuis, à Deo corona donentur*: alienum autem est à sensu Ecclesiæ pro Sanctis Apostolis, Martyribus, & Confessoribus orare, aut pro illis bona aliqua postulare, cum ex fide, quam profitemur, certum sit eos omnium bonorum possessione gaudere. Non pro ipsis ergo, sed ipsos orare debemus, ut orent pro nobis, & à Deo tanquam domestici, & amici ipsius, necessaria, & opportuna spiritualia bona, aut temporalia, quæ expediunt, nobis impetrent: Quidquod ea verba alludere videntur ad Nestorianum errorem: nimirum Beatorum animas Deum non videre, usque ad diem judicii, & post resurrectionem corporum, morari vero interim in Paradiso terreno, quod impium est, & hæreticum: quamobrem præcipit Synodus, cum in Ecclesia usitatum non sit, hujusmodi orationes pro Sanctis fundere, etsi in Apocalypsi id pro se ipsis præstent, ut illa deleantur verba, & cum præcedentibus sequentia conjungantur, dicendo: *& Confessores hujus loci, & omnium Regionum: oramus inquam, ut det nobis, ut efficiamur socii eorum &c.* & omittendo verba illa: nec non in fine orationis, ubi dicitur; *per gratiam Christi*, dicatur *per gratiam Dei, & Domini nostri Jesu Christi*.

Item cum Sacerdos incipit: *Confitemur, & laudamus Dominus (a) Deus noster &c.* & mox: *dignos nos fecisti dispensatione Sacramentorum Sanctorum, Corporis, & Sanguinis Christi*, legendum est: *Christi Filii tui*.

CXVII. Item infra dum Sacerdos loquitur ad eos, qui sunt ad Altaris dexteram, ipsique cum Diacono respondent: *Christus exaudiat orationes tuas*; in eo loco ubi legitur: *hoc Sacrificium, quod tu offers pro te, pro nobis, & pro toto Orbe a minimo usque ad maximum*; auferantur: quum enim Missa publica sit oratio, pro Ecclesia, in illa non oramus pro Paganis, Hæreticis, Schismaticis, ac excommunicatis, nec pro illis offertur; sed pro fidelibus tantum catholicis, qui sunt Ecclesiæ membra: illorum ergo loco dicendum: *quod tu offers pro te, pro nobis, & pro universa Ecclesia Catholica, & omnibus Orthodoxis, atque catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*.

Item ubi Sacerdos incipit etiam; *Domine Deus exercituum*, & dicit:

(a) Error fortasse Typographi, & scribendum *Domine Deus*.

Digitized by Google

dicit: *pro Sacerdotibus*, *Regibus*, *& Principibus*; legatur ita, *& pro Regibus*, *& Principibus Catholicis*, Christiani etenim Ecclesiæ hujus, sub Principibus degunt infidelibus.

Item infra, ubi Sacerdos incipit: *Tu Domine mi propter &c.* ubi dicitur: *Recordationis Corporis*, *& Sanguinis Christi tui*, dicendum est: *Christi Filii tui*.

Item mox in eadem oratione prope finem, cum dicitur: *laudemus*, *& glorificemus te*, *absque cessatione*, *in Ecclesia tua*, *Sanguine Christi redempta*, legatur: *Sanguine Christi Filii tui redempta*.

Item paulo inferius, ubi dicunt Diaconus, & Clerus: *orando*, *& pro omnibus Patriarchis*, *Episcopis*, *& Presbyteris &c.* addatur *& pro Beatissimo Papa nostro N.* eum nominando, *& pro omnibus Patriarchis*, *& Episcopis*.

CXVIII. Item in Hymno, qui à Clero, & Diacono alternatim dicitur, post elevationem SS. Sacramenti, in versu ubi dicitur: *Sacerdos quando ad Sanctum Altare ingreditur*, *manus suas*, *pure protendit in Cœlum*, *& invitat spiritum, qui de superis descendit*, *& consecrat Corpus*, *& Sanguinem Christi*: ubi innui videtur, Sacerdotem evocare de Cœlo spiritum, qui consecrare debet, quasi id non præstet ipse Sacerdos; cum itaque Sacerdotis sit, vere consecrare, etsi Christi verbis tantum, & non suis, ut omnis errandi tollatur occasio, legendum est: *manus suas pure protendit in Cœlum*, *& consecrat Corpus*, *& Sanguinem Christi*, illa omittendo verba; *& invitat spiritum*, *qui de superis descendit &c.* & illa alia nimirum: *à seculo*, *& usque in seculum*.

Item in Oratione, quæ à Diacono dicitur, & incipit: *Omnes timore pariter*, *& amore accedamus*; ubi dicitur: *Unigenitus Dei mortale corpus*, *& spiritualem rationem*, *immortalemque animam*, *ex filiis hominum suscepit*: ne aliquorum, & maxime Nestorianorum incurratur in errorem, docentium animam scilicet fieri per traducem more corporum, & à parentibus non secus ac corpora generari, cum revera à Deo creetur ex nihilo, & corporibus integre efformatis infundatur: dicendum est: *Unigenitus Dei mortale corpus*, *ex filiis hominum*, *& spiritualem*, *rationalem*, *immortalemque animam suscepit*.

CXIX. Item: dum Diaconus post communionem Sacerdotis, populum ad communionem invitando dicit: *fratres mei suscipite corpus ipsius filii*: dicatur *ipsius filii Dei*.

Item ad primum verbum Benedictionis ad populum: ubi dicitur: *ille qui benedicit nos in Cœlis*, *per Filium humanitatis*; dicatur *per Filium suum*, omisso *humanitatis*. Item

Digitized by Google

Item; in prima Benedictione, quam dat Sacerdos Populo in fine Missæ, in qua dicit: Benedicatur *Cathedra gloriosa Catholicorum Orientalium*: quod de Schismatica Babyloniæ intelligitur; dicendum est: *Benedicatur Cathedra gloriosa Romana*.

Item; versu sequenti ipsius benedictionis, ubi loquendo de Episcopo Diœcesano dicitur: *Dominus totius gregis Episcopus, plenus sobrietate, custodiatur a malo &c.* addendum est nomen SS. Domini Papæ dicendo: *Dominus totius gregis catholici, Papa N. plenus sobrietate, custodiatur à malo, una cum bono Doctore, & Episcopo nostro N.* cum suo nomine appellando.

Item in eadem Benedictione post pauca, ubi dicitur: *Illustris in congregatione Sanctorum, Religiosus Hormisda sanctitas sanctitatum &c.* nomen *Hormisdæ* deleatur, quippe hæretici Nestoriani, ut superius est dictum, & ejus in loco dicatur: *Illustris in Congregatione Sanctorum Sanctissimus Apostolus Thomas, sanctitas sanctitatum*; deinde addantur alia, quæ sequuntur, quippe quæ Apostolo glorioso, qui Magister in his partibus edocuit evangelium apprime conveniunt; neutiquam vero perverso hæretico.

CXX. Item in primo versu Benedictionis festorum solennium, ubi de Divino Verbo dicitur: *qui factus est homo, & operuit speciem suam, in filio hominis*; ad procul amovendam, quantum fieri potest, umbram omnem, vel levissimam doctrinæ Nestorianæ, dicatur: *qui factus est homo, & operuit divinitatem suam, humilitate nostra*.

Item infra dum dicitur: *Benedic Ecclesiam tuam, quæ patitur & in ovili pessimi Dæmonis, ecce comprehenditur*: dicendum est; *quæ patitur infestationes à pessimo Dæmone, libera illam &c.* Ecclesiæ enim Catholicæ, licet infestus persecutor sit Diabolus, non tamen eam possidet, nec unquam illam ditioni suæ subiget, cum de illa dictum sit à Christo Domino, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*.

Item ubi mox dicitur: *Benedic dextera tua Christe, Congregationem hanc*; dicendum est: *benedic dextera tua Domine Jesu Christe, Congregationem hanc*.

Item in eadem benedictione dum dicitur: *Salva Reges nostros, & Duces nostros*; legendum est: *Salva Reges nostros fideles, & Duces nostros Catholicos*; cuncti etenim Reges, Dominique, in quorum ditione sunt horum Christianorum Ecclesiæ, ethnici sunt, pro quibus publice orare in Missa non licet.

Etiam infra in eadem beneditione, ubi dicitur: *sicut decet coram ipso Jesu Salvatore*; dicatur: *coram ipso Jesu Deo Salvatore*; ad vitandum Nestorianorum errorem.

Item

Digitized by Google

Item in penultimo hujus benedictionis versu dum dicitur: *& semper dico vobis, qui comedit Corpus meum, & bibit ex Sanguine meo sanctificante liberabitur ab Inferno per me*; dicantur verba ipsius Christi, loco eorum: *liberabitur ab inferno, & bibit ex Sanguine sanctificante habet vitam æternam*.

Denique ad finem tertiæ benedictionis ubi dicitur: *Gloria illi ex omni ore Jesu Domino*: ob eamdem rationem dicatur: *Gloria illi ex omni ore Jesu Domino Deo*: quoniam Nestoriani impie dicunt, nomen *Jesu* nomen esse suppositi humani, Deique nomen non convenire ipsi. Itaque prædicta omnia præcipit Synodus emendari forma hic stabilita; propter cautelam, qua in hoc Episcopatu, ob prædicta incedendum est, ubi maledicti hæretici Nestoriani tot errores seminaverant.

DECRETUM II.

CXXI. CUM in Missalibus hujus Episcopatus nonnullæ existant Missæ, quæ Nestorium, aliæ quæ Theodorum, (*a*) aliæ verò quæ Diodorum, ipsius Magistros authores habent; quasque Cassanarii certis diebus recitare jubentur, prædictorum authorum titulum præseferentes, & in quibus plurimi errores, atque hæreses reperiuntur: præcipit Synodus, ut omnes, prout jacent, integræ præscindantur à Missalibus, & comburantur. Itaque jubet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut Cassanariorum nullus in posterùm iis utatur, sed eas omnes a Missalibus avellant, aut ipsas Illustrissimo Metropolitano tempore visitationis, aliisve, quibus ab illo commissa fuerit cura sacros Libros emendandi, tradant; iique idem faciant, quod paulo supra præscriptum fuit.

DECRETUM III.

CXXII. QUoniam in Missalibus Syriacis istius Episcopatus, quædam ceremonia impia, & sacrilega præscribitur, qua

V

(*a*) Abraham Ecchellensis *in Not. in Catalog. Ebedjesu* testatur se legisse Syriace Liturgiam Diodori, quam merito Synodus memorat licet Renaudot *tom.2. Liturgi. pag.622.* nullam fuisse dicat Diodori Liturgiam. Theodori Liturgia habetur in Bibl. Vatic. *Cod. Syriac. Vat.*18. & in Bibl. Orient. Asseman. *tom.1.pag.581. & tom.2.* Liturg. Renaudot. *pag.616.*: cujus initium: *Domine Deus fortis*. Nestorius suam etiam condidit Liturgiam, ut testatur Sobensis; & Leo Byzantinus *lib.3.* adversus eum ait: *Audet & aliud malum: aliam enim Missam effutivit: in qua Missa blasphemiis, non precationibus Eucharistiæ Mysterium opplevit*. Aliæ exstant apud Nestorianos Liturgiæ Narsetis, Barsumæ & aliorum, quarum rarus, aut nullus est usus.

Digitized by Google

qua nempe Sacerdos tenens dextera manu post fractionem Hostiæ, particulam Sanguine imbutam, dum ea intincta signum crucis facit, super aliam existentem in patena, dextri pollicis ungue findat istam, stulta ea opinione, (a) ut ita sanguis penetret corpus, unde corpus, & sanguis interse misceantur: quæ opinio, & ceremonia consentanea est hæresi Nestorii, ejusque sectariorum, impie asserentium, sub specie panis Corpus tantum Christi, sine Sanguine existere, atque sub specie vini, Sanguinem sine Corpore: præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, ut nullus è Cassanariis hujusmodi ritum peragat, & in Missalibus deleatur; Quia & impius hic ritus ad prædictam hæresim alludit, & stulta est eorum persuasio, quod per species detur penetratio, & commixto Corporis, & Sanguinis.

DECRETUM IV.

CXXIII. QUIA Missa Syriaca nimis videtur prolixa pro Sacerdotibus, qui quotidie celebrare voluerint, facultatem concedit Synodus, ut Missa Romana (b) vertatur Syriace, petitque a P. Francisco Roz Soc. Jesu, ut dictam versionem adornet, quam quidem Missam poterunt Sacerdotes privatim, cum Romanis ceremoniis recitare; Ceterum Missæ cum cantu, & solennes, juxta Syriacam, emendatam per Reverendissimum Metropolitanum, recitentur: Sacerdotes vero qui Latine, & Syriace Missam legere noverint, in Ecclesiis aliorum Episcopatuum, possint eas latine

(a) Hic ritus revera tolerari posset, cum etiam Ecclesia Romana præcipiat miscere particulam cum sanguine dicendo: *Hæc commixtio & consecratio &c.* De ritu hujus intinctionis Schelestrate agit in Act. Orient. (etiam extra Missam) *pag.* 829., qui paulo antea scribit, quod in aliquibus Ecclesiis Orientis, etiam in Missis Præsanctificatorum, in quibus Sanguis non consecratur, tamen Crucem ducebant super hostiam cum cochleari sanguine intincto. Ecclesia tamen C. P. id omittebat, quod sanguinis intinctionem minus necessariam judicaret. Quod autem ea sit non tantum *commixtio*, verum & *consecratio*, & quomodo vide ap. Mabillon. *tom.* 2. *Mus. Itali. pag.* LXXVI.

(b) Missas exotica lingua facere concesserunt Hadrianus II., Joan. VIII. Et Innoc. IV. confirmavit facultatem celebrandi Missam, & Officium Divinum lingua Sclavonica. Hic tamen non vernacula Malabarica, sed Syriaca permittitur in Missæ celebratione: quamquam etiam ipsi polleant alio Idiomate, quod vocant Sapientum, ut etiam fit inter Græcos, quodque vocari dicitur *Samoscardam*: ut ut res sit, Majestas mysteriorum non apte vulgari lingua servatur; cum Ethnici quique rem mysticam, vel particulari Idiomate, vel vocum involucris, a profano vulgo, abstruserint. Quomodo autem se gesserit Ecclesia Romana, cum Idioma latinum erat vulgare, & qualiter voces præter communem captum invenerit, vocando Eucharistiam *fermentum*; habetur in Trat. Schelestrati *De Discipl. Arcani*.

Digitized by Google

latine recitare, in iis autem quæ sunt hujus Episcopatus, Syriace tantum, ne confusio oriatur, eas recitabunt. Supplicat itaque Synodus Dominis Episcopis harum partium, ut Sacerdotibus hujus Episcopatus, Præsulis sui legitimis dimissoriis munitis, si latine legere nesciant, facultatem faciant, vel Missam Syriacam recitandi, vel Romanam in linguam Syriacam translatam, inque ea Romanum ritum servandi, quandoquidem finitum videtur esse schisma, Dei clementia, quod hactenus Ecclesiam hanc dilacerabat: itaque orat Illustrissimum Metropolitanum Synodo huic præsidentem, ut hanc petitionem pro Sacerdotibus hujus Episcopatus, in primo Concilio Provinciali, quod in hac Provincia forte celebrabitur, ipse proponat, ut si Patribus visum fuerit, ita decernatur.

DECRETUM V.

CXXIV. QUoniam potestas sacra contrectandi vasa, potissimum in Subdiaconatus Ordine confertur: præcipit Synodus, ut in posterum Sacerdos in patenam non ducat manum Ministri Missæ juxta Syriacum Ritum, itaut eam attrectare possit, nisi ille in Subdiaconatu constitutus fuerit, cum aliter ad hujusmodi contactum non habeat potestatem, sed tantum ejus manum ad Aram lapideam, vel Altaris labrum adducet, ubi patenam non tangat: cum iis vero, qui in sacris fuerint constituti, ceremoniæ, prout in Missali præscribitur, observentur; quod videtur in rubricis satis insinuari per ea verba: *Sacerdos manum Diaconi supra Patenam apponat.*

DECRETUM VI.

CXXV. CUM sit speciale Diaconatus insigne, humero imposita stola, nulli non Diacono licet ea sic uti in publicis Ecclesiæ ceremoniis, id quod hactenus Chamazes omnes fecerunt, qui non solum in minoribus tantum constituti, verumetiam omni Ecclesiastico gradu carentes, stolam ad hæc usque tempora, Diaconorum more, supra humerum gestarunt, Altari ministrantes. Cum vero id ritualibus libris adversetur, qui de Ministro Diacono aperte loquuntur, præcipit Synodus ut Chamazes ministrantes, qui non fuerint Diaconi, stola in forma supradicta non utantur; immo & Diaconi ea decenter utantur, atque adeo non vulgari veste, ut hactenus consueverunt: sed non aliter quam alba induti, & manipulo, ut moris est, brachio sinistro illigato.

Digitized by Google

DECRETUM VII.

CXXVI. PRæcipit Synodus, ut singulis in Ecclesiis ferreæ habeantur formæ ad rotundanda, atque obsignanda triticea crustula, sive ut vulgo dicitur, hostias, (a) quæ instrumenta citocitius unaquæque Ecclesia sibi comparet, vel ex deposito pro Ecclesiæ Fabrica, vel ex eleemosynis aliis, quæ ex Christi fidelium beneficentia collectæ, in capsulis inveniantur. Curabunt insuper Vicarii, penes se farinam triticeam perpetuo asservare, è qua hostiæ conficiantur, omnique sedulitate caveant, ne farina cum alia quacumque re sit admixta, ut assolet, etiam cum pane usuali; ne se, vel alios exponant non consecrandi periculo, sed nec quibuscumque triticeos Orbes conficiendi curam committant, eosque vel per se ipsos, vel per probatæ fidei Administros, hujusque rei peritos conficiant. Ob idem periculum diligenter curent, ut vinum sit Lusitanum, & non ex uvis passis expressum, vel cum vinis indigenis, & patriis commixtum.

DECRETUM VIII.

CXXVII. SUmmopere inculcat Synodus hujus Diœceseos Sacerdotibus diligentiam in custodiendo vino, quoad Sacrum peragendum uti debent; neque enim ignorat, Ecclesias ob earum indigentiam, Lusitanici vini penuria laborare, cujus quidem inopia non tanta esset, nisi id quod Sacerdotes habent, in vitreis phialis asservarent, ex quo sæpe fit, ut cum in modica quantitate sit, & diu ob sacrorum infrequentiam in phialis contineatur, acescat, & corrumpatur; cumque Sacerdotes illo in sacro peragendo utantur, & plerumque non advertentes, vinum esse immutatum, periculo non consecrandi se exponant: cui malo, ut Synodus quoquomodo obviam eat, mandat, ut Ecclesia quælibet, apud Vicarium doliolum ligneum habeat, vel lagenam, ubi vinum

(a) De nebulis seu hostiis faciendis vide eruditissimum Catalani *tom.1. in Pontifical. pag.*304. & 1.. *Martene tom.1. Anecdot. in Præfat. §. Non oscitantes*: & lib.1. de Ritibus antiq. col.321. quique magis instituto nostro accedit Asseman. *tom.4.pag.* 298. ubi pulcra de modo, quo Nestoriani fermentum, in usum Eucharistiæ subigunt. Qui autem in Ecclesia nostra Occidentali tenuissimi orbes conficiuntur, appellantur *Formæ*; ipsa etiam Eucharistia vocata fuit olim *Formata*, eo quod in crustulis efformatæ conspicerentur imagines Christi, vel Crucis; aut etiam illius nominis Monogramma, sigla, aut quid simile; de quo vide Scipion. Mafe *Introduc. ad Hist. critic. pag.*89. & Maurocen. *in Via Fidei pag.*365.

Digitized by Google

num Missarum celebrationi destinatum conservetur, ac diligenter caveatur, ne fæculentum evadat, & nativo suo calore immutato, acidum, corruptumque fiat; quod si contigerit & substantiam illius fuisse immutatam, periti de hac re, si opus fuerit, consulti judicaverint, Sacerdotes illo non utantur, nam si secus fecerint, & consecratio erit irrita, & ipsi se sacrilegii reos facient.

DECRETUM IX.

CXXVIII. CUM ex defectu vini Lusitani, maximo fidelium istius Episcopatus nocumento, cesset sæpius celebratio Missarum; itaut per non paucos menses in plurimis Ecclesiis sacrum audire non possint, nec Eucharistici panis participes fieri; immo neque extremo vitæ tempore, sacro refici Viatico, supplicat Synodus Serenissimo Lusitaniæ Regi, ut pro ea, qua est in omnes humanitate, atque beneficentia, cuilibet hujus Episcopatus Ecclesiæ in singulos annos tribuat, vel duo dolia, vel unum cum dimidio è vino Lusitano muscato; non ita corruptioni obnoxio, prout ab illo erga alias Indiæ Ecclesias fieri solet. Hujusmodi vero vini largitio quandiu à Rege non exoratur, fiet ab Illustrissimo Dom. Archiepiscopo Goensi D. Fratre Alexio de Menesses, hujus Ecclesiæ Metropolitano, Indiæ Primate, & hujus Synodi Præsidente; Præsulis autem erit juxta cujusque Ecclesiæ indigentiam vinum distribuere; Quia tamen vita hominum brevis est, & incerta, si subsidium hoc quacumque de causa Ecclesiis desit, ex earum capsulis Præsul, tempore visitationis possit accipere, quantum ad vini emptionem sufficere judicaverit, vel aliunde quoquomodo collectas pecunias in hunc usum impendere. Caveant Vicarii, ne quæ tribuuntur Ecclesiæ, sibi solum attribuant, sed ex iis Missas in Ecclesia celebrari curent, itaut juxta præcipuam Ecclesiæ obligationem, Sacrificium, quod pro Populo offertur, ea die non desit.

DECRETUM X.

CXXIX. QUIA maxima angitur dubitatione Synodus, an aræ lapideæ, super quas Missæ celebrantur, in majori parte Ecclesiarum hujus Episcopatus consecratæ sint oleo sacro, veraque consecratione, propter ignorantiam, (a) negligentiamque in rebus

(a) In Orientis Ecclesiis usus erat celebrandi super Antimensiis; & in horum defectu super manibus Diaconorum: celebre est illud Theodoriti Cyrensis Episcopi, in Cella Maris Monachi reclusi, super manibus Diaconorum celebrantis: rarissimum

bus hisce prædecessorum Antistitum, quippe, qui in has Diœceses è Babylone venerant, præcipit, ut illæ, quas rite fuisse consecratas constare nequit, ad Illustrissimum Metropolitanum apportentur consecrandæ, atque ab ipso petit, ut Ecclesiis, quæ Aras lapideas non habuerint, eas comparari curet. Præterea præcipit, ut si qui inveniantur Calices, (a) qui non sint ex auro, argento, stanno, vel communi, vel indico, liquefiant, aut fragantur, nec unquam in posterum fiant ex aliis metallis, quam ex quatuor supra assignatis, nec Sacerdos ullus aliquo ex Calicibus fractis utatur ad Sacrum celebrandum; quia vero apud plures Ecclesias desunt Calices, ex quo defectu Missæ celebrari non possunt, postulat ab Illustrissimo, ut huic indigentiæ provide succurrat.

DECRETUM XI.

CXXX. QUoniam plures hujus Episcopatus Ecclesiæ, potissimum silvestres sacris indumentis, & supellectili ad Sacrum conficiendum necessaria destitutæ sunt, eaque de causa cum aliunde asportari debeat, sæpe Sacrum non celebratur, non sine notabili Fidelium in hisce Parochiis habitantium damno, præcipit Synodus, ut ex collecta stipe, quæ in Ecclesiæ capsulis inventa fuerit, Illustrissimus Metropolitanus sacram supellectilem comparari jubeat, qua nulla ex prædictis Ecclesiis careat, ne ex illius defectu Fideles diebus Dominicis, aliisque festis Missa priventur, quodsi pecuniæ ibi inventæ insufficientes sint, alia ratione, quam opportuniorem judicaverit, huic indigentiæ prospiciat.

DECRETUM XII.

CXXXI. CUM hactenus Christiani non ita Missam audierint, ut se ad illam audiendam, aliquot præsertim diebus festis præcepto obstringi putarent, & hac falsa opinione ducti, plures illam

illud Luciani Martyris Antiocheni, qui vinculis constrictus, cum aliter celebrare non posset, pectore suo pro altari usus fuit: si tamen copia erat altaris consecrati, non super antimensiis, sed super illud celebrabant Vide Catalan. *to.2. Pont. Rom. pag.*280.

(a) Calices primo seculo vitrei erant, lapidei & lignei: *anno* 1076. Concilium Wintoniense prohibuit calices æreos, vel lingeos, uti etiam vetuerat Concilium Tributiense *anno* 895. lignea vascula in Missæ Sacrificio *Can. XVIII.*; in quo dicitur S. Zephyrinum jussisse patenas vitreas habere: & Urbanum I. initio Sec.2. argenteos & aureos Calices fecisse: extat & terrificum illud Martyris Bonifacii, qui rogatus, num liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere? respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contra, lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

Digitized by Google

illam omiserint, plures vero audierint dumtaxat partem, neque id religioni habuerint, declarat Synodus, præceptum esse Ecclesiæ universalis, & quidem sub mortali, quod omnes fideles, tam Viri, quam Feminæ, qui alias non fuerint legitime impediti, tenentur Missam audire integram cunctis Dominicis, & designatis diebus festis Sanctorum, dum copiam habuerint Ecclesiæ, & Sacerdotis celebrantis: eodem etiam obligari præcepto Patresfamilias, ad curandum ut filii, servi, & captivi Christiani, ceterique ex sua familia prædictis diebus sacrum audiant in Ecclesia, & in ea quidem (idque quantum fieri potest) quæ exstitit vel in propria Parochia, vel in Parochia loci illius, in quo hic, & nunc morantur. Quia vero multi longe ab Ecclesiis in silvis degentes, domum sine custodia relinquere verentur, ita se gerere debent, ut aliquos è familia mittant ad audiendam Missam una die Dominica, alia vero Dominica mittant alios, qui tunc domi manserunt, & sic deinceps alternatim. Vicarius insuper diligenter notet si quos in hoc negligentes compererit, in eosque animadvertat, moneat, ac ipsos, si opus fuerit, pro suo arbitrio puniat. Itaque in Ecclesiis, ubi plures fuerint Cassanarii, & Chamazes, cantentur Missæ in diebus Dominicis, ceterisque Sanctorum festis; sin autem, opportunis horis sine cantu recitentur, quibus omnis Populus assistat; quo etiam tempore fieri possunt conciones, ac monitiones, necnon legi schedulæ eorum, qui Matrimonia contrahere volunt; alia demum Ecclesiæ necessaria pertractari.

DECRETUM XIII.

CXXXII. CUM constet Synodo, Christianos ut plurimum extra Populorum frequentiam, & pagos degere in silvis, nec ad Ecclesiam accedere, nisi semel in anno per tres scilicet dies jejunii ante Quadragesimam, quos vocant (a) *Mononorbo*, idque gula potius ductos, ob ea quæ tunc parantur Christianis obsonia, quam Missæ causa; alii vero non amplius quam bis, terve in anno Missam audiunt: unde in rebus fidei, & ad Christianam Religionem pertinentibus instrui, ut oportet, non possunt, neque Ecclesiæ præcepta adimplere, præcipit, ut omnes Christiani, qui per binas, vel

(a) Potius scribendum erat *Munnanonbo*; etenim lingua Malabarica *Munnanonba* est *jejunium triduanum*: componitur enim ea vox ex *Munna*, qui est numerus ternarius; & *Nojerta*, quod est jejunium; vox autem illa, qua utitur Synodus est Malabarico-Lusitana. Hoc triduanum jejunium appellant Nestoriani *Jona jejunium*, seu *Jejunium Ninivitarum*: quod observant Orientales a feria illa 2. usque ad matutinum feriæ 5. Occidentales vero usque ad Sabbati matutinum.

Digitized by Google

vel plures leucas ab Ecclesiis sint remoti, teneantur ad sacrum accedere saltem semel in mense, in majoribus solennitatibus Christi Domini, ac Deiparæ: Vicarii etiam ad hoc ipsos cogant: distantes vero per leucam tantum, decimaquinta quaque die accedant, qui autem minori spatio distaverint, qualibet dia Dominica, & die festo ad id teneantur; si qui autem contra fecerint, ac in eo fuerint contumaces, post trinam monitionem Vicarii, aut de ejus mandato factam, ab Ecclesia, cum accesserint, ejiciantur, nec eorum domos Sacerdotes ingrediantur; nec ipsis exhibeant *Casture*, quousque juxta ea, quæ fuerunt præscripta, Ecclesiam, ubi Sacro intersint, frequentaverint, ulterius ad Præsulis arbitrium puniantur.

DECRETUM XIV.

CXXXIII. QUoniam in pluribus Ecclesiarum solenniis conducuntur Musici (*a*) pro more Regionis, qui cum semper sint ex Paganis, plurimum negligitur, quo in loco Ecclesiæ collocentur, ut sonum eliciant; ex quo etiam fit, ut sæpe Missæ intersint; Cum vero id nulli Infideli, & excommunicato concedatur, præcipit Synodus, ne illis permittatur aliquo in loco commorari, unde sacrificium Missæ, & Sanctissimum Sacramentum conspicere possint, qua in re curam omnem adhibeant Vicarii, sicuti & in propulsandis aliis Paganis, qui sub id temporis ad januas, vel fenestras Ecclesiæ, Missam prospecturi solent accedere.

DECRETUM XV.

CXXXIV. CUM nihil utilius esse possit Animabus Defunctorum, quæ igne purgantur, quam Sanctum Missæ sacrificium, quod in salutem, & remedium, tam pro vivis, quam defunctis institutum est, & cum illorum in hoc Episcopatu nulla habeatur recordatio (*b*); hortatur Synodus fidelem istius Episcopatus

(*a*) Etiam Musici, Histriones & Mimi arcentur ab Ecclesia in Concil. *Senon. anno* 1528. in Decret. morum. *Decret.* 16. per hæc verba: *Prohibemus ne Histriones aut Mimi intrent Ecclesiam ad pulsandum tympano, citbara &c.: nec juxta Ecclesiam, suis pulsent instrumentis*: æquius multo Idolorum Musicis prohibet nostra Synodus, inter tremenda veri Dei mysteria sonare, uti & Musicis Christianis interdixit Card. Turnonius in solenniis Idolorum ludere; quod confirmavit Clem. XII. anno 1734. & Benedict. XIV. fel. reg. anno 1744.

(*b*) Non nisi ineptissime Heterodoxi hinc conficere satagunt, Purgatorium ab ista Ecclesia non agnosci, cum id asserat Synodus taxando novissimorum Præsulum socordiam; alias quantum Nestoriani defunctorum curarent suffragia videri potest apud Asseman. *Diss. de Nest.* in vindiciis adversus Crozæum.

Digitized by Google

tus Populum ad hanc opem ferendam, tum Animabus suorum defunctorum, tum sibimetipsis, testamento summam aliquam relinquendo, quæ in hunc ipsis salutarem usum impendatur; id enim multo sanius fuerit, quam si juxta morem ingluviei Consanguineorum, aliorumque invitatorum, tunc temporis occasione funeris indulgeatur: optaret etiam Synodus eam consuetudinem, in commendabilem aliam, maximeque proficuam commutari, qua alimenta diebus illis pauperibus tribuantur, quod impendiosæ misericordiæ Officium in bonum animarum proculdubio cedet. Itaque ut præsens decretum quoad Missas effectum sortiri possit, præcipit ipsa Synodus, ut pro defunctis, qui nullum Missarum numerum reliquerint pro semetipsis, dum eorum facultates sint ultra bis mille Fanones, *(a)* è toto asse hæreditario, antequam ad hæredes perveniat, extrahatur summa ad quinque Missarum pro Animabus ipsorum celebrationem sufficiens, quæ ceteris emolumentis adjuncta, apud Œconomum Ecclesiæ deponatur. Missæ celebrandæ inter Cassanarios illius Terræ hac lege distribuantur, ut singuli unam celebrent, atque adeo citius mortuorum Animabus suffragentur. Si vero Cassanarii numerum quinarium excedant, quam obrem numerus Missarum ad omnes non extendatur, distributio fiat inter seniores; quodsi præter Vicarium nemo alius sit in Ecclesia, omnes ipsi assignabuntur: Laudabilem hanc consuetudinem Missas celebrandi pro Defunctis relictas, juxta morem totius universalis Ecclesiæ, vehementer optat Synodus, ut per totam Diœcesim, in qua nondum laudabilis hic usus invaluit, late propagetur, plurimumque inculcat Concionatoribus, & Confessariis, ut inter concionandum, & excipiendum confessiones, id ipsum persuadeant Christianis, Vicarii etiam in suis adhortationibus idem præstent.

X ACTIO

(a) *Fanon* est vox composita ex Lusitano & Malabarico, *F.* illud non habet lingua Malabarica; videtur autem *Fanon* derivari a *Pannam* quod genus est parvæ monetæ argenteæ, (quæ pene æquivalet Regali Hispano, & Julio Romano) posito *F.* Lusitano quo, carent Malabarici, pro *P.* Ludovicus Romanus Navigat. *lib.4. cap.11.* ait loquendo de Rege Calecut in Malabaria: *Monetam cudit quam Pardios appellant, & item minoris valoris monetam aliam, quæ Fano dicitur: hanc efficiunt 16. minutiores denarii.* Alias vocantur *Pardaos*.

Digitized by Google

ACTIO VI.

De Sanctis Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.

Doctrina de Sacramento Pœnitentiæ.

CXXXV. QUartum Sacramentum Pœnitentia est, cujus quasi materia actus sunt Pœnitentis (*a*); nempe cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio, ad arbitrium Confessarii injungenda. Cordis contritio includit animi dolorem, peccatorum detestationem, ac firmum propositum non amplius peccandi, & licet quandoque contingat, hanc contritionem Cordis per charitatem perfici, hominemque Deo reconciliare, antequam reapse Sacramentum Pœnitentiæ recipiat; nihilominus perfecta esse non poterit, nec per illam cum Deo reconciliatio fieri, nisi contineat propositum confitendi peccata, de quibus dolemus; quamobrem hæc manent subjecta clavibus, & aperienda sunt in confessione. Confessio oris debet esse integra, per quam nempe aperiantur proprio Sacerdoti omnia peccata, quorum Pœnitens, post diligentem conscientiæ suæ discussionem, meminerit, detegatque a se post ultimam, eamque validam confessionem, fuisse perpetrata, neque peccata quodammodo generatim, & confuse aperiri debent, sed singillatim; horum singulas species, eorumque numerum, circumstantias (*b*) aggravantes, eorumque speciem immutantes, atque adeo etiam occulta, cogitationes insuper, ac desideria prava, culpasque omnes adversus duo ultima Decalogi præcepta; nempe: *Non concupisces Uxorem proximi: nec aliena concupiscas*; peccata enim id genus sæpius animam gravius sauciant, suntque publicis periculosiora; Quorum omnium peccatorum confessio, est nobis Jure Divino injuncta, dum ascen-

(*a*) A Gabriele Philadelphiensi, *Lib. de Sacram.* ut habetur in Actis Orient. Eccl. contra Lutheran. *apud Schelestrate p.*239. sic per bene explicatur materia Pœnitentiæ: *Materia Pœnitentiæ remotissima, secundum multorum sententiam sunt peccata; remota vero peccator pœnitens: propinqua denique confessio, & cordis contritio & satisfactio*: quibus Ecclesia Orientalis optime nostræ consonat.

(*b*) An sit obligatio confitendi circunstantias aggravantes tantum; varie judicant Theologi: tutius tamen id fit.

Digitized by Google

ascendens Christus Dominus noster in Cœlum, sui Vicarios (a) Sacerdotes reliquit, & tanquam Judices, ad quos cuncta peccata mortalia a Fidelibus Christianis commissa defferrentur, ut virtute clavium, quas ipsis reliquerat, facultatisque absolvendi, ac retinendi peccata, de iis sententiam ferrent; quæ quidem non poterit esse justa, nec pœna æqua peccatis, nisi plena de ipsis habeatur cognitio; nequit enim rectum fieri Judicium, causa incognita: Ad cognitionem vero causæ, opus est, ut pœnitens, qui est sui accusator, aperiat omnia, & singula peccata lethalia, non solum confuse, & generatim, sed in particulari, & singillatim, distinguendo species, numerum, & necessarias circumstantias, quas nisi compertas habeat Sacerdos, nequit exactè de illis judicare, & æquam vel retentionis, vel absolutionis ferre sententiam.

CXXXVI. Confessio potest etiam esse peccatorum venialium, in quæ frequenter labimur; quibus tamen gratia Divina non amittitur, & quamquam non sine magno Spirituali profectu, ea confiteri quis possit, & ab iis absolvi, nulla tamen Nos urget obligatio ea confitendi, ac sine culpa omitti possunt, & alia ratione, pluribusque aliis mediis remitti. Tertius Pœnitentis actus est Satisfactio pro peccatis juxta sententiam Confessarii: quæ satisfactio potissimum exhibetur per Orationes, jejunia, & eleemosynas; unde tenetur pœnitens adimplere impositam à Sacerdote pœnitentiam, qui veluti Judex Dei vice, eam imponere debet, quam necessariam judicaverit, eamque non solum salutarem, cujus ope pœnitens in posterum caveat à peccatis, verum etiam, qua præterita expiet, & statutas à Judice suæ conscientiæ pœnas Deo persolvat. Quod pœnitentiæ genus præcipuum est in hoc, de quo agimus, Sacramentali Judicio. Forma istius Sacramenti hæc est: *Ego te absolvo*; quibus verbis necessariis ad essentiam Sacramenti, hæc alia de more addit Ecclesia: *à peccatis omnibus in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*: necnon continuo preces aliquas subnectit, quæ licet ad formæ substantiam non pertineant, sunt tamen Pœnitentibus valde proficuæ, & salutares: prolatione itaque formæ peccata remittuntur, tam quæ quis confitetur, quam quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt. Hæc tamen ita eadem confessione includuntur, ut supersit onus in Pœnitente ea aperiendi Sacerdoti, si-

(a) Quod Joan. Morinus *De Pœnit. editionis Paris. an.* 1650. scripsit de confessionibus antiquitus a laicis exceptis, quibus id liceret in extrema necessitate non secus ac Baptismum conferre, retractatum & explicatum fuit ab ipso. Joinuillæus refert in Vita S. Ludovici Galliæ Regis, quod *in r e* gressu a terra Sancta, valida suborta tempestate, sibi mutuo factas confessiones exceperint navigantes. Vide Vigneul. de Marville *tom.* 2. *Melanges pag.* 345.

Digitized by Google

in memoriam redeant: neque enim sunt adhuc manifestata in confessione: Peccata autem sunt instar Catenæ animam ligantis, quæ non aliter solvi potest, quam per legitimam Sacerdotis absolutionem; qua fit ut tam de peccatis, quæ vel per Contritionem perfectam cum Voto Confessionis adjuncto delentur, vel quæ in præterita Confessione fuerunt citra culpam oblita, & indirecte condonata, quam demum de iis, quæ ad plenius suæ conscientiæ satisfaciendum Pœnitens iterum, iterumque ut fit, Clavibus subiicit, quantumvis jam olim remissa, denuo condonata esse declaretur.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos auctoritatem habens absolvendi, sive Ordinariam, ut Præsules, sive à Superiore delegatam, ut ii qui ab illis sunt approbati. Effectus Sacramenti est absolutio, ac remissio peccatorum commissorum post Baptismum; quam obrem aptissime Sacramentum Pœnitentiæ à Sanctis Doctoribus vocatur secunda tabula post naufragium; quia amissa gratia quæ nobis in Baptismo confertur, ob mortale peccatum, & post factum gratiæ, virtutumque omnium, ac donorum, quæ ipsam comitantur, infelicissimum naufragium, unum tantum superest remedium ad salutem, tabula nempe pœnitentiæ, & Sacramenti Confessionis; etenim sine illo, aut in re accepto, aut in voto, & ex contritione, quam includit cum proposito confitendi peccata, cum præcipit Sancta Mater Ecclesia, non possumus æternam salutem adipisci, nec intrare in Regnum Cœlorum. Ex quibus fit, hoc Sacramentum, tanquam unicum remedium, quod suppetit lapsis post Baptismum, & in pretio habendum esse, & magna cum reverentia frequentandum.

DECRETUM I.

CXXXVII. CUm integra peccatorum omnium Sacramentalis confessio necessaria sit Jure Divino omnibus, qui post Baptismum peccatum lethale commiserunt, obligat Sancta Mater Ecclesia cunctos Fideles Christianos sub peccato mortali, ut dum ad rationis usum pervenerint, saltem singulis annis semel confiteantur tempore Quadragesimæ, & Paschatis Resurrectionis, necnon Eucharistiam suscipiant, si ad illius susceptionem fuerint idonei; a piorum communione, & societate segregatos declarando, qui huic præcepto contumaciter non parent. Præceptum (a) hu-

(a) Loquitur Synodus de novissimis temporibus; nam antiquiori ævo, & paulo ante Synodum, confessionem in usu fuisse apud illos Christianos dicemus in Differt. De Moribus Christ. S. Thom., de quibus Josephus Indus Romæ testabatur dicens; *Confiten*,

Digitized by Google

hujusmodi non fuit adhuc ita in usu in hoc Episcopatu, ut qui ad Pœnitentiæ Tribunal, ad hanc usque diem accesserunt, putaverint se annuæ confessionis præcepto astringi, imo plnrimi ab ea se prorsus abstinuerint; quæ duo, defectui necessariæ instructionis, circa salutare hoc Sacramentum, ejusque necessitatem, adscribi debent: defectus vero hic ortum habuit ab eorum temporum iniquitate; regebatur enim Ecclesia hæc a Schismaticis Chaldæis, hæreticis Nestorianis, juratis hujus Sacramenti hostibus. Nil mirum itaque, quod necessitas, vis, & efficacia hujus Sacramenti ignoraretur, quodque licet aliqui, iique paucissimi, eo uterentur, alios tamen ab illius usu absterreret fallacissima opinio, qua callidissimis tentatoris fraudibus irretiti, putabant, se post confessionem statim morituros, quæ omnia constiterunt Illustrissimo Metropolitano, qui cum primo suas Ecclesias peragraret, & in suos subditos, prout sui muneris ratio postulabat, inquireret, errores tam perniciosos, stygiasque superstitiones ut evelleret, summa ope contendit, ingentemque multitudinem, tum eorum qui rarissime, tum eorum, qui nunquam confessione usi sunt, ad frequentem illius usum induxit. Ut ergo prædictis omnibus animarum damnis Sacra Synodus prospiciat, declarat, quemcumque Christifidelem, rationis usu pollentem, obligari præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, fundato in ipso præcepto divino, idemque præceptum servari debere tempore ab Ecclesia statuto; quamobrem mandat ut omnes fideles Christiani utriusque sexus, dummodo ad rationis usum pervenerint, suo proprio Vicario, vel Sacerdotibus, qui a suo Præsule facultatem acceperint, confiteantur tempore Quadragesimæ, & Paschatis Resurectionis; quicumque vero præceptum non adimpleverit, nec confessionem fecerit ab initio Quadragesimæ, usque ad secundam Dominicam post Pascha, a Christifidelium communicatione segregatus declaretur à Vicario in Ecclesia absque alia monitione Præsulis, quousque revera confiteatur, aliisque pœnis eorum

tur ut nos; Eucharistiam sumunt &c. sed neque apud Indos omnino desierat. Etiam apud Nestorianos conquerebatur eorum Patriarcha Sulaka & Josephus II. fere abrogatam esse confessionem; agente, ut videtur, Simeone Barmamam; idem fecerant in Aegypto seculo duodecimo tres Coptorum Patriarchæ, nequidquam reclamantibus eorum Doctoribus, & Syris Jacobitis. Recentes autem Episcopi Chaldæi e Babylonia missi ad Indos Malabarenses, hunc confessionis auriculaxis horrorem illis ingesserunt: ceterum apud omnes omnino Christianos, hujus Sacramenti nota fuit fides & disciplina: immo Christiani nostri Malabarenses, post celebrationem Synodi, ejusque Decretorum observantiam, luculentissimo experimento didicerunt, quam salubre atque proficuum sit Pœnitentiæ Sacramentum, cum enim antea plures apud eos essent Energumeni, vix jam unus inter illos reperitur, ut testatum facit Vincent. Mar. *Viagg. all'Ind. lib. 2. cap. 6.*

Digitized by Google

eorum refrænetur contumacia, quas ipse opportunas judicaverit. Quodsi Vicariis visum fuerit graves ob causas aliquibus tempus præscriptum prorogare, poterunt ipsum protendere usque ad Pentecosten, prout decretum fuit Actione V. Dec.II. de Sacram. Eucharistiæ; curent tamen, ut prius omnes admoneant, notumque sit omnibus, eos, qui tali tempore in Silvis degerint, vel navigaverint, vel alibi, ubi nulla fuerit Ecclesia, & opportunitas suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, negotia gesserint, ad propria reversos, quocumque anni tempore, præcepto cogi ad Sacramentum Pœnitentiæ intra mensem suscipiendum.

CXXXVIII. Et quo hæc omnia facilius, & cum effectu executioni mandentur, ut æquum est, teneantur Ecclesiarum Vicarii per mensem ante Quadragesimam, eoque amplius, si opus fuerit, Pagum integrasque Parochias excurrere, necnon Fidelium domos ad eas pertinentes, etiam eorum, qui longe in Silvis degunt, per se vel per alium Cassanarium, cujus fidei possit munus hoc, tuta conscientia committi, & in codice nomina scribere Fidelium omnium, qui nonum ætatis annum expleverint, non solum autem Dominorum, sed etiam Mancipiorum, omniumque, qui ad unamquamque familiam pertinent, immo etiam eorum, qui absunt, notando, an post elapsum tempus præscriptum ad satisfaciendum præcepto, sint regressuri, facto deinde cunctorum catalogo, dum eorum confessiones exceperint, illorum nomina signent, qua ratione ipsis compertum erit, quinam præceptum impleverint, qui vero secus, quos cogent ad illud implendum, & si contumaces fuerint, anathemate ferient; ipsique Vicario indicimus, id esse sui muneris, cum Pastor teneatur cognoscere oves suas, ut eas pascat, & quantum potuerit indigentiis earum, tum spiritualibus, tum temporalibus prospicere, easque insuper in numerato habere debet, ut sciat quot pereant; poterit catalogus hic commode confici (a) adMononoibo, ubi omnes Christiani Ecclesiarum conveniunt; atque ibidem notitiam sibi comparare eorum, qui in Silvis degunt: qui vero aliis approbatis confessariis fuerint confessi, schedam ferant ab iis subscriptam, qua de confessione cum iis peracta constet, quamque Vicario exhibeant, ut per ipsam impletionis præcepti certior factus, eos in catalogo notet: at licet aliis valeant confessariis, & alibi confiteri, Eucharistiam tamen, hoc præcepti tempore Quadragesimali, nusquam nisi in propria Parochia suscipere possunt;

(a) *Ad Mononoibo* aut *Mononombo* id est, per illos dies ante Quadragesimam, ubi omnes Christiani ad Ecclesiam etiam e silvis accedebant: vide supra *Dec.13.*

Digitized by Google

sint; Præsules autem in visitatione de hujusmodi Catalogo inquirant, ac de istius decreti observantia certiores fiant.

DECRETUM II.

CXXXIX. CUm præceptum Confessionis omnes obliget, rationis usum habentes, & conscientiam de peccato mortali; cumque ad rationis usum aliqui citius, aliqui serius perveniant, Synodus, cui satis comperta est indoles Malabaricæ gentis, decernit, ut post octavum ætatis annum teneantur pueri præcepto annuæ confessionis, quo tamen decreto non prohibet, ne citius ad salutare Pœnitentiæ Sacramentum accedant: Immo si Vicarii noverint ita rationis usu, ante præstitutum tempus pollere, ut lethalis noxæ capaces videantur, multoque magis, si ipsis de aliqua lethali noxa à puero commissa constiterit, ipsum ad confessionem cogant, quamvis illam nondum ætatem attigerit, nam in tali casu Ecclesiæ præcepto obstringuntur, de qua re tamen Judicium ferre, sit penes Parochorum arbitrium.

DECRETUM III.

CXL. ADmonet Synodus Patresfamilias, & quoscumque de aliis curam gerentes, ut plurimum curæ, ac diligentiæ adhibeant in exigenda præcepti annuæ Confessionis observantia a sua familia, ac præsertim a pueris, puellisque captivis, aliisque eorum servitio deputatis. Qua in re satis compertum est, eos antehac deliquisse, nec suos, ut par erat admonuisse. Meminerint, se gravis culpæ reos esse, si id omittant, districtamque Deo rationem reddituros, dicente Apostolo Paulo (a): *qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est Infideli deterior*; quæ verba potissimum locum habent, ubi agitur de necessitatibus Spiritualibus suorum domesticorum, rebusque ad eorum salutem æternam pertinentibus. Negligentiam dominorum solertia sua compensent Vicarii, & ad Confessionem compellant præfatos captivos, juxta numerum eorum in Catalogo descriptorum, & contumaces anathemati subjectos declarent, non secus ac alios; admoneant tamen prius Dominos, ut captivis suis confessionem, ea qua pollent auctoritate, severe injungant, eosque certiores faciant de censura postea infligenda, nisi accesserint. Qui vero

(a) Epist. 1. ad Timot. cap. 5. v. 8.

Digitized by Google

vero hac in re negligenter se gesserint, ad Præsulis arbitrium punientur.

DECRETUM IV.

CXLI. CEterum non solum debent Fideles Christiani lethalis culpæ conscii confiteri semel in anno, verum etiam quoties in probabili vitæ discrimine constituti, aut gravi ægritudine correpti fuerint; dum itaque id contigerit, curet æger ipse, ipsique assistentes, sive in pagis, sive in silvis degerint, ut Sacerdos approbatus quæratur, qui suam confessionem audiat, atque Ecclesiæ propriæ Vicarius de hac re certior fiat, qui vel per se ipsum, vel per alium a se deputatum, confessionem ipsius excipiat, meminerint quoque Vicarii, sui esse muneris de hujusmodi ægrotantibus inquirere, eorumque Confessiones per semetipsos, aut per alios excipere, quocumque locorum vocati fuerint, & quocumque tempore quæsiti, ut nullus absque Pœnitentiæ Sacramento decedat; neve ob eorum criminosam negligentiam, reos se alienæ damnationis apud Divinum Judicem constituant, si in causa sint, ut oves eorum curæ commissæ pereant: Vicarius autem, cujus culpabili negligentia e sua Parochia aliquis non confessus decesserit, suspensus ab ordinibus maneat, necnon a perceptione fructuum per annum, sine ulla remissionis spe, aliusque pro eo deserviat: ille vero, cujus curæ æger fuerit commissus, & negligentiæ convictus fuerit in Parocho vocando, ad Præsulis arbitrium cum rigore puniatur: qui autem, sive in Pagis, aut extra in Silvis, sine Confessione decesserint, eo quod eam ipsi non petierint, nec Sacerdotem vocaverint, nisi mors ex improviso, aut adeo celeriter eos corripuerit, ut nullum ad id spatium permiserit, Ecclesiastica careant Sepultura, neque Cassanarii ad ipsorum domum accedant, nec justa funebria, & pia funeris officia, aut *Chata* (a) ipsis erogentur.

DECRETUM V.

CXLII. SED neque sola ægritudine gravi decumbentes, verum & in quolibet alio vitæ discrimine constituti, tenentur Fideles Christiani obligatione, sua peccata confitendi; Unde cum Mulieres vita periclitentur in partu, (b) ipso imminenti, confiteri

(a) Quid sit *Chata* vide in Syllabo exoticarum vocum.

(b) In constitutionibus Provincialibus S. Edmundi Cantuariensis *anno circiter* 1236. præcipitur *cap.* 37. *ut Mulieres ante partum confiteantur, ne subito præoccupa-*

ri debent, & Eucharistiam accipere, si hujus capaces sint, quod potissimum servari debet, si partus fuerit primus, in quo majus est vitæ discrimen; Si vero non confessæ moriantur, (dummodo partus celerius, quam cogitabant, non advenerit) aut in præsenti periculo constitutæ confessionem non petierint, deque ipsarum negligentia constiterit, maxime si in Pagis degerint, non aliter agendum est cum ipsis, ac cum aliis, qui ob culpabilem incuriam absque Confessione obeunt.

DECRETUM VI.

CXLIII. CUm constet Synodo, quamplures ex iis, qui Variolarum, vel Pustularum morbo laborant, quamplurimos etiam in Pagis sine confessione, quamvis illam expetant, miserrime decedere, eo quod morbus hic contagiosus, & pestifer censeatur, eaque de causa Sacerdotes ad illos accedere vereantur; plurimum commendat, & jubet Vicariis, ut quam maxime curent, (a) ne ægroti hujusmodi absque confessione moriantur, sed vel per se, vel per alios eorum confessiones audiant. Interim tamen licet ipsis propriæ incolumitati consulere, audiendo confessiones, vel ex loco aliquantulum distante ab ægroto, vel etiam, si fieri possit, per quem non reflat, sed flat ventus, neque hac ratione tantum, sed alia quacumque possunt sibimet prospicere, dum modo id ipsis in primis cordi sit, ne absque Sacramentalis Confessionis remedio ægroti moriantur, quod ipsis iterum, iterumque Sacra Synodus inculcat.

DECRETUM VII.

CXLIV. HOrtatur etiam Synodus Fideles Christianos, hujus Diæceseos Incolas, ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, non solum semel in anno, quando urgentur præcepto Ecclesiæ, sed etiam pluries (prout pluries in peccata labimur) præsertim in festis Nativitatis Domini, Spiritus Sancti, Assumptio-

tæ &c. In Decretis item Concilii Provincialis *Mediolan.6. num.*10. statuitur, quod *Mulieres proxime parituræ confiteantur*: & quod *frequentius* tunc sumant Eucharistiam: optandum sane est, quod Parochi in id incumbant atque satagant.

(a) Solicitam exigit curam Parochorum contagii tempus: *Sanctissimi Viri* (ait S. Carolus Borromæus) *scripserunt, mortem in obsequio pestiferorum, a martyrii gloria non longe abesse*: Vide Raynaud. *Tract. de Martyr. per pestem*. De modo autem, quo se gerere debent Episcopi, Parochi & Consules Reip. omnino videnda sunt statuta *Conc. V. Mediolan. per S. Carolum Borrom. part.*2.

Digitized by Google

nis Dominæ nostræ, & Titularis Parochiæ, & de suscipiendo hoc Sacramento solennioribus hisce diebus, Vicarii die Dominica, quæ immediate præcedit hæc festa, populum admoneant.

DECRETUM VIII.

CXLV. DEclarat Synodus, non omnes Sacerdotes, quamvis potestas remittendi peccata sit Ordini Sacerdotali annexa, non omnes, inquam, posse confessiones audire, sed eos solum, quibus Præsul hanc facultatem in suas oves dederit; cum enim actio absolvendi actus sit Jurisdictionis, exercendique Judicii, hoc exerceri non potest nisi erga Subditos, quos simplices Sacerdotes non habent, sed ipsis a Præsule assignantur, dum iis audiendi confessionem facultatem impertitur. Quia tamen Præsules in commune Ovium suarum bonum, restrictiones aliquas concessioni adjungere consueverunt, si Sacerdos, vel absque facultate, vel ultra terminos præscriptos absolvit, invalide absolvit, nec pœnitenti remittuntur peccata, quamobrem debet Pœnitens rursus illa confiteri Sacerdoti absolvendi facultatem habenti, quodsi Pœnitens fuerit in vitæ discrimine constitutus, & nullus adsit Sacerdos ad confessiones approbatus, quicumque Sacerdos, etiamsi approbatus non fuerit, confessionem audire, ac absolvere Pœnitentem potest.

DECRETUM IX.

CXLVI. CUM ad bonum Ecclesiæ regimen, Populique Christiani plurimum conducat, de quibusdam gravioribus criminibus, non à quocumque Sacerdote, sed à Majoribus, vel etiam à Pontificibus judicium ferri, non solum, ut juxta gravitatem morbi peritiores, & excellentiores Medici adhibeantur, verum etiam, ut fidelis Populus ab enormibus sceleribus absterreatur, omni tempore mos fuit in Ecclesia, ut Præsules, immo Summi Pontifices judicium de aliquibus criminibus sibi reservarent, atque adeo nullus præter ipsos, aut alius quispiam ab ipsis specialiter delegatus, a prædictis criminibus possit absolvere. Quapropter Synodus optime sciens, doctrinam hanc fuisse hactenus ignoratam in hoc Episcopatu, ob inscitiam morum Ecclesiæ, Sacrorumque Canonum, ut perniciosam hanc ignorantiam procul amoliatur, declarat, ordinarios Sacerdotes, ad audiendas confessiones deputatos, absolvere non posse à casibus Prælato reservatis, multoque minus

Digitized by Google

minus à casibus reservatis Papæ, ac potissimum ab illis, qui in Bulla Cœnæ continentur; quos probe scire, & præ manibus habere, sui muneris est; sed neque absolvere possunt à crimine Hæresis, & casibus ad fidem pertinentibus, cum hæc ad Sacræ Inquisitionis Tribunal pertineant, aut ad alios de ipsius licentia; vel ad Episcopum, qui ab iis absolvere poterit ad normam Concilii Tridentini, ac juxta Sanctorum Patrum sanctiones. Itaque, qui communiter sunt ad audiendas confessiones deputati, ab iis absolvere nequeunt, sicuti nec relaxare, aut commutare vota Pœnitentium, cum hoc pertineat ad Præsulem, vel ad alium, cui specialiter commissa fuerit hæc facultas, vel qui ex Indulto Apostolico illam habeat, ceterum in mortis articulo, non tantum ii, verum etiam alius quilibet simplex Sacerdos, deficientibus iis, ad quos vel jure suo, vel ex speciali commissione id pertinet, absolvere poterit ab omnibus casibus, & censuris cuicumque reservatis, cum onere tamen comparendi, si convaluerint, quoad censuras, coram illis, quibus erant reservatæ, ut salutarem pœnitentiam sibi bene visam pro eis accipiant.

DECRETUM X.

CXLVII. UT vero Sacerdotes noscant, à quibus casibus possunt, & debent pœnitentes absolvere, ac in quibus Jurisdictione carent; Jubet Synodus in cujuslibet Curialis Ecclesiæ Sacello, ac ubi hoc non fuerit, in majori Cappella, Tabellam à Vicariis appendi, in qua transcribantur Bulla in Cœna Domini, casusque reservati in hoc Episcopatu, literis Malabaricis, ut ex illa, qui confessiones audiunt, sciant intra quos terminos Jurisdictionem suam exercere possint: præterea Synodus veterem disciplinam hac super re, in meliorem formam redigens, casus reservatos hujus Episcopatus declarat, esse hujusmodi: homicidium voluntarium notorium, etiam quoad complices: manus violentas in Personas Ecclesiasticas injicere: Incendium domorum, aut facultatum Christianorum voluntarium; Simoniam formalem tam in dante, quam in accipiente: Matrimonium sine Parochi præsentia, ac duobus Testibus: Schisma, ac inobedientiam adversus Præsulem promovere, etiam quoad sequaces: libros à Synodo prohibitos apud se habere, aut eosdem legere: ceremonias publicas facere, quas vocant: *Tuliconu* (a) *Caliconu*: pagodes, aut Idola domi habere,

 vel

(a) Peculiares sunt ritus, quibus Numina Malabarica colebantur; nec ampliorem eorum lucem nacti sumus. Vide Crozæum *lib.6.*, & Auctorem elegantissimi operis, *Ce-*

vel eorum res cultu prosequi: quibus omnibus censura excommunicationis est annexa, & quamvis eorum aliqui à jure sint reservati, adnotantur tamen hic, quo clarius dignoscantur.

DECRETUM XI.

CXLVIII. CUM Excommunicationis sententia, maxima sit inter Ecclesiasticas Censuras, gladiusque Ecclesiæ aliis formidabilior, qui non imprudenter, sed caute admodum ac prudenter distringi debet: reprobat Synodus nimiam facilitatem, qua ob levia, & futilia quæque, multoties in hoc Episcopatu ferebatur: necnon jubet, ultra non imponi, nisi ob res gravissimas, ac maxima cum circumspectione; nec tantum verbo, sed & scripto: unde rejicit, quod mandatum erat in hoc Episcopatu, nimirum, quod aliquibus in casibus absolutio nunquam in toto vitæ spatio, immo in aliquibus aliis, nec in Mortis (*a*) articulo conferretur; quod est Christianæ caritati adversum, & Ecclesiæ regulis, quæ tanquam pientissima Mater, omni tempore vere pœnitentes suscipit, nec unquam ostium salutis suis obserat filiis. Quantumcumque igitur gravia, ac enormia sint crimina, Pœnitentes quantum in ipsis est ad reconciliationem cum Deo, & Ecclesia cupide aspirantes, exhibentesque veræ pœnitentiæ signa, & quidquid ipsis impositum fuerit exequentes, benigne semper recipiantur, & in foro saltem interno, & Sacramentali absolvantur: ad terrorem tamen aliorum, qui in hoc Episcopatu, utpote sub Regibus Paganis, alia præter Excommunicationem, & exclusionem ab Ecclesia pœna non suppetat, cum Sacramentaliter, & in foro interno absolutis se gerant alii, tanquam cum segregato à communione fidelium in foro externo; arceantur itaque ab ingressu in Ecclesiam, nec Sacerdotes eorum domos adeant, aut ipsis exhibeatur *Castare*, (*b*) quandiu Præsuli visum fuerit: id que vel ad longius tempus, juxta majorem criminis gravitatem, ut ita caveri

remonies de toutes les Nations tom.I. part.2. Edition. Amstelodam. anni 1722.

(*a*) Pœnitentes non suscipere Catholicorum non est. Innocent.I. *Epist.*3. ait: *Pœnitentiam & communionem, qui in extremo vitæ petunt, post vitam omnem in voluptatibus incontinentiæ transactam, detur ipsis, instar Viatici*: notanda est restrictio: nec enim ideo ad communionem Ecclesiæ admittebantur, si convalescebant, nisi prius pœnitentiam absolverent; nec extrema unctio illis ante Viaticum ministrabatur, ut aliis, sed post: ubi non minus notabilia sunt verba ejusdem Innocentii *Epist.*1. dicentis: *Oleum Sanctum, genus est Sacramenti; idcirco non potest infundi pœnitentibus*: At Ecclesiæ universalis mens ea fuit, ut nulli in eo articulo obsolutio denegaretur. Adeas *Notific.* 22. Sum. P. Bened.XIV.

(*b*) Vide harum vocum explicationem in Indice Voc. Exotic.

Digitized by Google

ri possit, & frænum aliquod injiciatur effrænatæ licentiæ Incolarum hujus Diœceseos in aliquibus perpetrandis facinoribus, maxime homicidiis, ac Ceremoniis *Tuliconù*.

DECRETUM XII.

CXLIX. QUoniam inscitia eorum, qui Confessiones excipiunt in causa est, ut Pœnitentes ad pœnitentiæ Tribunal rariùs accedant, ipsisque in sui muneris administratione errantibus, in Christifidelium cœtu perturbationes non paucas oriri necesse est, Synodus, cui plane constat, plures imperitos, & idiotas, Confessiones audire, præcipit ne in posterùm ullus audeat Sacerdos Confessiones audire, quin priùs à Præsule suo facultatem scriptam obtinuerit; qui eam nullo modo dabit, nisi antea literati viri, qui variis interrogationibus doctrinam ipsius explorent, de illius sufficentia Judicium ferant; & quandiu Præsul huic Ecclesiæ non præficiatur, qui perturbatas illius res apte componat, prout sibi in Domino videbitur, committit Synodus examen, ac approbationem eorum, qui Sacras Confessiones excipere debent, istius Episcopatus, Patribus Societatis Jesu Collegii de Vaipicota hujus Diœcesis; quorum examine, & approbatione, accedente insuper concessione Gubernatoris, per Illustrissimum Metropolitanum instituendi in hoc Episcopatu, confessiones excipere poterunt, cum exceptionibus graviorum Criminum, ipsi facultati scriptæ apponendis; qui verò in præsentiarum munus excipiendi Sacras Confessiones exercent, examen subeant de mandato ipsius Domini Metropolitani, tempore Visitationis instituendæ: Cassanarii etiam, qui in Parochos eligentur, & Vicarios, priùs, servata nuper præscripta forma, prævio examine approbentur; ex quibus siqui insufficientes deprehendantur, in Vicarios institui non valent, cum eorum munus sit, suas Oves erudire; Omnes vero quotquot prædicto modo approbati non fuerint, à munere audiendi Confessiones per Synodum suspenduntur, quousque re ipsa examen subeant, & approbentur; si vero aliqui Sacerdotum (quod Deus avertat) absque hujusmodi facultate confessiones exceperint, præterquam in mortis articulo, ubi Sacerdos approbatus in promptu non sit, ab ordinibus, & emolumentis per annum suspendantur, ac insuper juxta sui delicti contumaciam puniantur; moneanturque Pœnitentes, ut apud Sacerdotem approbatum præteritas iterent Confessiones.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM XIII.

CL. OB penuriam Sacerdotum, scientia, ac sufficientia pollentium in hoc Episcopatu, admittit Synodus, tamquam approbatos in eodem, omnes, qui in aliis Episcopatibus ad Confessiones audiendas approbati fuerint; si tamen linguam Malabaricam regionis (*a*) tenuerint; necnon Præsul tempore Quadragesimali iis in subsidium Parochorum uti poterit, si opus fuerit, & præsertim Sacerdotibus Episcopatus ejusdem, in Cochim residentibus.

DECRETUM XIV.

CLI. VEhementer improbat Synodus sacrilegam Sacerdotum inscitiam, qui dum confessiones excipiebant aliquorum de commissione Præsulis, aut alterius ejus vices gerentis, aut præsente ipso, post audita Pœnitentium peccata, eos ad Præsulem ipsum adducebant (*b*), quo eos in eodem foro Sacramentali absolveret; id quod ipsi Illustrissimo Metropolitano contigit, quodque alicubi fieri ipsemet vidit, itaque docendo, declarat; nullum alium absolvere posse Pœnitentem in Sacramentali foro, præter Sacerdotem ipsum, qui ejus audivit peccata; Cum enim ipse sit Judex, qui in eum sententiam, postquam Reus ipse semet accusavit, ferre debet, ejus est solius, absolutionis sententiam pronuntiare, contrarium vero error est supinus, ac manifestus.

DE-

(*a*) In Concilio Mexicano cautum est: *Confessiones Indorum, defectu peritiæ in lingua Indica ne dimidiatæ audiantur*: sub hac tamen limitatione *Quod si aliquid ad pœnitentiæ substantiam necessarium, a pœnitente intelligere non possit* (Confessarius) *eum ad alium Sacerdotem, in ea lingua peritiorem, remittat*. Concil. Mexic. *an.1585. lib.5. Tit.12. §.5.*

(*b*) Non absimilem rem accidisse ferunt P. Francisco Suarez Doctori eximio, in Hispania: nec aliud exemplum in promptu est, nisi illud forte ab hæreticis Hollandiæ accipiamus, quorum unus in baptismate conferendo aquam infundit, dum alter e suggestu dicit: *Ego te baptiso &c.* quasi ista verba sint tantum concionatoria & ad excitandam fidem instituta. Ita Farvacques In Ecclesia autem Orientali, dum feminis conferebantur Sacramenta Baptismi, & extremæ Unctionis, Sacerdotes proferebant formam, & Diaconissæ peragebant unctiones, & signa; idem inter Græcos, ne accideret in conferenda extrema unctione, ut Presbyteris proferentibus formam, alius ungeret ægros, cautum est nuperrime à Bened. XIV. Constitut. *Etsi pastoralis anno* 1742. at alia & longe dispar ratio adest in Sacramento Pœnitentiæ, prout indicat Synodus, ut unus idemque audiat peccata, & absolvat.

Digitized by Google

DECRETUM XV.

CLII. QUoniam aliqui Confessarii indocti ad legendum Evangelia, ac super ægrotantes Christianos precandum, iisque, dum Animam agunt, benedicendum vocati, stulte prorsus formam absolutionis Sacramentalis proferunt dicentes: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris &c.* Animadvertit ac monet Synodus, ut in posterum ab hac insipienti adeo consuetudine abstineant, quæ plane gravissimo sacrilegio non vacat, cum per illam, Sacramenti forma indebite applicetur. Itaque legat tantum Evangelia, ac orationes approbatas cum benedictione in fine: *in nomine Patris &c.*

DOCTRINA

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CLIII. QUintum Sacramentum est Extrema Unctio, (a) cujus materia oleum est olivarum, ab Episcopo benedictum; quæ ita appellatur, quoniam unctionum omnium sacrarum, à Christo Domino Nostro in Ecclesia sua institutarum, quas recipit Christianus, extrema est. Conferendum est hoc Sacramentum ægro adulto, cui mors imminet, quique in probabili ipsius periculo versatur. Ægrotus inungi debet à Sacerdote, qui solus est hujus Sacramenti Minister. Unctio fieri debet in Organis sensuum præcipuis, quibus Deum offendit; nimirum in oculis ob peccata visus; in utraque aure ob peccata auditus; in manibus propter ea, quæ peccavit per sensum tactus; in ore propter peccaminosas locutiones, & intemperantiam gustus; in utroque pede propter peccaminosum incessum, in lumbis demum, ac renibus, ob sensualis delectationis ibi residentis peccata: singula igitur hæc membra Sacerdos ungere debet, signum Crucis efformando pollice, qui sit oleo sancto delibutus, dicendo simul verba formæ; scilicet. *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indul-*

(a) Nullum movere debet quod superius *in adnot. ad Dec. XI. Ex Epist. 1. Innoc. I.* dixerit Papa: Extremam unctionem *genus esse Sacramenti*; quasi non esset revera Sacramentum, aut quod ita putaretur Illius ævo, nimirum anno 416. quo Epistolam dedit; ipse enim mentem suam aperuit, dicendo post illa verba: *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Unde ut nos genus *Sacramentum* statuimus in septem species distributum, ille genus id fecit universalissimum, divisum in septem genera subalterna.

Digitized by Google

dulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti; & sic deinceps iterando formam, & exprimendo membrum, quod inungitur. Effectus hujus Sacramenti salus est, potissimum animæ, & etiam Corporis, si expediens fuerit. Peccati etiam reliquias, si quæ fuerint, Sacramentum hujusmodi abstergit, infirmi animam alleviat, ipsamque roborat, excitando ingentem de divina misericordia fiduciam, qua recreatus æger, patientius infirmitatis molestias sustinet, ac facilius Diaboli tentationibus, insidiisque resistit, quas tentator in extremo illo vitæ, ac mortis confinio vehementius urget. Hæc omnia insinuantur in epist. Canonica (*a*) Divi Jacobi Apostoli, ubi dicit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & Dominus alleviabit eum; & si in peccatis fuerit remittentur ei*. Per postrema igitur verba: *Remittentur ei*, indicatur virtus hujus Sacramenti ad conferendam gratiam, qua remittuntur peccata. Per ea verba *infirmatur quis in vobis*, designatur tempus, quo tale Sacramentum suscipi debet, nimirum gravis ægritudinis. Per verba sequentia: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, innuitur, solos Sacerdotes ministros esse hujus Sacramenti. Per ea quæ *immediate* subnectuntur: *& orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini*, assignatur oleum benedictum tanquam materia; & forma consistens in verbis deprecatoriis. Demum per hæc verba: *Dominus alleviabit eum*, exprimitur effectum hujus Sacramenti esse etiam salutem corporis, si hæc ad salutem animæ sit profutura. Quamobrem, cum Sacramentum hujusmodi institutum sit pro infirmis, nullus non graviter ægrotans illud suscipere potest, qui vero semel illud suscepit, si deinde saluti restitutus, rursus in gravem morbum incidat, rursus tali Sacramento muniri poterit; eo enim spectat illius institutio à Christo Domino facta, ut per ipsum roboremur, quandocumque nobis instat (*b*) extremum vitæ periculum.

DE-

(*a*) Peropportune institutionem hujus Sacramenti explicavit Concil. Senonen. *anno* 1528. *in Decretis Fidei Num. IX.* inquiens: *Ad unctionis extremæ Sacramentum Christus manuduxisse primum videtur, cum Apostoli oleo ungerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed Præceptoris instituto fecisse, putandi sunt. Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen Sacramentum esse videretur si quis infirmatur* (inquit Jacobus) *in vobis &c.* & ponit laudata a nostra Synodo verba *ex Ep. Canon. Jacobi cap.* 5. Unde ista unctio non fuit a Jacobo instituta sed a Christo, ejusque tantum ritus, & effectus sollertissime a Jacobo explicata.

(*b*) In aliquibus Ecclesiis ministrabatur Unctio extrema ante Eucharistiam; & ita statuitur in Concil. Mogun. *anno* 847. plaudentibus Hincmaro, Riculfo, & novissime Joanne Launoy; & ex nostris Lupo & Farvacquesio qui morti proximi eam ante communionem suscipere voluerunt, ex testimonio Van-Espen ubi agit *de utilit. antiquor. Capitular.* Id etiam hodie in Diœcesi

Digitized by Google

DECRETUM I.

CLIV. CUm hactenus in hoc Episcopatu nullus fuerit usus Sacramenti Extremæ Unctionis, (a) immo ex ignoratione Catholicæ doctrinæ, nulla de eo, ejusque effectu, & efficacia, nec de ipsius institutione notitia habita fuit: plurimum commendat Synodus cunctis fidelibus hujus Sacramenti usum, atque adeo præcipit Vicariis, ut diligenter inquirant in ægrotos suæ Paroeciæ, tam Pagos, quam Silvas incolentes, & opportuno tempore, nimirum in supremo vitæ discrimine deferant ad ipsos Sanctissimum Unctionis Sacramentum, illis conferendum, juxta normam Ceremonialis Romani, cujus translatio Syriaca in omnibus servetur Ecclesiis, & ad manus sit Sacrorum Ministrorum; Ungant itaque ægrotos, describantque oleo sancto signum Crucis super ambos oculos clausos, & primo quidem super palpebram dexteri, deinde sinistri, utramque pariter aurem, & nares, & oris clausi labia inungant, itaut oleum tangat utriusque labii confinium. Quodsi æger tali morbo decumbat, ut os claudere sine periculo nequeat, ungatur, & signetur labium superius; Ungi, & signari pariter debent manuum volæ, & pedum plantæ, postremo lumbi, versent tamen suavi manu ægrotum, nec partes hujusmodi ungant, plusquam opus fuerit, ad signum Crucis in illis sacra unctione describendum; animadvertant etiam Sacerdotes, in isto, sicuti in ceteris Sacramentis, necessarium esse applicare simul materiam, & formam, itaut dum membra inungunt, verba formæ proferant; Quod si contigerit ægrum exspirare dum ungitur, idque constiterit, non ultra Sacerdos progrediatur; Vicarius autem, ex

Z cujus

Parisiensi observatur: verum Augustinenses (forte & alii Ordines) morem servant communem; & quidem ut nobis videtur, conformius id est ejus institutioni, cum docente Tridentino existimetur a Patribus: *Totius Christianæ vitæ consummativum*; de quo alibi, auspice Deo.

(a) Sane hoc Sacramentum antiquiori tempore notum erat illis Christianis, ut *Dissert. de Relig. ipsorum* dicemus: quod etiam Nestoriani habebant sub nomine *Olei Unctionis*. Illius tamen expresse meminit Georg. Arbelen. *in Quæstis de Bapt.42. & alibi*, dicens in Ecclesia asservari pro Infirmis, in vase quod vocant: *Cornu gratiæ Sancti*. Sacramento isto, & Confirmatione carere eos ad præsens asserunt auctores gravissimi. Loco Extremæ Unctionis signum Crucis tamquam Sacramentum obtrudunt; ut apparet ex Ebedjesu Sobensi *Lib. Margaritæ Par.4. cap.1.* Infirmos ungebant Oleo olivarum benedicto, aliquas recitantes Orationes; nunc autem quamdam massam conficiunt ex reliquiis alicujus Sancti, seu pulvere sepulcri ipsius, oleo & aqua subactam, quam vocant *Gratiam Sancti N.* cujus sunt & reliquiæ. Malabarenses pulverem sepulcri Sancti Thomæ asportabant pro aqua lustrali benedicenda; ut ait Gouvea, & nostra Synodus. *Actio 8. Decret.17.* & pro infirmis; ex M. Paulo Veneto *lib.3.c.17.* Quod autem Extremæ Unctionis loco etiam usi fuerint non apparet uspiam.

Digitized by Google

cujus negligentia, aliquis ex Paroecia sine hujus Sacramenti præsidio decesserit, suspendatur per semestre ab Ordinibus, ac emolumentis.

DECRETUM II.

CLV. QUoniam ægroti ob ægritudinis molestias, ac instructionis defectum circa res ad salutem æternam pertinentes, multoties de iis non curant: præcipit Synodus, plurimumque commendat Sacerdotibus, qui ad audiendas eorum confessiones vocantur, ut de dignitate, utilitate, atque efficacia hujus Sacramenti ipsos erudiant, necnon moneant, tum ægrotos, ut hoc Sacramentum (a) petant, cum illius opus fuerit, tum domesticos, aliosve ipsis assistentes ægrotis, ut cum viderint ægrotum maxime laborare, antequam sensuum usu destituatur, vocent, vel vocari jubeant Vicarium, qui sanctum Oleum ad ægrotum deferat. Quodsi hac in re negligentes fuerint, præterquam quod Deum offendunt, & ægroto gravem irrogant injuriam, ad arbitrium sui Præsulis severe plectantur.

DECRETUM III.

CLVI. PRæcipit Synodus Sacerdoti in Pagum eunti ad inungendum ægrotum, ut induat Superpelliceo, ac Stola indutus, & manibus decenter, ac maxima cum reverentia sustineat Olei Sancti Vas, velo serico opertum, ipsumque præcedat Chamazius Ecclesiæ, Crucem brachiis gestans; ipseque, vel alius Vas aquæ benedictæ asportet, ac nostis tempore laternam, aliudve præferat lumen, ut omnibus innotescat, Sacerdotem ad extremam Unctionem ministrandam incedere. Curabit etiam, si æger id possit, ejus domo confessionem audire, & reconciliare, dicet prædie fuerit confessus, ostendens id esse illi necessarium, ut majori cum puritate Sanctum Unctionis Sacramentum recipiat: dum vero longius ad Silvas Sacrum Oleum detulerit, quo decentius potuerit incec-

(a) Recte Synodus exigit ab infirmis, ut hoc Sacramentum petant; etenim ex Eccl. Romanæ statutis in ejus Concilio anno circiter 870. illud conferitur: *laboranti & petenti*. Expressius in Canonibus Aelfrici editis ser. 11. Can. 12. statuitur: *Nemo præsumat suggere, nisi admonitus*. Ceremoniale etiam Augustinianum præscribit admoneri prius ægrotum, ut hoc Sacramentum petat; at non metam petitionem, sed desiderium illud suscipiendi præscripserant Canones editi sub Edgaro Rege anno 967. dum instruendo Presbyterum dicebant, quod: *Ægroti, quum opus fuerit, Eucharistiam poscant, ut si desideretur, Unctionem*.

incedat; secum semper Superpelliceum, ac Stolam gestet, quibus in Sacramento ministrando debita cum decentia uti possit: ad caput etiam infirmi Crucem ex quacumque efformatam materia, si eam ipse non habuerit, relinquat; commendando ipsi, ut oculis ac fiducia in eam defixis, mortem sustineat in suorum peccatorum pœnam; quorum veniam enixe petat à Christo Domino, qui amore illius in ea exspiravit.

ACTIO VII.

De Sanctis Sacramentis Ordinis, & Matrimonii.

Doctrina de Sacramento Ordinis.

CLVII. SExtum Sacramentum Ordo est, quod Christus instituit feria sexta (a) Cœnæ, ac pridie quam pro nobis pateretur; post institutum enim ea nocte Eucharistiæ Sacramentum, ut simul Sacrificium, ac Sacerdotes, qui illud offerrent institueret; tunc itaque ad Sacerdotalem Ordinem promovit Apostolos, conferens ipsis ulterius potestatem consecrandi alios, quo in sua Ecclesia, usque ad Mundi finem Sacrificium continuaretur, ac Sacerdotium. Materia hujus Sacramenti est illud, quod traditur ordinando, ad significandum exercitium Ordinis, quem suscipit. Sic Sacerdoti traditur Calix cum vino, & Patena cum pane: Diacono Evangeliorum liber; Subdiacono Calix, & Patena vacua: Et similiter quo ad alios Ordines Minores, qui conferuntur, cum traditur Ordinando res illa, qua uti debet in exercendo munere sacro, ad quod initiatur. Forma in Sacerdotio, ceterisque Ordinibus sunt verba ab Episcopo prolata, dum tradit illa, quæ ad exercitium, & Ministerium, ad quod accipit potestatem, attinent. Minister hujus Sacramenti solus est Episcopus; illi enim soli concessit Christus Presbyteros consecrandi facultatem. Effectus illius sunt character, augmentum sanctificantis gratiæ, & superna auxilia, quibus suscipiens ordinem, Minister fiat idoneus. Constat itaque Sacramentum hoc, tanquam maxime necessarium Ecclesiæ, institutum fuisse à Christo; Cum enim Sacrificium, ac Sacerdotium, ita inter se cohæreant,

(a) Hic Synodi locus subobscurus est: ast cum nulla adsit ratio, quæ suadeat Synodum in hac re, non tritam tenuisse sententiam; explicandum est ly *Feria sexta*, per to *Pridie*, id est feria quinta ad Vesperam, inchoata jam sexta, prout mos erat Judæis, quorum *Pesach* vel Pascha non incipiebat die prima è septenario azymorum, sed sub Vesperam præcedentis. Vide Maurocenum *in Via Fidei pag.* 541.

Digitized by Google

hæreant, ut unum absque alio inveniri non possit, dum in novo fœdere Sacrificium Eucharistiæ à Christo instituebatur, opus etiam erat in Ecclesia novo, (a) visibili, ac æterno Sacerdotio (qua in re antiquo veteris legis novum hoc præcellit) simul Sacerdotes instituerentur, qui per Episcopos consecrati, divinum hoc offerrent Sacrificium. Sacerdotibus rite initiatis duplicem contulit Jesus Christus Dominus noster potestatem, alteram nimirum, quæ versatur erga suum verum, ac reale Corpus, quæ est potestas illud consecrandi, offerendi, atque administrandi; alteram vero erga mysticum Christi Corpus, nempe Ecclesiam, & hæc est potestas solvendi, ac retinendi peccata: ad hanc potestatem, tanquam aliquid consectarium pertinet etiam Populum Christianum regere, ac gubernare, atque ad vitam dirigere æternam.

CLVIII. Verum cum Sacerdotium res sit adeo sublimis, quo majori cum veneratione, ac honestate exerceretur, oportuit sane plures, ac diversos haberi Ministrorum Ordines, qui remotius, vel propinquius Sacerdoti inservirent, eosque ita distributos, ut qui Clericali tonsura initiati jam essent, per Minores Ordines ad Majores gradum facerent; sunt igitur Ordines Minores Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, & Acolyti; Majores vero, quique Sacri vocantur, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, quibus Sacris Ordinibus adjungitur (b) Episcopatus; quippe Episcopi in Apostolorum locum successerunt, *quos Spiritus Sanctus posuit*, ut ait Apostolus, *regere Ecclesiam Dei*. Unde altiori præ Sacerdotibus gradu provehuntur, quibus solis munus competit conferendi Sacramentum Confir-

(a) In editione Lusitana habetur opus fuisse: *Novo invisibel & eterno Sacerdotio*. Porro quod ait *invisibile* Sacerdotium, typorum errorem putamus, Sacerdotium enim visibile esse debet, ut respondeat Sacrificio *visibili* novi testamenti, quod Synodus intendit adstruere.

Quatenus vero illud vocat *æternum*; non alia ratione id intelligere possumus (cum fides & velamina in Patria reducenda sint, clara succedente visione) nisi eo quod Christus dicatur *Sacerdos in æternum*; aut quia terminus durationis ipsius indefinitus est, & hac parte perpetuus: certum enim nobis est Christum nobiscum ita permansurum *usque ad consummationem seculi*.

Rursus, de visibilitate Sacrificii nostri omnino videndus August. *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 19. & notas Luidov. Vives super illum locum: cum enim homo constet, non tantum anima invisibili, sed etiam visibili corpore, æquum erat, ut in lege gratiæ, illum ad perfectiora ducente, non solum mente & spiritu, verum & visibili corpore supremam adoraret excellentiam.

(b) Octavum ordinem Episcopatum dicere, nihil est quod impediat: etenim quamvis in ordine ad consecrandam Eucharistiam, pares illis Presbyteri habeantur, verum charactere, spirituali auctoritate, & muniis, superiores esse Episcopos Presbyteris definitum est ab Ecclesia seculo IV. damnando Aerium, qui Episcopis æquabat Presbyteros: vide S. Epiphan. *Hæresi* 35. *aut* 75. *Aerii*, & August. *lib. de Hæres. ad Quod vult d. Hæresi* 53. Igitur Auctor lib. *de* 7. *Ordin.* Hieronymo forsan coævus, in sexto ordine Presbyteros, in septimo Episcopos recenset: de quo vide recens editas Instit. Cathol. Pougeti *Par.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 7. §. 1. *litera G.* Hieronymum autem quodammodo cum Aerianis opinasse, plures Critici censent.

Digitized by Google

Confirmationis, Sanctum Chrismatis Oleum, Aras insuper, & Ecclesias consecrandi, demum Presbyteros, aliosque Episcopos cooptandi, & ad suum respective gradum promovendi. Præcipitur etiam in Ecclesia continentia, & castitas perpetuo servanda; iis qui Sacris Ordinibus addicuntur, quo soluti, ac expediti ab alienis officiis, Altaris tantum ministerio vacent; rebusque solum ad Deum, divinumque Cultum pertinentibus, impensius devoveantur. Nec promoveri sinit Ecclesia ad Sacerdotium Servos: Divinus etenim Cultus exigit liberos, (a) nec aliis subjectos; nec homicidas, qui humanum sanguinem effuderunt, nec ex legitimo thoro non procreatos: neque mancos, membrisque non integros; nec bigamos, qui nempe fuerunt bis Conjugati, aut eos, qui cum Vidua alteri prius nupta contraxere: nec minores natu, nimirum, qui ad congruam ætatem nondum pervenerunt. Quæ omnia sancita sunt ob honestissimas, sanctissimasque causas, præsertim ob reverentiam divino, excelsissimoque Altaris ministerio debitam.

DECRETUM I.

CLIX. QUoniam ad hanc usque diem plures adhuc adolescentes, immo etiam impuberes, non solum ad Minores Ordines in hac Diœcesi, verum etiam ad Majores, & Sacros, & ad Sacerdotium ipsum promoti fuerunt; quin in ipsorum vitam, & mores inquisitum fuerit, nec de ipsorum ad Ecclesiastica ministeria sufficientia experimentum ullum captum, quodque pejus est, pacto pretio, & non sine labe Simoniaca. Et quoniam sæpissime etiam una eademque die adversus Sacra Concilia, ac leges Ecclesiasticas, Minores, Majoresque Ordines fuerunt collati: prohibet Synodus, ne ullus in posterum ad Ordines promoveatur, nisi prius à Præsule, vel ab aliis probis Viris, Sacrorumque Canonum peritis, quibus id commissum fuerit, & ad præscriptum Conc. Trident. prævio examine de illius honestate, ac doctrina judicium feratur. Prohibet insuper ne ullus inter Subdiaconos cooptetur, nisi viginti duos suæ (b) ætatis annos numeret; inter Diaconos nisi viginti tres; inter

(a) Quamquam Synodus videatur tantum de mancipiis loqui; conforme tamen est Ecclesiæ disciplinæ, quod subnectit: *Nec aliis subjectos*: etenim Alexand. III. confirmavit Capitula Anglicana, quorum 16. statuit quod: *Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu Domini, de cuius terra nati dignoscuntur*. Ejusmodi autem Capitula Anglicana, è potestate violenta Regis profecta, libertatem Ecclesiæ vulnerasse, pro comperto habendum est.

(b) Abusus id omnino erat Malabarensium; Nestoriani enim ex Sobensi *Part. 6. cap. 4. in Epitome Canon.* annum 25. aut ultra assignant Presbytero; *At vero* (ait) *juxta antiquum mandatum ante annum 30. Presbyter non ordinetur*. Quæ Orientalium disciplina maxime cum nostra conso-

ter Sacerdotes nisi quinque supra viginti, juxta ea, quæ ipsa Sacrosancta Tridentina Synodus præscripsit; quæ integrè, ac inviolabiliter servari Synodus jubet, nec non declarat, Præsulem nullos posse à prædictis legibus solvere, nec quidquam ab iis constitutum rehabere, nisi auctoritate Apostolica sibi specialiter commissa polleat. Quia verò in hac Diœcesi plures sunt jamdiu ad Ordines promoti præscriptam ætatem nondum attingentes, eos omnes, sive Presbyteros, sive Diaconos, sive Subdiaconos, Synodus à suorum Ordinum exercitio suspensos, atque impeditos esse vult, quousque ad præscriptam ætatem pervenerint; perinde tamen locum suum ab ipsis servari, & Ecclesiasticos proventus percipi, ac si re vera suos ordines, & munia ipsis annexa exercerent. Quod attinet ad scientiam, ac doctrinam, tantam Syriacæ linguæ peritiam in iis, qui latine nesciunt, Synodus exigit, quantam latinæ linguæ exigit Tridentinum, itaut Syrorum nemo, saltem Sacris Ordinibus initietur, nisi sciat Syriace legere, (a) & cantare, atque ea, quæ Syriacis characteribus scripta sunt, intelligere; cum valde consentaneum sit, quemlibet mente percipere ea, quæ ore profert in Ministerio Altaris.

DECRE-

nat: etenim 30. annum præscripsit etiam Presbytero Concil. Agath. *an.*506. Aurelian. 3. *an.*538. Toletan. 4. *an.*633., & Concil. Trullan. At vero Concilium Ravenn. *an.*1314. permisit ordinari Presbyterum anno ætatis 25., & Diaconum an. 16. Narbonense autem *an.*1551. exigit in Subdiacono 18., in Diacono 20., & in Presbytero 25. Tandem Tridentina Synodus, ætatis annos præscripsit ordinandis, prout nostra Synodus exigit; attamen paulo ante ipsum, idest *anno* 1545. *&* 7. *Nov.* facultatem fecit Provinciali Hispaniæ Hieronymus Seripandus, Tridenti existens, *Promovendi ad Sacerdotium eos, qui annum vigesimum tertium attigerint*. Erat tunc Seripandus Generalis nostri Ordinis; subinde Cardinalis, & ejusdem Concilii Tridentini Præsidens. Quare autem hic mos apud illos Christianos vigeret, facile deducitur ex M. Paulo Venet. ap. le Quien *tom.* 2. *col.* 1089. nempe in causa erat Episcoporum raritas: unde ne carerent Ministris, puellos ordinabant, qui tamen non nisi in 25. ætatis anno constituti Sacrum peragebant; inde (ait iste) factum est, ut in illis Regionibus ipsi Reges aliquando Presbyteri essent, ut de Presbytero Joanne testabatur Guilelmus de Rubraquis Ord. Min., qui à S. Ludovico Franciæ Rege missus fuit in Tartariam.

(a) Jure merito peritiam linguæ Syriacæ exigit Synodus ob eamdem rationem, ob quam Tridentina præscripserat ordinandis latinam; quandoquidem Ecclesia justissimis de causis Sac. Scripturam, & Liturgiam sermone tantum latino legenda proponit; de quo videndi Emmanuel Navarro, Viva, & omnium uberrime P. Fontana *sup. Prop.* 82. *Quesnelii*. Ex quo etiam novam deducimus rationem, quam Heterodoxis opponamus, pro vernacula lingua pugnantibus; cum Ecclesia Augamalensis, non Malabarico, sed Syriaco sermone res sacras peragerent. Quod autem in Capitular. Caroli Magni exigatur à Parochis peritia linguæ vernaculæ, id, inquam, ut Conciones, Catecheses & Confessiones fieri haberique possent, sancitum fuit; non vero pro Scripturis, aliisque Ecclesiasticis libris legendis.

Digitized by Google

DECRETUM II.

CLV. QUotquot hactenus Ordines suscepere in hac Diœcesi, omnes simoniace sunt promoti pacto pretio, eoque majori, vel minori, juxta qualitatem Ordinis, ad quem promovendi erant, quapropter in gravissimas à Jure statutas pœnas cuncti incurrerunt: Quia tamen eorum inscitia, cui causam dedere Præsules ipsi, hujuscemodi turpissimorum errorum Magistri, aliquam excusationem habet, ut nobis compertum est, Reverendissimus Metropolita promotos hujusmodi ab omnibus pœnis, & censuris, in quas à Jure latas inciderunt, ob simoniacas Ordinum susceptiones absolvit, præcipiendo ulterius, ne quis adversus illos ob eam culpam quidquam attentet; insuper omnes eximit à vinculo, & impedimento potestatis acceptæ, itaut quilibet libere, ac licite, nisi aliam ob causam ab ipso Jure impediantur, possint Ordinem suum; & potestatem acceptam exercere.

DECRETUM III.

CLXI. QUoniam constat Synodo nonnullos Sacerdotes, (a) lepra fœdatos, ac notabiliter deformes, sacrum facere, non sine nausea Populi, ac periculo salutis aliorum, cum iisdem vasis, & vestibus sacris utantur, jubet hujusmodi indubitanter leprosos sacrum non celebrare, eo quod sint ipso Jure irregulares ob corporis defectum, & nauseam, quam sacro astantibus afferunt, tunc præsertim cum ex eorum manibus Eucharisticum panem accipiunt.

DE-

(a) Hoc in loco Crozæus Theologia posita, Medicum agit; afferitque non fuisse lepram, quem hic memorat Synodus morbum, sed tubera quædam in cruribus illi genti endemia; præstat autem credere tot centenis hominum ibi considentibus, quam novo Medicastro Crozæo. Igitur provide fecit Synodus Presbyterorum leprosum separari vitarique; conformiter etiam ad antiquos Canones; Gregorius enim II. an. 726. leprosis communionem permisit, at a convivii arcet: in Capitular. Aquisgran. anno 818. statutum est, ne leprosi se intermisceant alii populo, quod omnium primum jusserat Concil. Ancyran. an. 314. præscribens; quod leprosi cum Energumenis orarent. Accusatus etiam de lepra, debebat canonicam purgationem facere, atque subire, ex Synodo Pictav. an. 1280. mirum autem non est, cum qui a conviviis arcentur profanis, a divini propelli ministratione convivii.

DECRETUM IV.

CLXII. RECEPTISSIMO in hac Diœcesi more inductum est, ut horariis precibus absolutis, antiquior ex Cassanariis in ipso Presbyterio, aliis omnibus, qui alternis cecinerunt manum porrigat, & hi vicissim manum ipsius apprehendant, quæ consuetudo, vocabulo illarum Regionum proprio (a) *Castare* appellatur. Cum itaque vetustissima hæc ceremonia, sit mutuæ benevolentiæ, fraternique amoris usitatissimum signum, ægre fert Synodus, aliquos ab hac benevolentiæ significatione, non sine aliorum offensione abstinere propter privatas simultates, rursus nec cum aliis colloqui, nec iis bene precari Ecclesiastica salutatione, quam communiter hæc Ecclesia usurpat; Ut ergo huic malo occurrat, præcipit, ut tam dexteram non porrigentes, quam non complectentes oblatam, Præsul graviter puniat, tanquam læsæ charitatis, & pertinacis in suum Proximum odii reos; præterea, ut delinquentes, juxta salutare Christi monitum, accedere ad Altare, aut ministrare in Ecclesia, suorumque Ordinum propria munera exercere non audeant, nec ii ad quos pertinet, sacras vestes illis præbeant, nec eos celebrare sinant, quousque Fratribus suis reconcilientur, iisque consuetum benevolentiæ signum exhibeant.

DECRETUM V.

CLXIII. CUM Clerici ad Majores Ordines promoti, debeant ex præscripto Ecclesiæ quotidie horarias preces, *sive*, ut vulgo dicitur, Divinum Officium integre recitare, in *hac autem* Diœcesi paucissimi domi suæ privatim recitent, per errorem putantibus aliis, iisque plurimis, privatam hanc recitationem non esse præceptam, iis vero, qui in Presbyterio publice canunt, sibi falso suadentibus, ad adimplendum præceptum satis esse, quod ad breve tempus ibi morentur, etiam prope finem, & etiam si vix ingressi

(a) Ita vocatur à Malabarensibus genus quoddam pacificæ salutationis, & auspicii liberalis, cum aliquem conveniunt, Cassanarii chorum ingredientes, ritus autem *Castare* hujusmodi est, ut sibi invicem pacem apprecentur, apprehendentes manus, & indicem digitum osculantes, teste Vinc. Mar. *lib.2. cap.6.* Crozæus vero *Hist.Christ. Ind. pag.249.* ait, ritum *Castare* importare, quod manus antiquioris Cassanarii comprehendant alii, atque subinde ejus benedictionem accipiant; revera hæc ceremonia signum est fraternæ caritatis & communionis; subjectionem etiam atque fidem fortasse indicat: prisci enim vocabant *mancipationem* similem ritum, quo clientes manus suas, inter manus ponebant Dominorum, in signum fidelitatis & submissionis: Vico *Scient. nova lib.5. pag.441.*

Digitized by Google

gressi post paucos versiculos statim egrediantur, quin soliciti sint de supplendo privatim domi, quod ibi omiserunt; cumque omnes in excusationem adducant ultra falsam opinionem supradictam, qua laborant, raritatem Sacrorum Codicum, qui perpauci sunt in hac Ecclesia, iique calamo exarati, declarat Synodus, omnes, qui in sacris Ordinibus initiati sunt, præcepto integræ recitationis Divini Officii obstringi, nec posse illam citra lethalem culpam omittere, atque adeo, qui publice in Ecclesia non canunt, debere ipsum privatim domi (a) integre recitare, qui vero publice canunt, siquam partem omittunt, eam privatim supplere debere, si sacris Libris non careant, quodsi careant, ut certe plurimi carent, psalterium (b) laicum recitent, sive seriem ex Orationibus Dominicis, & Angelicis Salutationibus, piacularibus globulis percurrant, ea lege, ut cum in hac Ecclesia non alia sit partitio publicæ recitationis Divini Officii, sive sacræ psalmodiæ, quam in Matutinam, & Vespertinam, etiam ipsi pro recitatione Matutina, exordium ducendo ab invocatione Divini auxilii, ut habetur in Breviario, tricenas tres Orationes Dominicas, totidemque recitent Salutationes Angelicas, ac singulis addant clausulam illam addi solitam singulis psalmis, nimirum: *Gloria Patri &c.* qua pr[illegible] cum serie absoluta, novem recitent Orationes Dominicas, & Angelicas Salutationes pro Animabus Fidelium Defunctorum, deinde unam pro Papa, & unam pro Episcopo, quas substituere debent, publicis illis precibus, quibus oratur Deus pro illis in Ecclesia. Eamdem invariatam, & integram precum seriem repetent Vespere, pro Divini Officii recitatione vespertina, addent tamen novem salutationes Angelicas in honorem Deiparæ. Hoc supplemento uti

(a) Privatam etiam officii recitationem ex obligatione ad primeva Ecclesiæ tempora referendam esse, videtur; ut ut Rutheni aliique non bene morati contrariam corruptelam induxerint; namque non tantum Clericos, verum etiam laicos ad id teneri ex Decretis Arab. Nicænis apparet, cum jubeant ista Decret. 17. *orare septies in die debent omnes Christifideles*. Nestoriani etiam teste Sobense, tenentur tam Presbyteri, quam laici aut seculares ad quatuor horas Canonicas, *Matutinas* nempe, *Nocturnas*, *Vespertinas* & *Apodipnon*, ante somnum, quod significat idem ac *Post cœnam*. De quo vide Sanctiones Arabicas Nicænas *Dec.* 17. & 18. & Asseman *Differt. de Syris Nestor. pag.* 338. Cardinalis Thomasius egregiam Dissertationem concinnavit *De privato Ecclesiasticorum officiorum Breviario extra chorum*, omnino legendam, apud Josephum Blanchinium Congreg. Sancti Filippi Nerii alumnum *Par.* 2. *tom.* 1. Operum laudati Card. *edit. Romæ* 1741. *pag.* 460. & *seqq.*

(b) Constitut. Conventrenses anno 1237. pro laicis hæc habent: *Præcipimus quod quilibet Christianus & qualibet Christiana omni die dicat septies, Pater noster, Ave Maria, & bis Credo*: & anno 1514. editus fuit Fani liber hoc titulo: *Septem horæ canonicæ a laicis hominibus recitandæ*, juxta *ritum Alexandrinorum*: editus Arabice, cujus meminit Evod. Assem. *Biblio. Laur. pag.* 83.

Digitized by Google

non possunt, qui sacros Libros habent, sed ut iterum inculcat Synodus, Divinum Officium vel publice, vel privatim recitare debent, si vero publice recitent partem, vel matutinam, vel vespertinam, & sacris Libris careant, eam tantum partem, quam omisserunt, debent per piaculares globulos supplere, juxta methodum nuper præscriptam.

DECRETUM VI.

CLXIV. JUbet Synodus in Sacrarum precum Breviariis adjungi Symbolum S. Athanasii (a): *Quicumque vult &c.* quamobrem ejusdem Symboli fieri versionem Syriacam, qua peracta, singulis diebus Dominicis post matutinam Divini Officii recitationem, publice in Ecclesia recitari vult. Illius Syriacam versionem P. Francisco Roz committit. Illud etiam inculcat, ut singuli Cassanarii, & Chamazes, illud memoriter addiscant, & præ oculis habeant; tum quia id per sacros Canones commendatum legitur, quia in illo præcipuorum nostræ Fidei Mysteriorum summa continetur, tum demum quia eo utitur Universalis Ecclesia, & diebus Dominicis publice canit.

DECRETUM VII.

CLXV. CAssanarios, & Chamazes omnes summopere hortatur Synodus, ut in Ecclesia tam Matutino, quam vespertino tempore Divino Officio intersint, nec ibi colloquia inter se misceant, vel à rebus cœlestibus ad res terrenas, & nugatorias mentem distrahant. Illud etiam caveant, ne dum alternis canunt, in Ecclesia, aliqui versiculum sequentem præpropere incipiant, nondum absoluto ab aliis versiculo præcedente, ex qua festina temporis præoccupatione sacrorum verborum confusio, ac perturbatio oritur, quod plane ipsis injicere scrupulum debet; in quo frequenter offendunt Cassanarii, & Chamazes dum simul recitant. Postremo hoc etiam admonet, ut quamvis hactenus in more fuerit, à seniore inter Cassanarios præsentes Divino Officio exhiberi aliis *Castare*; nihilominus in posterum, si proprius Ecclesiæ Vicarius adsit, ipse hac in re aliis omnibus præcedat, quippe qui peculiaris est illius Ecclesiæ Pastor. DE-

(a) Memoriter recitari *Die Dominico ad horam primam* jubetur in Capitulari Hattonis Episc. Basilens. *anno circiter* 821. Et hoc quidem seculo 9. qui ordinabatur Episcopus profiteri tenebatur, se suscipere Athanasii sermonem, qui incipit: *Quicumque vult salvus esse*. Vide Collect. Concil. Harduin. *tom.* 5. *col.* 1445.

Digitized by Google

DECRETUM VIII.

CLXVI. QUia æquum non est, quantum ad laborum remunerationem, eodem in numero haberi laborantes, & non laborantes; visum fuit Synodo, Cassanarios, & Chamazes, qui diebus Dominicis, vel aliis diebus Festis divinis Officiis non interfuerint, à Vicario, vel eo absente, à Seniore inter Cassanarios, adnotandos esse, & in distributione fructuum, habita ratione quantitatis distribuendæ, aliquid ipsis detrahendum, plus minusve, prout pluribus, vel paucioribus vicibus abfuerint; quod ita fiet, dum legitime non fuerint impediti, aut ægroti, vel in rebus Ecclesiæ, aut à suo Præsule aliter utilius occupati; ii enim, qui hac de causa absunt, æqualem cùm aliis portionem accipient; quod vero ex absentia aliorum collectum fuerit, æquis portionibus inter alios distribuatur.

DECRETUM IX.

CLXVII. NOn ignorat Synodus, quamplures è Cassanariis formulis exorcizandi (a) uti superstitiosis, immo etiam ethnicis, verbisque desumptis ex impio, prohibitoque libro: *Parisman*, ad ejiciendos Dœmones: quapropter in virtute Sanctæ obedientiæ præcipit, ut nullus audeat aliis uti Exorcismis ad hunc finem, nisi iis, quibus utitur Ecclesia Romana, approbatis à Sanctis Patribus, contentisque in libello *De administratione Sacramentorum*; Siquis vero Clericorum aliis utatur, & multo magis, si superstitiosas ceremonias usurpet, & ignotæ significationis verba super Energumenos proferat, ab Ordinibus suis exercendis, & proventibus per annum suspendatur; cui censuræ poterit Præsul, juxta majorem, vel minorem criminis gravitatem, pro arbitrio suo pœnas alias adjungere; si vero post admonitionem, & punitionem contumax adhuc persistat, à Communione Fidelium separetur, & anathemate feriatur. Quod si de aliquo constiterit, prædictis ceremoniis, vel verbis uti (quod Deus avertat) ex pacto aliquo inito cum Dœmone, id quod de nonnullis circumfertur, de-

(a) In aliquibus Orientis Ecclesiis, non fit Exorcista ordinatione, sed designatione Antistitis; in aliis est Exorcista ipse qui Ostiarius; Quomodo ordinetur Exorcista habetur in Concil. Carthag. 4. *anno* 398. quod vero exorcismi *nulli fiant pretexta pietatis, nisi ab Ecclesia probati*, præscribit Concil. Bituricen. *anno* 1584. *titul.* 40. *can.* 3.

Digitized by Google

declararetur ab Ecclesiæ communicatione segregatus, quousque condignas, à suo Præsule statuendas pœnas persolverit, necnon ab Exercitio Ordinum, & Ecclesiasticis emolumentis sine relaxationis spe per totum vitæ spatium suspendatur; insuper sit obnoxius pœnis aliis à Jure statutis contra eos, qui pactiones hujusmodi cum Dœmone faciunt.

DECRETUM X.

CLXVIII. QUoniam nonnulli è Cassanariis, juxtà superstitiosum Ethnicorum morem, ubi agitur de Matrimoniis contrahendis, aliisque rebus gerendis, faustos auspicantur (a) dies, & multa ominantur ad petitionem Christianorum, ethnicam superstitionem impie imitantium, superstitiosas etiam supputationes faciunt, fastos, & nefastos dies ex Ethnicorum libris in suis commentariis transcribunt, quæ præ manibus à Christianis habentur, immo etiam in libris precum Tabulas conficiunt, calculosque instar algorismi, ut videre est pluribus in libris, etiam iis, quibus in Ecclesiasticis functionibus utuntur; præcipit Synodus in virtute Spiritus Sancti, ac sub pœna excommunicationis majoris, ut nullus Ecclesiasticus, aut Secularis, vel Cassanarius in posterum audeat hujusmodi fastos, nefastosve dies prænuntiare, occasione Matrimoniorum, aliarumve rerum agendarum, neque ad hunc finem sortes jacere, calculos ducere, aut quid eligendum sit, quidve repudiandum ex libris sortium conjectare, potissimum ex libello adjuncto alteri, qui appellatur *Parismaa*, aut ex alio quocumque, nec alias quascumque superstitiones à quovis alio inventas sectari, qui vero contra fecerit, anathemati subjectus denuntietur, necnon per annum ab exercitio Ordinum, & per semestre à percipiendis Ecclesiæ proventibus suspensus. Commoneant etiam Sacerdotes Populum fidelem, ut hos fugiant Ethnicorum ritus, ac superstitiones, utque eligant ad contrahendas nuptias (modo velint) dies in Ecclesia solennes, festaque Sanctorum, quorum precibus omnia

(a) Statutum est in Concil. Ancyran. *anno* 314. quod Auguria vel auspicia qui sectantur, agant pœnitentiam annis quinque: Synodus vero Bituricen. *an.* 1584. omnes arioli, incantatores &c. qui *si fuerint Clerici ordine* (ait) *priuentur & brachio seculari tradantur* Vide *Action.* 9. Synodi Diamp. *in Dec.* 6. 7. & 8. superstitiosi autem Malabarenses id observant, ut si quod primo occurrit est Bos, faustum habetur; si vero Christianus aliquis, Cornix aut Canis, infaustum. Diebus autem Martis aut Veneris nec amicos invisunt, nec eorum officia admittunt. Vide Vinc. Mar. *lib.* 2. *cap.* 6. Est etiam apud eos libellus, in quo Bracmanes totius anni dies faustos nefastosque designant, quem vocant: *Panjangam. Almanache* vulgo. Pulchra de Auguriis habet Marchio S. Albini *Trait. dell' Opin. Tom.* 2. *pag.* 485. & *seqq.*

Digitized by Google

omnia prospere, feliciterque conjugibus eveniant, vel aliorum quorumcumque dierum electionem faciant : omnes enim fausti sunt colentibus Deum, ac bene agentibus, omnesque sunt opera manuum Dei ; eoque feliciores, quo in majorem divinorum mysteriorum cultum, majusque Dei obsequium impenduntur.

DECRETUM XI.

CLXIX. CUm plurimum deceat, Sacerdotes bonum exemplum aliis exhibere, quippe Magistri sunt Populi, à quibus bonos mores ediscere debet : dolet vehementer Synodus de intemperantia, qua Sacerdotes aliqui cibi, potusque appetitioni plus æquo indulgent, cum offensione Christianorum, immo non sine infamia, & dedecore gradus Sacerdotalis apud Ethnicos. Quamobrem ut huic malo prospiciat, iis summopere commendat in cibo, potuque temperantiam, Præsuli vero vigilantiam in acriter corripiendis bibacibus, qui quidem si fuerint sæpe (a) inebriati eo usque, ut mentis usu non pollerent, [quod Deus avertat] ab Ordinis exercitio sint suspensi, non autem à recitandis in Ecclesia horis Canonicis, & quotidianis distributionibus. Præcipit insuper, ut nullus audeat ad edendum, vel bibendum adire Cauponas, vel tabernas, cum id gravitatem Sacerdotalem graviter dedeceat, quam ob causam id ipsis etiam à Jure prohibetur. Demum prohibet, ne ullus apud Infidelem, Ethnicum, Turcam, aut Judæum (b) convivetur, sub pœna suspensionis per quadrimestre ab Ordinibus, & emolumentis.

DECRETUM XII.

CLXX. CUm æquum, & eorum dignitati valde consonum sit, Clericos non solum moribus, sed etiam habitu, & ex-

(a) Seculo 8. ex antiquiori Ecclesiæ disciplina statutum fuit a Gregor. III. In Judic. Congr. Pœnitent. *Judicio* 8. quod ebriosi quadraginta dies agerent pœnitentiam : nota autem ibi ex antiqua deffinitione haberi, quod *qui in consuetudinem habuerit vitium ebrietatis* (Episcopus, Presbyter, aut Diaconus) *aut desinat, aut deponatur*. Id etiam notabile ibidem : *Qui cogit aliquem humanitatis gratia, ut inebrietur, ut ebrius pœniteat*.

(b) In Concil. Matiscon. *anno* 581. ab omnium Christianorum consortio compescitur, *Qui Judæorum conviviis participare præsumat*. Ita *Can.* 15. Et Soben. Epit. Can. Par. 5. cap. 17. statutum ab Ecclesia Nestorianorum esse ait : *Quod non liceat Fidelibus comedere cum Judæis*.

Digitized by Google

& (a) externo vestium cultu à Populo discriminari, idque postulent Sacra Ministeria, quibus addicti sunt; Præcipit Synodus, ut eorum nemo domo exeat braccatus, sive breviori veste indutus, cujus partes non sint quaquaversus consutæ, atque adeo interula foras promineat juxta morem Regionis, neque tunica ita indutus, ut hæc sit diloricata. Ubi ergo iter faciunt, aut oppida, vel Ecclesiam adeunt, tunicati incedant, & vestis color sit albus, niger, aut cæruleus, ut moris est, & pileo caput tegant. Multominus noctu inter venandum, vel piscandum tantummodo campestri (b) verenda tegentes, cetera nudi incedant, quod quam indecorum sit eorum statuti, nemo non videt: qui vero contra fecerint, graviter puniantur: præterea coram Feminis, (c) aut simul cum illis non laventur, ut ceteri facere hac in Regione solent, cum plurimum hoc adversetur modestiæ, & morum honestati, quam Ecclesiæ Ministri maxima cura, diligentiaque servare debent: quod vero ad barbæ culturam attinet, ut libuerit faciant, dum Juniores intonso crine non incedant, sed barbam sibi radant: ii autem, qui prolixam barbam nutriunt, eam saltem circa labia radant, ne inter celebrandum, sumptioni calicis impedimento sit, & Christi Sanguine imbuatur.

DECRETUM XIII.

CLXXI. QUia, ut ait Apostolus Paulus, qui potissimum Dei obsequio ejusque cultui dicantur, æquum non est negotiis Secularium implicari; quam ob rem vetant Sacri Canones, ne Clerici publice negotientur, in quo maxime peccatur in hac Diœcesi: præcipit Synodus, ne ullus Clericorum Nundinas (d) adeat publicas, nec locatores sint rei alienæ, aut facultatum se exhibeant aliorum (e) fidejussores, aut proxenetas; nec contractus

(a) Inter antiquos Nestorianos habitu non distinguebantur a Laicis Ecclesiastici, etiam Episcopi & Patriarchæ; hodie etiam vestibus utuntur cujuscumque indiscriminatim coloris. Adeas Navigat. Novi Orbis *Cap.*134. & *Disser.* Assemani *De Syr. Nestorian. pag.*337. Ex testimonio Timothei I. Patriarchæ Nestorianorum videtur, Clericos seculares apud eos vestibus albis usos esse, Monachos, & Episcopos nigris. Niger color atque cæruleus in Occidente, Clericis fuit usitatus, præsertim in Hispania, usque ad Sec.15. etenim S. Joannes a S. Facundo, antequam nostrum Eremitarum ordinem illustraret, e duabus meliorem, quam habebat, cæruleam vestem pauperi dedit. *In ejus Vita*.

(b) *Campestria* dicuntur succinctoria partium inhonestarum: Vide P. Aug. *lib.*14. *de Civit. Dei cap.*17. cui perizomata primorum parentum, *campestria* sunt.

(c) Cavent Laodiceni Canones quod *Balnea cum mulieribus communia nemo Christianus habeat*.

(d) In originali habetur *Chatinarias*.

(e) In originali legitur *Taregas*.

Digitized by Google

ctus etiam societatis celebrent, neque in eorum domibus merces, aut comestibilia palam vendantur, nec munera obeant Secularium; qui vero contra fecerint severe à Præsule puniantur, quod si non emendentur ab Ordinum exercitio, & Ecclesiasticorum proventuum perceptione suspendantur: qui vero fuerint aliorum fidejussores, si intra mensem officio illi non renunciaverint, ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & quousque id non præstiterint ab ordinibus & provent ibus suspendantur.

DECRETUM XIV.

CLXXII. CUM hujus Diœceseos Sacerdotes nonnulli, posthabito Dei, suorumque Præsulum timore, necnon sublimis status, ac dignitatis Sacerdotalis, qua insigniuntur obliti, palam negotiis Secularibus, & mercimoniis operam dent, & ea quidem impudentia & audacia, ut ad ea tutius exequenda, absque habitu sacerdotali, tonsura, capitisque corona, immo intonso capite, capillisque juxta profanorum hominum, ac popularium morem, eleganter compositis: Præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub anathematis pœna Clericis omnibus, qui fuerint sacris initiati, ut cum habitu, tonsura, ac patente capitis corona incedant, nec cæsarie promissa, capillisque ita comptis in publicum prodeant, qui vero contraierit, anathemati subjectus declaretur, quousque resipuerit, externumque corporis cultum, qui suum deceat statum, sibi comparaverit.

DECRETUM XV.

CLXXIII. QUia aliqui ex Ecclesiasticis, tum Cassanarii, tum & Chamazii, sui muneris, ac propriæ dignitatis obliti, ut minus à Regibus Ethnicis vexentur, quodque deterius est, ut eorum patrocinium sibi concilient, eorumque clientela freti impune delinquant, nec possint à suis Præsulibus, juxta meritum puniri; stipendia à Regibus accipiunt, & instar Navrum nomen dant, atque adeo inter milites conscripti, debent ad bella procedere, manus conserere, & omnia munia militaria, (a) prout se præbuerit occasio, exercere, id quod expresse

(a) In Concilio Meldensi statutum est quod: *Clerici arma militaria non contingant*: celebratum fuit anno 845. nec aliter quam ex contemptu Ecclesiasticæ immunitatis jussi sunt & coacti aliquando Clerici, per Principes, arma capessere. Proinde Concil. Camerac. an. 1586. Tit. 28. n. 17. cavit: *Ne Præfecti jeculares cogant*

presse est contra sacros Canones, legesque Ecclesiasticas: præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub anathematis pœna ipso facto incurrendà, ut nullus Cassanariorum, aut Chamazium audeat in posterum stipendia militaria ab aliquo Regum accipere, ac militiam profiteri: qui vero contra fecerit, à fidelium communione sejunctus declaretur, nec a censuræ vinculo absolvatur, quin prius militiæ nuntium remiserit, & exauctoratus fuerit, præteriti insuper criminis seriam pœnitentiam ex animo peregerit.

DECRETUM XVI.

CLXXIV. IN Ecclesia à suis usque exordiis, Clericos sacris muneribus addictos, ac potiori titulo Sacerdotes continentiam, castitatemque servare consuevisse, (a) ex antiquis Conciliis

Clericos, qui Christo militare debent ad excubias diurnas aut nocturnas: multoque minus ad belligerandum. Quid autem sit, quod habetur in *Capitulo* 42. Theodori Cantuariensis Archiep. ad finem sec.7. *Clericis nullatenus pugnare licet, nisi in multitudine, aut consilio servorum Dei*: & invenitur in Spicileg. Dacherii *tom.9.* aliis discutiendum relinquimus.

(a) Quæ adversus hoc Decretum Synodi effutivit Crozæus, vindicantur infra in Dissert. Apologetica pro Synodo *num.*100. hic tantum in antecessum dicimus, Nestorianos Matrimonium permittere Presbyteris, & Diaconis: etiam post susceptionem ordinum; immo id Monachis Monialibusque indulgent. Nec recens est inter eos corruptela hujusmodi. Memoratur autem qui primus omnium eam induxerit, Barsumas Nisibenus pro Episcopis, & Presbyteris; quo mortuo, Babæus eamdem licentiam Catholico, Metropolitis, Sacerdotibus, Diaconis, & Monachis laxavit. At postea Mar-Abas Catholico, & Episcopis nuptias vetuit: & hæc est hodierna ipsorum consuetudo. Hujusmodi Matrimonia quoad Monachos saltem valida censentur, isti enim vere tales dici non possunt, qui castitatem nullatenus expresse, aut tacite vovent; at nulli hodie Nestoriani Monachi extant in Oriente; sicuti nec erant in Malabaria tempore nostræ Synodi. De iis vero, qui post susceptos ordines contrahunt, tenet Arcudius *lib.7. cap.*40. valide id facere, ex præsenti potissimum Græcorum consuetudine, quà horum conjugia non dirimunt, sed uxoratos ab exercitio tantum ordinum deponunt. Sed ex *Can. Trull.*3. ista conjugia irrita ac invalida æstimanda esse videtur, dum statuit, quod *Eorum nefario, manifeste dissoluto conjugio; nequaquam ad altiorem gradum promoveantur*: unde Græci, qui ea rata censent, & sola suspensione, id criminis castigant, majorum suorum statutæ adversantur disciplinæ; maxime autem omnium Nestoriani, qui digamiam, & polygamiam suis permittunt: Orientis enim disciplina, quæ laicis vix concessit bigamiam, trigamiam vero, nonnisi invito animo, quo pacto istis octavas nuptias indulsisse dicetur? Certe *anno* 1628. inquisitum est super Presbyterorum & Diaconorum Chaldæorum Matrimoniis, & Sac. Cong. de Propaganda fide, decrevit ne illi deinceps conjugia inirent: & *anno* 1693. ejusdem Congr. jussu Jacobus Bensaminus Chaldæus Nestoriani Patriarchæ Vicarius, uxorem quam post ordinationem duxerat, dimisit: novissime etiam Sac. Inquisitionis Tribunal Romanum irritum declaravit conjugium cujusdam Diaconi Chaldæi, qui hic in Urbe nupserat. Vide Assem. *Dissert. de Syr. Nestor. pag.*330. Solis autem Diaconis in Ecclesia Græca, si in ordinatione contestarentur non posse se continere, aliquando permissum fuit Uxores post ordinationem ducere; immo ex laudabili ipsorum disciplina etiam ab Uxoribus ante ordines ductis temperarunt antiquitus Græci; licet nulla universalis legis necessitate, ad hoc videan-

Digitized by Google

ciliis tam Orientalibus, quam Occidentalibus aperte colligitur; & quamvis primis illis temporibus, cum ob Sacerdotum penuriam, tum ob commune Ecclesiæ bonum, aliqui ex literatis viris, jam uxoratis, ad Catholicam Religionem conversis, dummodo non essent bigami, fuerint non solum Presbyteri, sed etiam Episcopi inaugurati, quod etiam nostris hisce temporibus in Ecclesia Græca viget, & in Ecclesiis aliis Apostolicæ Sedi subjectis, justis de Causis à Romano Pontifice, quousque opportune provisum sit, toleratur; nihilominus nunquam Catholica Ecclesia permisit, ut Presbyteri post Sacros Ordines ducerent uxores, immo uxoratos, quo dignius Ministerium Sacrum obirent, mutuo consensu à suis uxoribus separatos fuisse, recolenti eorum temporum memoriam, satis constat; quæ cum comperta sint, Sancta Synodus non sine ingenti mœrore pravos usus, qui in hac Diœcesi irrepserunt, secum ipsa animo reputavit, eosque procul amoliri decrevit. Eorum causæ fuerunt Juris ignorantia, schismaticorum Præsulum vafrities, morum perversitas, quæ tunc temporis late grassabatur; quas ob causas non solum Presbyteri matrimonia contrahebant, sed etiam plures eo consilio sacris initiabantur, ut locupletiores mulieres sibi Matrimonio copularent; neque ulla habebatur ratio, an Virgo esset, an vidua, ac prima uxor esset, an secunda, an etiam tertia, neque bigamiæ impedimentum, vetustissimæ Ecclesiæ consuetudine firmatum, illis (tanta erat morum licentia) timorem ullum incutiebat. Quidquod in hoc statu Altari ministrabant, & sacra munera exercebant; si paucos excipias, qui post transitum ad secundas nuptias, à sacro celebrando se abstinebant, non tamen à muneribus aliis Sacedotalibus exercendis. Quæ omnia sibi licere per errorem putabant, eo quod ad hæc omnia facultatem à Schismaticis Præsulibus obtinuissent; qui quidem, cum sub anathematis pœna vetitum esset, ne quis eorum Matrimonia contraheret, ad id ipsis potestatem tradebant, vel si qui contraxissent, eos ab anathemate absolvebant, ac Matrimonia hujusmodi rata habebant: quæ omnia obtinebantur Simoniacè pacta, & soluta pecu-

tur astricti: quod dici non potest de Græcis Episcopis, post statutum Concilii Quinisexti *anni 692.* e cujus Concilii lege confirmata, licitum est Græcis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis retinere Uxores legitimas, ante ordinationem ductas, iisque consuescere.

In Ecclesia autem latina, Majorum Clericorum continentia semper servata fuit: Subdiaconi vero, nec semper nec universe lege continentiæ astricti fuere, sed varia fuit circa hos disciplina, maxime in nostra Hispania. De hoc videndi Cl. Tournely *De Sacram. Ordinis Quæst. ultima*; & Apologia Anonymi pro statutis S. Gregorii VII. apud Harduinum *tom. IV. Collection. Concilior. a colum.* 1121. ubi cœlibatus sacrorum hominum validissime, ac subtilissime vindicatur.

Digitized by Google

nia. Quodque deterius est, facultate sic impie obtenta, sibi inaniter blandiebantur, & se satis conscientiæ suæ consuluisse, falso ac malitiose existimabant.

CLXXV. Ut igitur Synodus pravos hosce ac detestabiles usus à Diaboli nequitiæ, ac sordida Præsulum Schismaticorum cupiditate invectos, radicitus evellat, utque Ecclesiam hanc in veterem splendorem, ac puritatem restituat, ejusque disciplinam ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ normam apte componat; præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, ne ullus Clericorum in Sacris constitutus audeat posthac ducere uxorem; neve aliquis Cassanariorum eos jungat, nec conjugiorum hujusmodi aliqui se testes exhibeant, nec ad id præstent aliquo modo consilium, favorem, aut auxilium: qui vero contra fecerint, aut aliquid horum præstitisse deprehendantur, se excommunicatos, ac maledictos esse noscant, & ut tales in Ecclesiis denuntientur. Quod attinet vero ad jam pridem uxoratos, eos omnes Synodus censura suspensionis impedit ab exercitio sacrorum Ordinum, omniumque actuum Sacerdotalium; sive tantum semel, sive pluries contraxerint, quousque cum effectu uxores dimiserint; id quod plurimum rogat, ac obsecratur in Domino. Illis vero, qui bis contraxere, aut cum viduis, aut publicas duxere meretrices, eo quod sint bigami, & matrimonia hujusmodi prava conscientia contraxerint, ut eorum plures facto ipso ostendere visi sunt, abstinentes à celebrando sacro, quantumvis ad id facultate obtenta à suo Episcopo, præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis declarandæ, ut ubi hoc præsens decretum ipsis innotescat, statim se ab uxoribus separent, non tantum quoad thorum, & mensam, sed etiam quoad contubernium; necnon declarat, eos, quamdiu ita manserint, lethalis noxæ, atque gravissimæ, concubinatus nempe reos continenter fore; tale enim Matrimonium verum non fuit, nec validum; immo ex jure nullum, nulliusque valoris; sed neque Præsules, aut Episcopi facultatem impertiri poterant ad id, quod adversatur Ecclesiæ regulis, in ipsa perpetim, ac inviolabiliter servatis, sacrisque Conciliis Generalibus ab universo Terrarum Orbe receptis: quoad illos vero, qui semel tantum contraxerunt, Synodus consulet Sanctissimum Papam, ac Pontificem Romanum, ut tanquam caput, & Dei universæ Ecclesiæ Pastor, ac Doctor, & quid facto opus sit doceat, ac præcipiat, quod vero ab eo præceptum fuerit, exactissime custodietur.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM XVII.

CLXXVI. DEclarat Synodus, Presbyteros, qui tanquam obedientes filii, Synodi consilium sectantes, à feminis, cum quibus convictum habent, se separaverint, posse post separationem in Ministerio suorum Ordinum permanere, ac Sacrum celebrare, dum aliunde impediti non fuerint; unde ab irregularitate ex bigamia erunt immunes, qua in re indulgenter agit Synodus, tùm proniorem ut viam ad hanc separationem sternat, tùm quia commiseratur eorum inperitiam, qui à vafritie, & nimia suorum cupiditate Præsulum, à quibus docendi erant, fuerunt miserrime seducti. Et quia Sacerdotes Matrimonium contrahentes, juxta Sacros Canones, irregularitati subjacent, Illustrissimus Metropolitanus, auctoritate Ordinaria, & Apostolica, qua in hac Ecclesia fungitur, Sede Vacante, omnes Clericos Sacris initiatos, qui Synodo obaudientes, uxores dimiserint, ac Sacra ministeria exercere voluerint, ab irregularitatis impedimento solvit, ipsisque facultatem facit, libere, ac licite, quantum attinet ad impedimentum hujusmodi, suos Ordines exercendi.

DECRETUM XVIII.

CLXXVII. CUM Uxores Presbyterorum, quas *Catatiaras*, (a) sive Cassanarias appellant, hoc titulo, non solum digniorem locum in Populo, & Ecclesia, amplioremque honoris significationem obtinerent; verum etiam proventus in Ecclesia, ubi consortes ministrabant, lucrarentur, perinde ac illi, ceterique Sacerdotes; immò & aliquando multo pinguiores, quàm Sacerdo-

(a) Apud latinos etiam dictæ fuerunt Episcopæ, Presbiteræ, Diaconæ & Subdiaconæ uxores Episcopi, Presbyteri &c. quæ maritis earum ordinatis, Episcopi, Presbyteri &c. relictæ dicebantur, quæ lege perpetua cœlibatus tenebantur, non secus ac mariti: Lege *Can.* 2. *Concil. Antiss doren.* Toletani I. *Can.* 18. & aliis in Conciliis, plures. Ex Virginibus autem, aut Viduis, inaugurabantur Diaconissæ, ut Ecclesiæ ministerio, maxime pro baptismo Mulierum deservirent: & hæ etiam innuptæ remanebant. In Ecclesia vero Orientali Uxores tantum Episcoporum electorum, quum earum mariti ordinantur, mutuo & prævio amborum consensu, castitatem promittunt, & aliquod ingrediuntur Monasterium. Munera septem potissimum obibant in Oriente extra altare: ad altare etiam aliquibus in rebus ministrabant tam Diaconissæ, quam uxores Presbyterorum; at quod *Mulieres servire ad altare non audeant*, jussit Italo Græcis Bened. XIV. Constit. *Etsi Pastoralis anno* 1742. Id est animadversione dignum, in Patriarchatu Antiocheno, Abbatissas Monialium, quæ etiam erant Diaconissæ, teste Barhebræo: *Subditis Monialibus Eucharistiam porrexisse*. Vide Assemanum *Dissert. de Syr. Nestorian. pag.* 850.

Digitized by Google

tes alii, vel ob antiquitatem, vel ob aliam præeminentiam, qua Consortes fruerentur: præcipit Synodus, ut illæ, quæ ab hujusmodi Presbyteris se non separaverint, nullum deinceps emolumentum lucrentur, nec a Sacerdotibus distributionum participes fiant. Si verò Synodi præceptionibus obtemperaverint, pars una distributionum per modum gratuiti subsidii pro se, suaque Familia alenda iis elargiatur, honor etiam, locusque, quem hactenus in Populo, & Ecclesia obtinuerant, eis conservetur.

DECRETUM XIX.

CLXXVIII. QUamquam Synodus, ea qua par est, obsequentis animi reverentia, Tridentini Concilii Sanctiones omnes, etiam quæ ad rectum Ecclesiæ regimen, morumque reformationem pertinent, olim recepit, & semper in posterum servabit; quod tamen in eo Concilio præcipitur, ne permittatur, ut ministrent illegitimi filii Presbyterorum in eadem Ecclesia, in qua eorum Parentes ministrant, vel alias ministraverunt; declarat, non extendi ad filios Sacerdotum hujus Diœceseos, qui hucusque pro legitimis habiti sunt, tum quia Matrimonium, unde orti sunt, ad hanc usque diem communiter habitum est pro legitimo, tum ob multitudinem filiorum hujusmodi, Ecclesiis inservientium, tùm ob pericula, eaque gravissima, quæ, si id non permitteretur, huic Diœcesi impenderent. Declarat insuper, eos posse in Ecclesiis iisdem ministrare, in quibus ministrant Parentes, posse etiam earumdem Ecclesiarum Vicarios constitui; quod intelligi tantum debet de filiis illegitimis ex Matrimonio, apud eos valido existimato, procreatis; si quos alios verò filios deinceps susceperint, in eos Decretum Concilii Tridentini in toto suo rigore servandum esse statuit.

DECRETUM XX.

CLXXIX. QUoniam Simoniæ crimen, quo res spirituales, pretio temporali comparantur, inter graviora reputat Ecclesia, illudque tanquam Christianæ Reipublicæ perniciosissimum, acerrimis pœnis Deus supremus criminum vindex puniit, Synodus cohibere nequit lacrymas, animo recogitans, universam hanc Diœcesim fuisse scelerum hujusmodi colluvione penè obrutam: palam enim pro Sacramentorum administratione pretium, & pecuniæ exigebantur, itaut nunquam ea conferrentur, quia

Digitized by Google

quin priùs aut apud Sacerdotes, aut in Capsulis Ecclesiæ, postea inter ipsos distribuendum pretium deponeretur, nec (quod piorum exhorrescunt aures) ipsa Divina Eucharistia aliter ministrabatur; similiter relaxationes legis prohibentis conjugia inter consanguineos, & Affines; absolutiones ab Anathematis vinculo; consecrationes Altarium; collatio Ordinum tam minorum, quam majorum; facultates ad Ordines alibi suscipiendos, Epistolæ dimissoriales pro Clericis ad alias Diœceses transeuntibus, & alia hujusmodi, pacto, & soluto pretio concedebantur. Synodus itaque ut execrabilem hanc, & teterrimam Christiani Populi luem procul avertat, (a) præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub anathematis pœna ipso facto incurrenda, ut pretium nullum, nihilque pretio æstimabile accipiatur, ac solvatur pro rerum spiritualium, quas nuper recensuimus, aliarumve similium concessione: atque adeo Sacerdotum nemo pro administratione Sacramentorum audeat aliquid sumere, neque aliquis pro eo quidquam largiri, sed omnino gratis fideli conferantur Populo Sacramenta, juxta præceptum Domini Nostri Jesu Christi: *Gratis accepistis, gratis date*. Excipimus tamen eleemosynas spontaneas, quas fideles voluntarie, nulloque habito respectu ad Sacramentorum administrationem, conferre voluerint, dummodo id non faciant quando Sacramenta recipiunt. Sacerdos itaque, qui contra fecerit, ultra anathematis poe-

(a) Simoniaca hæresis procul semper rejecta est a Catholica Ecclesia, quæ non prius erecta est, quam Simon caderet; quod si aliquis particularis homo, vel particularis Ecclesia, ea infecta fuit labe, illico a Summis Pontificibus & Conciliis, contra est itum. Validius autem grassata semper est in Ecclesiam Orientalem: ubi etiam inter Catholicos Apostolicæ Cathedræ addictissimos Maronitas, ejus labis species quædam ad hæc usque tempora retenta est, etenim in Monte Libano & Patriarchatu Antiochiæ Maronitarum, non conferebantur Sacra Olea, nisi solverentur debitæ Antistiti pecuniæ: quam tamen omnium malorum radicem, evellere tentavit Jos. Simon. Assemanus Ablegatus à Clem. XII. in Concilio Montis Libani, coacto in Monasterio de Loayfa in Chosroena 30. *Sept. anni* 1736. evulsa tandem penitus fuit a SS. D. N. Benedicto XIV. anno 1741. approbante Canonem Concilii Loayfæ, in quo *prohibebatur Patriarchæ facere quamcumque exactionem, in distributione Olei Sancti Parochis*: etsi aliqui contra niterentur. Fere omnes abusus, quos hic memorat Synodus, irrepserant in Angliam ante *annum* 1100. adeout Concilium Londinen. *anno* 1125. sub Honorio II. iis medicamen allaturum, statuit *Can.* 2. *Ut pro Chrismate, pro Oleo, pro Baptismate, pro Visitatione infirmorum, seu Unctione, pro Communione Corporis Christi, pro sepultura nullum omnino pretium exigatur*. In corporis Christi distributione, numis collatis peracta, turpius id apparet; quasi nempe iterum Christus venderetur; idcirco prohibitum fuit, *Obolos, vel aliam quamlibet speciem* exigere a communicante; *in Can.* 23. Concil. Quinisexti, seu Trullani, & in Londinensi mox laudato. In aliquibus Hispaniæ citerioris locis non sine offensione, nec semel vidi infixos in Cereo baptizandi, nummos argenteos, immo & aureos, Parocho cessuros: & etiam administrato ægris Viatico, non tantum mensæ candelas, sed & ceteras aliorum in cubiculo extantium, celeri manu, ab Ecclesiæ inservientibus abripi; quo jure quave decentia videant alii.

Digitized by Google

pœnam, ab Ordinibus, & emolumentis maneat per triennium suspensus: Vicariis etiam curæ sit, ut de his rudis Populus certior fiat, ne deinceps accidat, ut plures ex pauperibus in Silvis degentes suos non adducant parvulos baptizandos, eo quod ipsis pretium non suppetat solvendum pro baptismo, id quod antea pluries accidisse Synodus non ignorat. Presbyteri etiam contenti sint stipendiis, quæ pro Officiis, funeribus, ac Missarum celebratione accipiunt, quibus nullam Simoniæ labem inesse, Synodus declarat, sed unice eo spectare stipendia hujusmodi, ut Sacerdoti ea die celebranti congrua alimenta non desint. Idem docet Synodus de gratuitis aliis largitionibus, quæ ad spontaneam, Deoque gratam beneficentiam Christifidelium erga Sacros Ministros pertinent, quamobrem, ut hactenus factum est, etiam in posterum inter illos distribui debent. Declarat insuper Synodus, quodsi forte aliqui ab Anathematis pœna, in quam ob grave aliquod incurrerunt crimen, absolvantur, quamvis nihil ab iis accipi possit tanquam absolutionis pretium, posse nihilominus iis in pœnam admissi criminis, habita ad id à Præsule facultate, pecuniariam mulctam irrogari, quæ tamen moderata sit, & non nisi in Christianæ pietatis opera, vel in Ecclesiæ fabricam impendatur; si vero egenus fuerit delinquens, Ecclesiæ alicujus servitiis addicatur, mulcta pecuniaria prætermissa, ipsique præfiniatur certa temporis mensura, major, vel minor, juxta majorem vel minorem criminis gravitatem.

DECRETUM XXI.

CLXXX. CUM omnimode peroptet Synodus, perniciosissimum Simoniæ vitium ab hac Diœcesi radicitus evellere, probe noscens, illud adeo increvisse ob indigentiam rerum necessariarum, qua Ecclesiæ Ministri premebantur; vehementer orat omnes hujus Diœceseos Populos, ut ex iis, vel viritim homines singuli, vel unumquodque commune juxta vires, præfinitam aliquam pecuniarum summam, ad modum, vel voluntariæ stipis, vel decimarum largiatur, qua summa contributa sustentari possint Vicarii, & Animarum curam gerentes, quibus ad Divini cultus splendorem indiget Ecclesia: de qua re statuenda, Reverendus Metropolita in qualibet Ecclesia agat cum Populo, idque ipsi inculcet, Christianos nempe ad id jure tùm Divino, tum humano obstringi; nihil enim æquius, quam quod alimenta præbeant Sacerdotibus, pro iis Deum orantibus, ac Spirituale pabulum omni-

Digitized by Google

omnibus distribuentibus, quique & Deo, & Præsulibus Dei vices gerentibus de iis rationem reddere debent.

DECRETUM XXII.

CLXXXI. UT quoquomodo obviet Synodus Sacrorum Ministrorum hujus Diœceseos indigentiæ, atque adeo Simoniæ viam omnem præcludat, cum Populi, qui præfinitam aliquam summam contribuere debent, utpote inopes, omniaque ad victum corporisque cultum illis necessaria sunt, subministrare non valeant, flagitat à Catholica Majestate Regis Lusitaniæ, ut tanquam istius Christianitatis Protector, ac in istis Regionibus Rex unicus Dominusque Christianus, dignetur pro ea, qua pollet liberalitate, ac beneficentia, annuam pensionem mille saltem, ac quingentorum *Crucigerorum* attribuere (*a*), ex qua simul, & pecuniarum summa à Populis exigenda, hujus Diœceseos Vicariis congrua suppetant alimenta; & plane confidit, minime defuturam Regionibus hisce regalem beneficentiam, qua Indiarum Regiones ceteræ fruuntur. In spem hanc insuper erigitur ab exemplo Concilii Provincialis Goensis tertii, quod cum maxime optaret horum Christianorum obedientiam erga Ecclesiam Romanam promovere, necnon Simoniæ vitium ab his Regionibus propellere, idem beneficium enixe rogavit. Postulat ergo Synodus ab Illustrissimo Metropolita, ut ad hunc finem apud Regem preces suas, operamque interponat, illi & Ecclesiæ hujus vota, & Sacrorum Ministrorum indigentiam exponendo; interim vero donec Regium responsum habeatur, ipse D. Frater Alexius de Menesses, utpote Archiepiscopus Metropolitanus, & hujus Synodi Præses, secum reputans quanti momenti sit, Simoniæ vitium eradicari, & Ecclesiarum regimini præesse Vicarios ipsis addictos, qui & Sacramenta administrent, & res Ecclesiæ prudenter, ac attente gerant, mille & quingentos Crucigeros annuos assignat, e stipendiis Goæ detrahendos, qui inter Vicarios distribuantur, quos Ecclesiis singulis in hac Synodo constituere decernit, prout legitur in distributione publicata, & ab eodem Archiepiscopo sua subscriptione, & majori suæ Archiepiscopalis Cancellariæ Sigillo munita, quæ illico lecta fuit, audiente, & approbante Synodo. DE-

(*a*) Lusitanice *Cruzados* est monetæ genus, pendens aut æquivalens quinque Paulis Romanis, & 6. bajoc. si vero sint *Cruciati* seu *Crucigeri* aurei, quilibet horum valorem habet 56. *Paul. Rom.* la Crozæus *pag.* 256. vertit pro Cruciatis, *scuta*: at non bene, quilibet enim Cruciatus argenteus, non pendet in Lusitania nisi 48. *Bajoc.* Romanos; & Romæ ut diximus æquivalet 56. *Bajocis*, aut 5. *Paulis & Baj.* 6. aut alio nomine 440. *Reys* Lusitanis.

Digitized by Google

DECRETUM XXIII.

CLXXXII. QUoniam in hac Diœcesi longe plures sunt Clerici, quam quos Divini cultus, & Ecclesiæ necessitas postulat, & Sacrum Tridentinum Concilium, non nisi Ecclesiæ necessarios ad Ordines promoveri permittit: præcipit Synodus, ut in hac Sede Vacante, quandiu novus Præsul non advenerit, penes quem sit illius regimen, nullus initietur Sacris, nec ad id facultas ulli concedatur, solumque illis, qui jam initiati sunt, progredi ulterius ad alios majores Ordines liceat, prout visum fuerit Gubernatori in hac Diœcesi, per Illustrissimum Metropolitanum instituendo; monet etiam Synodus, ut qui ad Sacerdotalem gradum ascendere debent, instruantur in iis, quæ pertinent ad Sacramenta, eorumque administrationem, ac formam absolutionis Sacramentalis, ut ubi opus fuerit; aut in casu necessitatis ea uti possint, absolutionem pariter à censuris, quæ semper præcedere debet Sacramentalem absolutionem peccatorum in confessione, saltem conditionalis.

DOCTRINA

De Sacramento Matrimonii.

CLXXXIII. SEptimum Sacramentum Matrimonium est; & significat juxta Apostolum eam, quæ est inter Christum, ejusque Ecclesiam unionem. Perficitur Matrimonium mutuo amborum conjugum consensu, verbis, vel signis de præsenti declarato, consensu inquam, qui juxta verborum, vel signorum expressionem suum in præsens sortiatur effectum. Consensus hujusmodi, qui quidem à Mundi exordio (*a*) cœpit esse, & sub quacumque

(*a*) Sub hac ratione, & ut est naturæ officium, institutum & initum fuit Matrimonium in Paradiso, ante peccatum, inter Adamum & Evam; atque illa nuptiarum lex, quam ipsa dictaverat natura, a Deo confirmata fuit. Vide Tertull. *lib. de Anima cap.*11. Hieron. *in Cap.*5. *Epist. ad Ephesios*, & August. *Lib. de Bono conjug. cap.*13., & *lib.*14. *de Civit. Dei cap.*22. Concilium etiam Senonen. *anno* 1528. in Decretis morum: *Decret.*39. asserit; *Matrimonium esse a Deo in Paradiso, & in statu innocentiæ institutum*. Sed omnium luculentior habetur institutionis ejus explicatio in Concilio Moguntino *anno* 1549. *in cap.*36. per hæc verba: *Matrimonium quippe, ab initio ad officium naturæ institutum, tandem ex Dei benignitate, infirmis hominibus ad remedium cessit: ut jam hæc maris & feminæ commixtio; quæ alioquin propter turpem concupiscentiæ motum, peccato non careret: propter gratiam Sacramenti, coniugibus ad peccatum non imputetur, sed sit honestabile con-*

cumque lege fuit, à Christo Domino, Sacramentorum novæ legis Institutore Sacramenti dignitatem accepit; Unde matrimonium dupliciter considerari potest, & ut contractus, ac naturalis conjunctio, & ut Sacramentum à Christo Domino nostro institutum. Conjugio indissolubile, ac perpetuum vinculum Deus adnexuit, quod mors sola dissolvit; juxta illud Christi: *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Hoc vinculum ipsi sub utraque consideratione competit, sed potissimum competit ipsi tanquam Sacramento. Per illud, sicuti & per reliqua Sacramenta, confertur gratia; etenim Christus ipse auctor & Institutor divinorum Sacramentorum, sua nobis meruit passione gratiam, qua naturalis ille amor perficeretur inter uxoratos; & firmaretur conjunctionis matrimonialis nexus inter conjuges, & conjuges ipsi Sanctificarentur. Duplicem etiam respectum invenimus, & finem in Matrimonio, ob quem institutum fuit: primo & præcipue ob procreationem, & generationem prolis ad mundi conservationem, & propagationem Populi fidelis Deo inservientis: secundo & minus præcipue ob remedium libidinis, quo nempe uterentur in hoc propensi vtium, uti remedio à Deo accepto, ne in illud laberentur, cum suis Uxoribus in eodem manentes contubernio. Quamobrem non semel tantum, sed pluries iniri matrimonium potest femina, vel viro conjuge vita functo, cum non solum in primo, sed etiam in reliquis conjugiis matrimonii finis obtineri possit. Quibus ita se habentibus, tanquam hæreticos detestatur Ecclesia, reprobant es secundas nuptias tanquam illicitas, quod antiquitus nonnulli asseruerunt Hæretici, ac nostris hisce temporibus tuentur in his Regionibus aliquæ Ethnicorum sectæ, superstitioni magis addictæ. Ex prædictis illud etiam consequitur, non solum Matrimonium posse contrahi inter eos, qui fœcundi sunt, & vim habent gignendi prolem, sed etiam inter steriles, de quibus juxta consuetum naturæ cursum nulla spes est, ut filios procreent: possunt enim vero ii saltem matrimonii finem alterum obtinere: ii vero, qui neutrum finem obtinere possunt, ut pueri impuberes, & qui ad usum Matrimonii sunt perpetuo inhabiles, Matrimonium contrahere nequeunt: quia tamen primum impedimentum à minori ætate ortum, cessat pubertate adveniente, idcirco Ecclesia certum præfinivit tempus, quod nisi fuerit expletum, matrimonia iniri non possunt. Quidquid vero de primævo rigore, lege naturali, & subin-

 de

nubium, ac thorus immaculatus. Vocatur Sacramentum etiam, in latiori quodam sensu a Theologis; connubium sub lege naturæ & scripta; ceterum ab uno Christo ad Sacramenti honorem proprie fuit elevatum. Videsis Tournely *De Matrim. Quæst.* 2.

de lege Mosaica remissum est, Christus in lege sua Evangelica in integrum restituit. Quamvis enim antiqui Patres ex primævi juris relaxatione à Deo concessa, plures duxerint Uxores, & lex Mosaica permiserit libellum repudii, neutrum tamen post legem Evangelicam licet. Quamobrem Matrimonium pristinæ puritati restitutum fuit, nec licet cuiquam plures habere Uxores, aut quam habet repudiare, aut aliam ducere, prima superstite. Tria insuper sunt Matrimonii bona præcipua, primum nempe Prolis generatio, per quam Populus fidelis propagetur, & latius veri Dei cultus extendatur: Secundum est fides, quam quilibet conjugum illibatam servare debet erga alterum: Tertium perpetuum Matrimonii vinculum, quo significatur indissolubilis conjunctio, & unio Christi cum sua Ecclesia; & licet fornicationis, adulteriique causa, licita fiat conjugum separatio quoad contubernium, non licet tamen cum alio matrimonium contrahere, quia Matrimonii valide contracti vinculum, non aliter quam alterutrius morte conjugis dissolvi potest.

DECRETUM I.

CLXXXIV. SAcra Mater Ecclesia celebrationem contractus Matrimonialis ita statuit, ut vel primo aspectu sanctum quid esse, sancteque tractandum omnibus innotesceret: itaque ad plura vitanda valde absona, atque adeo dignitati hujus Sacramenti minime consentanea, constituit, palam, ac in facie Ecclesiæ Matrimonia celebrare, scilicet coram Vicario proprio, & Parocho, aliove Sacerdote de ipsius, aut Præsulis licentia; præsentibus etiam duobus, vel tribus testibus: quodlibet autem Matrimonium absque hujusmodi solennitate Parochi, duorumque testium celebratum, eo ipso nullum fore, (a) nulliusque valoris: & quod consectarium erat, decrevit insuper, ut nec ipse Parochus sine duplicis testis præsentia, nec Sacerdos alius sine Parochi facultate audeat aliquos conjungere. Quæ cum in hac Diœcesi minime servari Synodus

(a) Clandestina conjugia *semper detestata est Ecclesia Dei*, ut ait Trident. *de Matrim. in Decret. de reform. cap.1.* & quidem a temporibus Apostolicis: Sanctus enim Ignatius ad Polycarp. ait: *Decet ducentes & ductis cum sententia Episcopi unionem* (matrimonialem) *facere, ut sit secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam*. Consonat Tertullian. variis in locis, & maxime *lib.2. ad Uxorem* Hormisdas *apud Gratian. 30.q.5.* Plura etiam Capitularia, signanter Pippini Regis *anno 755.* & Concilia multa; has etiam clancularias nuptias videtur Deum variis modis in Gallia punivisse, cum ex *lib.7. Capitular. Reg. Franc. Cap.179.* ap. Marten. *De rit. tom.2. col.343.* constet, ex illis procreatos esse cæcos, claudos, gibbos, lippos &c. Ipsis tandem Ethnicis non probabantur; dicente Apuleio *Lib.6. Nuptiæ in Villa, sine testibus; & Patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri.*

Digitized by Google

nodus certo sciat, nam coram quocumque ex Cassanariis, & ubilibet pro contrahentium libito Matrimonia celebrantur, ex quo, & morum dissolutio, & non leves perturbationes oriuntur. Præterea diversos ritus (a) ac verba diversa in variis Regionibus ad hanc Diœcesim pertinentibus usurpari in contrahendis connubiis; præcipit, ut omnia supradicta, quæ Tridentinum Concilium statuit, integre serventur: quamobrem quodcumque connubium, Concilii Tridentini decretis dissentaneum, atque adeo contractum sine Parochi, duorumque Testium præsentia, declarat esse nullum, & contrahentes non jungi matrimonio, sed concubinatu implicari. Decernit insuper ut Parochus, qui sponsum, & sponsam audeat jungere, sine duorum saltem testium interventu, similiter Sacerdos, qui absque licentia Parochi, aut Ordinarii Matrimonio assistat, ab ordinibus, & proventibus per annum absque relaxationis spe, sint per suspensionis censuram impediti: Matrimonium itidem declaretur nullum, quique ita contraxerunt rursus conjungantur. Postremo declarat, posse contrahentes per alterutrum Parochum, sive viri, sive feminæ conjungi, & si ut plurimum per feminæ Parochum conjungi soleant.

DECRETUM II.

CLXXXV. MAtrimonium contrahi debet verbis exprimentibus mutuum consensum pro tempore præsenti, quod cum in hac Diœcesi plerumque servari non soleat, sed non raro contrahentes consentiant per verba habitura suum effectum pro tempore futuro; præcipit Synodus, ut ubi sponsus, & sponsa se sistunt ad Ecclesiæ fores, Parochus, vel alius Sacerdos ab illo

(b) Tridentinum non reprobat alios ritus & verba; cum enim statuit, ut Parochus dicat: *Ego vos conjugo &c.* subdit: *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum*. Vide *Sess.* 24. *Dec. de Reform. cap.* 1. Unde non recte aliqui Scholastici in illis verbis, Matrimonii ritum figunt, quæ, ut ait Martene *De Ritibus tom.* 2. *col.* 347. inaudita erant antiquis, quæque in aliquibus Ritualibus, etiam *ante* 400. *annos* exaratis desiderantur. Memorare libet quod habent acta S. Amatoris, Episcopi Antisiodor. qui cum celebraret nuptias, & Episcopus Valerianus, loco verborum benedictionis nuptialis, recitasset orationes pro ordinando Diacono; solo ipso & conjuge id animadvertentibus, *Quasi divino nutu id factum esset, de proposito servandæ Virginitatis tractare cœperunt*. Sacerdotis verba, quibus nubentes jungebantur, arbitraria fere videntur fuisse, percurrenti antiquâ Ritualia, & lingua vernacula plerumque, ut *in Ord.* 11. Martene, in quo legitur: *De cet anneau te espouse in nomine Patris &c. In Ord.* 13. rhythmus iste ad annulum habetur.

Par cet anel l'Eglise enjoint.
Que nos deux cueurs en ung sojent joints.
Par uray amour & loyale foy.
Pour tant, je te mets en ce doy. In nomine Patris &c.

Deinde subjungebat Sacerdos: *Desponso vos in facie Ecclesiæ. In nomine &c.*

Digitized by Google

delegatus, aut cui Præsul facultatem fuerit impertitus, superpelliceo indutus, ac stola e collo pendente, & coram duobus saltem Testibus, eos interroget; num velint inter se contrahere? Illisque voce tenus asserentibus, aut manifestis signis consensum explicantibus, itaut nullus supersit dubietati locus; postea Sacerdos extremitatem alteram stolæ e collo suspensæ superponat palmæ suæ manus sinistræ, supra quam stolæ extremitatem interjectam recipiat dexteram inversam sponsæ, cui decussatim jungatur deinde dextera Sponsi in Crucis speciem, sic vero junctas dexteras, stolæ extremitate altera contegat, iisque dexteram suam superimponat, itaut manus ambæ Sacerdotis intercipiant novorum conjugum dexteras stola coopertas. Quibus peractis, signet dexteras conjugum signo Crucis, illisque benedictionem impertiatur, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*. Curet deinde ut Sponsa dicat: *Ego N. accipio te N. in meum maritum legitimum, prout præcipit Sancta Mater Ecclesia Romana*. Mox eamdem ferme usurpans verborum formulam, sponsus dicat: *Ego N. accipio te N. in meam legitimam Uxorem prout præcipit Sancta Mater Ecclesia Romana*: quibus verbis adjungat Sacerdos: *Et ego auctoritate qua fungor, vos in Matrimonium conjungo; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*; & aspergendo eos aqua benedicta dicat: *Per aspersionem hujus aquæ benedictæ donet vobis Dominus salutem, & benedictionem Amen*. Si vero conjuges primas celebraverint nuptias, eos ad Aram maximam ducat, & super illos ibi genuflexos, benedictiones recitet, quæ habentur in Rituali Romano *de administratione Sacramentorum*, quod Syriace translatum ad manus sit in omnibus Ecclesiis: si autem contrahentes fuerint vidui (a), benedictiones non recitabit, sed facta oratione intra Ecclesiam, eos dimittet.

DE-

(a) Secundas nuptias ægre semper tulit Ecclesia, quasi esset incontinentiæ signum bis contrahere; immo antiquiores ex Patribus, bigamiam fornicationi & adulterio adnumerant; neque permittebantur nisi certis legibus. 1. ut mulier nonnisi transacto luctus anno contraheret. 2. ut consensus Sacerdotis & populi accederet. 3. quod etiam hic ordinatur: privabantur benedictione nuptiali. 4. non coronabantur. 5. arcebantur ab Ecclesiæ eleemosynis. 6. subjacebant publicæ pœnitentiæ, & ab Ecclesiastica communione excludebantur anni aliquando, aut biennii spatio. Dura semper visa est, lex imposita Hispaniæ Regnis in Concil. *Tolet. 13. anno 633.* ut nimirum a secundis nuptiis omnino abstinerent: durior autem quam paulo post edixit Concil. 3. *Cæsaraugustan. Can 3. anno 791.* nempe: *Ut re ista Principis.... vestem secularem deponat, & alacri curiositate religionis habitum assumat*. Tandem bigami non coronabantur; sed ex quo Coponymus Eudoxiam in tertiam sibi uxorem adscivit, in aliquibus Græciæ Ecclesiis etiam hodie coronantur a Sacerdote, qui Virginibus aptat corollam ipsarum capiti, Viduis vero humero imponit; quod lepide irridetur a Theodor. Studita *Ep. ad Naucrat. apud Marten. tom. 1. col. 349.*: *Tertio nubenti* (ait ille) *ubinam ponetur corona? In manu, an ad genu?*

Digitized by Google

DECRETUM III.

CLXXXVI. UT nulla circa Matrimonia fraus obrepat, innotescant etiam impedimenta ipsis obstantia; constet insuper cunctis de eorum celebratione; necnon quoad omnia Sacro Concilio Tridentino conformentur: præcipit Synodus, ut inviolabiliter, ac rigorose, quæ ab illo stabilita sunt, observentur, atque adeo nomina futurorum conjugum publicentur in Ecclesiis intra illorum Parochiam, idque tribus diebus festis, & Dominicis, ubi Populus ad audiendam Missam convenerit, fiat per Parochum, vel alium de ipsius mandato; dicendo: *optat contrahere Matrimonium N. Filius N. & N. talis loci naturalis, cum N. Filia N. & N. naturali talis loci; qui aliquod sciat Impedimentum opponendum, sub excommunicationis pœna illud exponat*: Vicarius autem, cui aliquod Impedimentum legitimum denuntiabitur, contrahere volentes non conjungat, quin prius Præsulem de impedimento moneat, ut quod æquum judicaverit, decernat; legem autem has denuntiationes, & præconizationes præscribentem, Præsul tantummodo relaxare poterit, ubi tamen probabiliter suspicetur, aliquem fore, qui perperam eas nuptias impedire conetur; & quamvis tunc illis omissis, à Vicariis conjungi possint, nihilominus id non præstent, nec nuptiis solenniter benedicant, nisi prius in Ecclesia denuntiationes fiant, ut siquæ alia fuerint impedimenta facilius innotescant; nisi Præsuli visum fuerit opportunum, quantum ad hanc rem quidquid lege præscribitur, prorsus remittere, Concilium enim Tridentinum id ejus prudentiæ ac arbitrio permittit; Sacerdos vero qui conjugium contrahere volentes, non præmissis denuntiationibus, nec habita ad id à Præsule facultate, conjunxerit, per semestre ab ordinum exercitio, & Ecclesiasticorum proventuum perceptione, per censuram suspensionis prohibeatur.

DECRETUM IV.

CLXXXVII. SAcri Concilii Tridentini vestigiis inhærendo (a), præcipit Synodus, ut in unaquaque Curiali Ecclesia habeatur liber, cujus paginis singulis notæ numerales præfigantur, non secus ac in libro, in quo recenter baptizati recensentur, juxta ea, quæ præscripsimus, ubi de Sacramento Baptismatis. Vicarius

(a) Trident. Synod. *Sess.* 24. *Decret. de Reform. cap.* 1.

rius in hoc libro nomina contrahentium scribat, locum etiam, diem, mensem, & annum, & testes, qui præsentes extiterint, quos communiter vocant Patrinos: in hunc modum: *Die N. Mensis N. anni N. Ego N. Vicarius Ecclesiæ* (apponatur hic nomen Sancti illius, cui dicata est Ecclesia, & loci ubi illa sita est) *in Matrimonium conjunxi N. filium N. & N. cum N. filia N. & N. tali loco natos, utrumque ad Ecclesiæ januam juxta Sacrum Concilium Tridentinum, fueruntque testes N. & N.* Deinde nomen suum Parochus & ambo testes subscribant; quando vero alius Sacerdos, facultate sibi à Vicario, vel Præsule impertita, aliquos Matrimonio conjunxerit, subscribet ita: *Ego N. Cassanarius de licentia N. Vicarii loci N.* (vel *de licentia Prælati*, si eam habuerit) *conjunxi ad Ecclesiæ Januas N. filium N. & N.* (nominatis Parentibus ipsius) *loci de N.* (locum designet, in quo degunt, prout præcipitur à Concilio Tridentino) *fueruntque testes N. & N.* quorum nomina scribat: postea suum nomen addat, idemque post illum faciant Testes, qui Matrimonio, dum contraheretur interfuere: & hic liber inter alios Ecclesiæ diligenter asservetur. Præsul etiam in Visitationibus, si quid de rebus nuper præscriptis neglectum fuerit, sedulo inquirat.

DECRETUM V.

CLXXXVIII. QUoniam Matrimonium Sacramentum est, atque adeo gratiam confert, ut ad illud contrahentes digne accedant, hortatur Synodus, decretis Tridentini inhærens, (*a*) præcipitque, ut illi triduo ante, graves culpas, si quas habent, confessione expient, ac deinde, nisi aliquid obstet, Sacram Mensam adeant; quodsi secus fecerint, à Vicariis, quorum erit de hac re diligenter inquirere, ad celebrationem Matrimonii non admittantur. Matrimonia insuper statuit, ut non alibi, quam in Ecclesia

(*a*) Ita disponit Tridentin. *Decr. de Reform. cap.1. Sess.24.* Idem habet Remense *anno* 1564. celebratum. Animadversione dignum est illud Concilii Aquensis: *Contra maleficia, conjuges antequam contrahant, saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata confiteantur, & ad Eucharistiam accedant.* Ita Aquense Concil. *anno* 1585. *tit. de Matrimonio.* Sub desponsationem etiam impertiebatur Sponsis sacra communio in Ecclesia latina, ut constat ex *Missali Gelasiano, & MS. Codic. Remensi & Gellonensi.* In Græca idem fiebat, at sub una tantum panis specie communicabant: & licet in Euchologiis mentio fiat Calicis in nuptiis, intelligendum est loqui de calice vitreo, in quo vinum non consecratum ipsis porrigebatur; quique ex *Euchologi. Criptæ Ferratæ* laudato ab Arcudio *lib.7. cap.3.* frangi subinde debebat: ne tamen isti componas ritum servatum in Madure, frangendi in nuptiis nucem indicam, vel *Coco*, qui Decreto Card. Tournoni prohibitus fuit anno 1704. & a Bened. XIV. an. 1744. *in Const. Omnium solicitudinum.*

Digitized by Google

clesia celebrentur, qua in re caveant contrahentes, ne vel propria, vel aliorum ignavia ad Ecclesiam accedere detrectantium, se abripi sinant. Quæ tamen sic accipi vult Synodus, ut nihilominus matrimonium verum sit, ac validum ubicumque celebretur, dummodo fiat coram Parocho, ac duobus testibus: solum itaque ut ea, quæ Sacramento debetur decentia servetur, Parochis inculcat, ut secluſa urgentissima causa, Matrimoniis extra Ecclesiam non assistant.

DECRETUM VI.

CLXXXIX. PErpetuo Ecclesia, etiam in lege veteri, gradus prohibitos proquinquitatis agnovit, intra quos Matrimonium celebrari nequit, & celebratum nullum est, & irritum; & ex hujusmodi gradibus alii sunt, intra quos divino naturali jure prohibetur, ut primus gradus inter ascendentes & descendentes, ac inter Fratres; alii qui jure prohibentur positivo. Itaque declarat Synodus, gradus, intra quos præsenti tempore Ecclesia Matrimonium, non habita prius relaxatione, contrahere vetat, contractumque sine illa, nullum sortitur effectum, computari debere usque ad quartum gradum *inclusive*, tum consanguinitatis, tum affinitatis, nec ultra extendi; in quorum secundo recensentur ex Patruelibus Fratres(*a*) Filii ex Fratribus(*b*), & ex Avunculo ex parte Patris aut Matris (*c*) In tertio filii consobrinorum (*d*) Filii ex Patruelibus (*e*) & ex Avunculis Patruelibus Patris aut Matris, (*f*) In quarto tandem Filii Sobrinorum, & Nepotes Patruelium, & Filii ex Consobrinis Patris, aut Matris, aut Patruelium Avi, aut Aviæ. (*g*) Atque intra eosdem affinitatis gradus etiam prohibetur Matrimonium inter affines Uxoris, & Viri, si cum

(*a*) In textu habetur: *Primos com irmãos*.

(*b*) *Filos de irmãos*.

(*c*) *E Tio irmãos de Pay ou Mãy*.

(*d*) *E no terceyro primos segundos*.

(*e*) *Filhos de primos com irmãos*.

(*f*) *E Tios primos com irmãos de Pay ou May*.

(*g*) *No quarto, primos terceyros, Filhos de primos segundos, e netos de primos com irmãos, e Tios primos segundos de Pay ou Mãy; e primos com irmãos de Avo ou Avoo*. Combinationes graduum & Personarum inter se, quibus Matrimonium intra quatuor illos gradus prohibentur, plurimæ, præter allatas a Synodo, recenseri possent. Et quidem Nestoriani gradus consanguinitatis & affinitatis observant, de quo vide Jesujabum Arzunitam *Can.* 13. & Timotheum *Can.* 18. Omnium autem diffusior est in recensendis Personis Ebedejesus Soben. *Epit. Can. Par.* 2. *cap.* 1. qui designat quinque supra sexaginta feminas, totidemque Mares, quibus ex propinquitate interdicitur Conjugium. Ad Græcos autem propius accedunt, quam ad Latinos, in recensendis gradibus; de discrimine vero inter Græcos & Latinos vide Arcudium *lib.* 7. *cap.* 30.

Digitized by Google

cum aliquo eorum contrahentes prius conjuncti extiterunt. Inter affines vero per copulam illicitam impedimentum non protenditur ultra secundum affinitatis gradum; extra eos autem gradus, nulli sunt alii, qui matrimonium impediant. Contractum vero intra gradus illos quatuor, est prorsus irritum atque invalidum; & qui contraxerint, lethalis peccati concubinatus rei erunt, non veri conjuges. Quia tamen potest aliquando contigere, ut justis de causis, velint contrahentes conjugium inire, intra gradus jure tantum positivo prohibitos, matrimonium impedientes, si id contingat, petere debent legis Ecclesiasticæ relaxationem, vel a Sancta Sede Apostolica, vel à Præsule, qui a Sancta Sede ad id delegatam facultatem habuerit, expositis gradu, a cujus impedimento per legis relaxationem solvi petit, necnon causa, quæ ad hoc ipsum compulerit; qua in re se gerat Præsul, prout sibi in Domino videbitur. Præsul insuper, qui relaxandi facultatem a Sede Apostolica obtinuerit, id faciet omnino gratis, nihil accipiendo a contrahentibus, etiam spontanee exhibitum, ut ab hac Synodo præscribitur. (a)

DECRETUM VII.

CXC. Ultra corporalem propinquitatem consanguinitatis, & affinitatis, quæ in præsignatis gradibus connubia impedit, alia superest cognatio, quæ pariter impedimento est connubiis. Vocatur hæc cognatio spiritualis, (b) & intercedit Patrinum inter & Matrinam, ac Filium spiritualem, necnon inter Patrem, & Matrem ex una parte, Patrinum, & Matrinam ex alia,

(a) Hæc ad præscriptum Tridentini Concilii stabilita sunt, in quo *Sess.24.cap.V. de reform. Matrim.* cavetur, quod *vel nulla detur dispensatio, vel raro, ex causa, & Gratis concedatur*. Vide infra *Dec.8. Not.*

(b) Canones Arabici Nicæni statuunt, quod si quis contrahit cum Patrinis vel Matrinis: *Habeatur tamquam Ethnicus, donec separetur, & annis viginti agat pœnitentiam*. Trullana Syn. ait *Can.53.* quod *separetur & pœnas subeat fornicatorum*. Ex ecclesiastico tantum jure, cognatio spiritualis Matrimonium dirimit, ratione ut videtur, desumpta ex cognatione legali adoptionis filialis: *Quoniam spiritualis necessitudo* (ait Trullan.) *seu affinitas, corporum conjunctione major est*. Initium hujus impedimenti statuitur a Juenino ante finem seculi quarti; at fundamento ruinoso *Epistolæ Deusdedit Papæ ad Gordianum Hispalen.* Illud certum est, illius impedimenti meminisse sec.6. Justinian. Imperat. *in leg.26. Cod.* Videsis eruditiss. Catalan. *tom.2. in Concil. ad Can.53. Trullan.* Altum est silentium de hoc impedimento in auctoribus Nestorianis, & eorum *Constitut. Synod.* unde ii & consequenter Malabarenses Christiani D. Thomæ, antiquam in hoc Ecclesiæ suæ disciplinam tenuerunt, ut proximo Decr. 8. perspicue fatetur nostra Synodus. Italo Græci id observare tenentur *ex Constit. Bened. XIV. Etsi Pastoralis*.

Digitized by Google

alia, quæ persona fiunt inter se Compatres, & Commatres. In Baptismo itaque Patrini, qui puerum Baptizatum a Sacro fonte excipiunt, similiter in Sacramento confirmationis, qui confirmandum adduxerit, & præsentaverit, & idem de aliis, quorum nuper meminimus, ut diximus in decretis de Baptismate, & confirmatione, cognationem contrahunt, quæ quidem spiritualis cognatio, tam inter Patrinos, & filios spirituales, quam inter Compatres, & Commatres Matrimonium impedit, itaut sine relaxatione à Sede Apostolica obtenta, vel ab alio à Sede Apostolica delegato, validum Matrimonium contrahi nequeat, & qui contraxerint, ob nefarium concubinatus crimen, æternæ damnationis rei sunt. Petant ergo cognationis hujusmodi vinculo obstricti relaxationem, juxta ea, quæ nuper dicta sunt. Admodum raro tamen, & non nisi ex graviori aliqua causa relaxationes hujusmodi, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem concedi solent.

DECRETUM VIII.

CXCI. CUM hactenus in hac Diœcesi impedimentum cognationis, quoad aliquos gradus ulteriores jure Ecclesiastico initum, non satis perspicue innotuerit, nec satis fuerit compertum, facultatem illud relaxandi propriam esse Sedis Apostolicæ, hinc factum est, ut hujus Ecclesiæ Præsules, quantumvis à Sede Apostolica non delegati, impedimentum hoc sæpe numero relaxaverint, atque adeo complures longe ante conjugia sic inierint, & sine ullo conscientiæ angore, tanquam veri conjuges vivant, opportune Synodo, ad consulendum veræ tranquillitati conscientiarum, visum fuit, ut prædictos conjuges à cognationis impedimento solveret R. Metropolita, ea facultate, qua in his Regionibus pollet, sibi delegata per Diploma, sive Breve Gregorii Papæ XIII. felicis recordationis, ad petitionem P. P. Societatis Jesu, ac per Clementem Papam VIII. nunc Dei Ecclesiam gubernantem confimatum; quapropter hac utens facultate, & consultis etiam laudatis Societatis Jesu Patribus, ad sedandas conscientias eorum, qui freti concessionibus omnino irritis, contraxere connubia, prælaudatus Dominus omnes, qui prædicto modo irrite contraxerint, solvit ab omni impedimento, (a) orto à quocumque cognationis,

 sive

(a) Per quam opportune, & ex Ecclesiæ mente, & benignitate in hoc dispensavit Synodus, dicente Gelasio Ep. ad Episc. Luc. *Necessitas temporum præcepta relaxanda disposuit*. Omnino etiam juxta stabilita a Conc. Trident. *Sess. 25. Decr. de Reform. Cap. 18.* dicente: *Publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare: id fiat causa cognita ac summa maturitate atque gratis*.

Digitized by Google

sive spiritualis, sive corporalis, sive consanguinitatis, sive affinitatis gradu, ex iis, in quibus ex jure Ecclesiastico, si Matrimonium contrahatur, contractus nullam firmitatem habet, & omni caret effectu. Hanc insuper relaxationem firmam ratamque haberi vult, perinde acsi illa singulorum conjugum, qui illa indigent, expresse, & singillatim nomina recenserentur; quantumque de jure potest, ac debet, id totum tanquam factum accipi vult. Duo tamen hac in re præcipiuntur, primum à R. Metropolita, ut nempe conjuges hujusmodi ad majorem suæ conscientiæ securitatem, clam suis in domibus, vel ubilibet, ad ipsorum arbitrium, iterum Matrimonio copulentur coram quolibet Sacerdote (cuilibet enim ad id facultatem impertitur) & coram duobus testibus, juxta præscriptum Concilii Tridentini. Alterum quod à Synodo præcipitur, est ne in posterum relaxationes hujusmodi ab impedimento cognationis concedantur, nisi ad normam Diplomatum, sive Brevium, quæ in his partibus ad hunc effectum à Sancta Sede Apostolica habentur: si vero secus relaxationes hujusmodi concedantur, irritæ prorsus erunt, & Matrimonia sic contracta, infirma prorsus, & nulla.

DECRETUM IX.

CXCII. UT in omnibus Ecclesiæ universæ se conformet: prohibet Synodus, quod ab illa prohibitum est, (a) ne scilicet Nuptiæ celebrentur à prima die Adventus Domini, usque ad diem Epiphaniæ; necnon à quarta feria cinerum, usque ad

(a) Ita habet Trident. *Sess.* 24. *Dec. de Reform. cap.* 9. Canone autem *ejusdem* 11. anathemate ferit nonnullos dicentes, quod prohibere nuptias certis anni temporibus, superstitio esset tyrannica, ab Ethnicis profecta. Primum omnium quod nobis videre licuit Concilium, quod id statuerit, Illerdense est *anno* 1246. laudatum *a Gratiano* 33. *q.* 4. Quocirca adnotaverimus: duplici tempore nuptias Ecclesiam prohibuisse, tempore nimirum jejunii aut pœnitentiæ, & tempore orationis, vel devotionis. Propter illud vetitæ sunt ab Adventu usque ad Epiphaniam, & a feria 4. Cinerum ad Pascha, aut sicut statuit Illerdense a septuagesima, & idem Nemausense *anno* 1284. & nostra Synodus a Quinquagesima. Ob alteram rationem cautum est in Aquisgranen. *Can.* 18. *anno* 836. ne fiant nuptiæ die Dominica: Illerden. excipit tres hebdomadas ante festum Præcursoris, & in quibusdam Germaniæ locis, teste Mabillon. *in Itin. Germ. pag.* 46. dies triginta post Assumptionem Deiparæ: sæpius autem vetantur ratione devotionis, & pœnitentiæ simul, ut IV. & VI. feria; ut *in Excerptis habetur* Egberti Eboracen. *cap.* 106. Quæ omnia non tam intelligenda sunt de nuptiis, secundum se consideratis, quam de solennitate nuptiarum, quæ præsertim in Benedictione nuptiali consistit; quod optime explicat formula Hispanis usitata pro eo tempore, ubi non edicitur quod prohibentur nuptiæ, sed ita habet: *Se prohiben las velaciones*: id est, prohibetur hoc tempore conjuges velare, aut velum super illos cum benedictione expandere.

Digitized by Google

ad diem Dominicum post Pascha, qui tamen dies est in ipsa prohibitione inclusus, nec solum hanc temporum exceptionem, juxta Ecclesiæ sanctionem vult inviolabiliter servari; sed insuper servari vetustissimam hujus Ecclesiæ consuetudinem, juxta quam cum Quadragesimale jejunium inchoetur à die Dominico, qui dicitur quinquagesimæ, ab hac die pariter obligat, & servari debet nuptiarum prohibitio. Aliis vero diebus, quantumvis esurialibus, prout cuique visum fuerit, Nuptiæ celebrari poterunt.

DECRETUM X.

CXCIII. CUM in hac Diœcesi nulla ætatis contrahentium connubia ratio habita fuerit, idque Sacris Canonibus adversetur, præcipit Synodus, ne vir ullus, qui decimum quartum ætatis annum, nec femina ulla, quæ duodecimum non exegerit, Matrimonio copulentur. Declarat insuper, Præsules legem hanc relaxare non posse, sed ipsorum tantummodo esse, si quis citra ætatem illam contrahere velit, ad examen revocare, an ad Matrimonium idoneus sit necne: Quodsi deprehenderit, malitiam ætatis defectum supplere, poterit ipsi facultatem contrahendi impertiri, quod tantum fiat justis de causis, ut ut consultius sit conscientiæ contrahere volentium; ac ne Ethnicorum a teneris annis contrahentium imitatio in hac Diœcesi, in qua complures sunt novennes, & decennes; immo etiam minoris ætatis, jam uxorati, latius propagetur, & in dies magis, ac magis augeatur; opportune decernit Synodus, relaxationem concedendam, ac supplementum ætatis protendi non posse ultra quatuor menses in viris, & sex in feminis: neque facultatem ad id intra nuper præfinitos temporis limites, à Vicariis concedi posse, sed unice à Præsulibus; Quodsi qui infra decimumquartum annum si viri, infra duodecimum si feminæ, absque speciali facultate à Præsule obtenta, contraxerint, sciant, Matrimonium sic contractum, non esse verum Matrimonium, sed tantummodo sponsalia, sive Matrimonii sponsionem. Sacerdotes autem, qui Matrimonia hujusmodi admiserint, Ordinum exercitio, & Ecclesiasticis proventibus per semestre priventur, & contrahentes, donec requisitam impleverint ætatem, sejungantur.

DECRETUM XI.

CXCIV. CUM plures ex uxoratis in hac Diœcesi, non expectata Ecclesiæ sententia, cujus est de cunctis causis Matrimonialibus cognoscere, ab Uxoribus divertant, (a) sicque separati diu maneant, ac sæpe pluribus, gravibusque irretiti peccatis, Synodus de hac re certior facta, prohibet has separationes absque Ecclesiæ mandato fieri, atque ita separatos vult, anathematis, aliarumque ad arbitrium pœnarum comminatione compelli à suo Præsule ad redeundum ad proprias Uxores; si vero id neglexerint, declarari anathemati subjectos, quousque denuo conjungantur, si autem forte habeant justam separationis causam, Præsuli eam exponant, qui quod æquum, justumque fuerit judicabit, per censuras etiam, si post primam sententiam legitime appellaverint, cogantur finali sententia acquiescere, per quam lis alterutri conjugum adjudicata fuerit: declarat insuper, non posse juste viros a suis Uxoribus separari, eo quod pacta dos non fuerit ipsis soluta (b), qua in re viri sibi cavere debebant antequam matrimonium inirent: Si qui ergo hac de causa Uxores reliquerint, pœnis subjaceant, & ad earum contubernium redire, censura anathematis cogantur.

DECRETUM XII.

CXCV. CUM non ignoret Synodus, Captivos nigros horum incolarum Montanorum Servos, cum ceteroquin *Christiani* sint, nec non aliquos alios ex Christianis ibidem degentibus in Silvis, Matrimonia Ethnicorum instar contrahere, innectendo filium Mulieris jugulo, & sine Sacerdotis ullius interventu, declarat hoc ritu Matrimonia non perfici, & post facta hujusmodi matrimonia, virum

(a) Concil. Trid. *Sess.24. Can.12.* sub anathemate statuit, quod Matrimoniales causæ ad Judices Ecclesiasticos pertinent. Et Rothomagen. *anno* 1231. jubet, quod nec Archidiaconus, nec Rector ruralis, nec Monachus, aut quivis alius, sine privilegio eas causas judicet: unde conjuges propria auctoritate, separationem thori possunt facere ob fornicationem alterutrius, non vero quoad cohabitationem, quæ judicio Ecclesiæ fieri debet; nisi adulterium fuerit omnino publicum, & notorium.

(b) Dos non soluta frivola est causa; ceterum etiam hujusmodi videtur ea quam *lege Ecclesiast. 12. Regis Vvaliæ Hoeli Dha* legimus; ubi assignatis causis divertendi conjuges, impotentia & lepra, adjungit aliam nempe: *Si fœtidum Vir habeat anhelitum*. At neque lepra superveniens sufficiens reputatur causa dissolutionis, immo neque separationis: *ex Tit.8. lib.4. Dec.* sufficit tamen ad solvenda sponsalia de futura.

Digitized by Google

rum, & mulierem convictum habentes, assidui concubinatus reos esse; qua de causa præcipit; ut qui tali pacto contraxerunt, in Ecclesiam adducantur, ac per Vicarios juxta formam Concilii Tridentini, & juxta ea, quæ fuerunt superius præscripta conjungantur; præterea ut Vicarii in captivorum connubia diligenter inquirant, & in hujus decreti executione procuranda omnem operam impendant: Præsules etiam ad arbitrium puniant Dominos; qui hujusmodi Connubia Captivis, aut familiaribus suis permiserint, vel sic conjunctos in hisce simulatis Matrimoniis perseverare, multoque magis, si eos ritè contrahere volentes, ad Ecclesiam non adduxerint. Omnes demum, quorum interest, animadvertant ingens detrimentum, quod suis conscientiis hæc permittendo inferunt, & perniciem plane deplorabilem, quæ hisce malis exemplis in illarum Regionum Christianos omnes derivatur.

DECRETUM XIII.

CXCVI. CUM compererit Synodus, Monticolarum Christianorum non nullos, prima superstite, aliam uxorem in facie Ecclesiæ duxisse, non sine gravi injuria Matrimonii Sacramento irrogata, præcipit Vicariis omnibus, ac Parochis, ut dum ad proprias pervenerint Ecclesias, in hos polygamos (*a*) inquirant, & siquos tales esse deprehendant, ad cohabitandum (*b*) cum prima omnino compellant; renuentes vero à fidelium communione segregati declarentur, quandiu non obedierint; secundæ verò uxores, ab ipsorum domibus, ac contubernio ejiciantur: quæ & inquirendi, & puniendi ratio indiscriminatim exerceri debet in omnes, qui ejusdem criminis rei comperti fuerint, donec aliis ejectis, cum prima uxore cohabitent. Poterunt etiam delinquentes hujusmodi ad arbitrium Præsulis, vel Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, cujus est etiam de causis hujusmodi judicare, pœnis aliis puniri.

(*a*) Famosissima æque ac turpis habetur Polygamia Philippi Landgravii H[illegible] de consilio Lutheri, Buceri & [illegible]ctonis, consentiente etiam u[illegible] Christina, duxit Margaritam de [illegible]; tabulis scriptis die 4. Martii a[illegible] 1540.: adisis Cl. Bossuetii *Hist. Variat. lib.6. pag.231. Edit. Albrixzii an*[illegible] *ni* 1[illegible] [illegible] Luth. habetur *pag.261.* [illegible]trum. Copul. *pag.275.*

(*b*) Bracmanes strictum admittunt matrimonii contractum; perpetuum ac indissolubile, vehementer aversantes Polygamiam: vide P. a S. Cathar. Senen. *lib.3. cap.13.*

Digitized by Google

DECRETUM XIV.

CXCVII. CHristianos quam maxime dedecere, inanem fortunatorum eventuum spem, qua illuduntur, superstitiosis ritibus fovere, in dubium revocari non potest. Id tamen perversi aliqui Christiani Ethnicorum imitatores, non sine Christianæ, quam profitentur, religionis dedecore facere consueverunt. Nam & Ethnicos & superstitiosos Cassanarios adeunt, qui illis faustos dies, (a) horasque ad celebrandas nuptias prænuntient; & ipsa nuptiarum die quosdam circulos delineant, intra quos Orizam (b) ponunt, ibique certas aliquas personas, diabolicis quibusdam ceremoniis præmissis, collocant: præterea pone ipsorum januas quasdam describunt figuras; demum ceremonias quasdam faciunt, admixtis precibus, quas annulum Salomonis appellant: quæ omnia ad matrimonii faustitatem impie ordinantur. Hos vero diabolicos omnes, ac superstitiosos ritus, quos reprobat Sancta Mater Ecclesia, severe prohibet Synodus, hortaturque cunctos Christifideles, ne illos suis in domibus exerceant, vel exerceri permittant. Qui vero vel exercuerit, vel permiserit, per annum separetur, ac pro arbitrio Prælati acriter puniatur: eamdemque pœnam subeant, qui Ethnicos adierint, pro diebus faustis eligendis.

DECRETUM XV.

CXCVIII. QUIA exploratum est Synodo, quod dum Christiani hujus Diœceseos, sponsalia celebrant de *futuro*, atque matrimoniales contractus, id faciunt, adhibitis quandoque superstitionibus, & idololatricis ceremoniis; ac præterea non raro contrahentes non attingunt ætatem (c) requisitam ad hujusmodi con-

(a) Ominosum esse uxorem ducere Mense Majo, atque Matrimonium celebrare in die S. Joseph, esse faustissimum, ut stulta opinatio & error notatur a Concil. Burdigalen. *anni* 1624. *Cap.*7. *num.*5., & rum ritibus detestitio ab antiquis Romano- *v.*490. *Majo Mense malum nubere.* Ovid. *Fast.*5. *gus ait.*

(b) Oryza in nuptiis uti, non absimilis est superstitio illi, quæ inter contrahendum in usu fuit apud Romanos, qui farre nuptias celebrabant, & per frugem & molam salsam conjugebantur per Pont. Max., seu Dialem flaminem: unde *confarreati* & *confarreatio*, dicta sunt.

(c) Ad normam hujus Decreti, simile edidit proIndis, Card. Turnonius an., 1704. vetans, impuberum connubia, etenim Infantes sex aut septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate matrimonium indubiis, decla[illegible] contrahebant. Exortis etiam dubiis, [illegible]um fuit a Cong Emorum *anno* 1733. servanda[illegible] esse formam a Tridentino Conc. præscriptam, ubi publicatum sit, & ejus observantia non sit impossi-

Digitized by Google

consensus; & superstitiosos hujusmodi ritus prohibet Synodus, & jubet, in posterum celebrari sponsalia a contrahentibus, qui debitam habuerint ætatem; itaut id, quod agunt, mature advertant, nec puerili quadam facilitate consentiant. Si vero Parentes, Filiorum impuberum nomine pacisci velint, id faciant per simplicem scripturam, vel contactis de more manibus, aut alio quocumque modo, nihil superstitiosi præseferente, secus per Prælatum graviter puniantur: Præcipit insuper Cassanariis in virtute sanctæ obedientiæ, ne sponsalibus hujusmodi superstitione commistis, intersint, ne ipsorum præsentia, ac authoritate, ea approbare videantur.

DECRETUM XVI.

CXCIX. REprobat Synodus pravum usum in hac Diœcesi inolitum, quo recentes Sponsi abstinent ab ingressu in Ecclesiam ante quartum diem a celebratione Matrimonii; sicuti etiam usum alium adhibendi occasione nuptiarum lavacrum: Quod videtur redolere judaicas ceremonias per Christi legem jam diu abrogatas. Immo novis Sponsis plurimum Synodus commendat, ut qualibet indiscriminatim die, Ecclesias adeant, ibique preces fundant: si vero die festo, vel Dominico, quando urget præceptum, Ecclesiam non adierint, pro certo habeant, se Missam non audiendo graviter peccaturos, nisi alia ex justa causa id omiserint: Quantum autem ad lotiones, nulla ratione sibi suadeant, eas vel ad spiritualem animarum salutem, vel ad Divinum cultum, & ad templorum reverentiam pertinere.

ACTIO VIII.

bilis; quàm declarationem confirmavit Clem. XII. anno 1734. in Constit. *Compertum*; cui novum robur addidit Bened. XIV. anno 1744. Constit. *Omnium sollicitudinum*.

ACTIO VIII.

De Reformatione rerum Ecclesiasticarum.

DECRETUM I.

CC. UNiversa Ecclesia Catholica ab Spiritu Sancto aflata, & edocta, ad melius Christifidelium regimen, commodioremque Sacramentorum administrationem, provincias totius Catholici Terrarum Orbis in Diœceses distribuit suis subjectas Episcopis: Diœceses itidem in Parœcias, suis singillatim (a) Parochis commissas; ut quemadmodum Diœceses inque iis degentes fideles, uni Episcopo, ac per ipsum Papæ, ac Pontifici Romano, tanquam omnium universali Pastori, Ecclesiæ Capiti, atque Christi in terris Vicario subjiciuntur: sic etiam fideles incolæ uniuscujusque Parœciæ uni subderentur Parocho, ac Vicario, qui ipsis Sacramenta ministraret, essetque illorum pastor, animarumque sibi commissarum curam gereret; ac rursus per eum Episcopo, per Episcopum Papæ, ac per Papam Christo submitterentur: & quidem hic ordo, inviolabiliter in Ecclesia, toto orbe diffusa, fuit perpetuo servatus. Ex hujus divisionis, ac distributionis neglectu Ecclesia hæc Montensis inordinata adeo, ac informis apparet; quilibet enim libito, & arbitrio suo vivit: nemo est, qui alienam licentiam coerceat: nemo cui animarum cura fuerit commissa: nemo qui designatus Pastor fidelibus, in occurrentibus necessitatibus providè suc-

(a) Priscis temporibus vel Ecclesiarum Parochi erant Episcopi, vel Episcopi Diœcesis erat Parochia, ut ex *Can. Apostol.* 13. apparet, quum præcipit, ut *Episcopo non liceat sua relicta Parochia ad aliam transire*: & sæpius *Parochia* usurpabatur pro *Diœcesi*, ut constat ex Epist. 1. B. Clem. & ex Conc. Antiochen. *Can. & cap.* 18. *anno* 341. Nomen autem *Parochi* a Priscis Romanis usurpatum fuit, sicuti & Pontificis, & Episcopi, quibus postea Ecclesia Hierarchicas dignitates atque munera distinxit, ea profana nomina expiando; Pontifex enim a *facere & posse* dictus, supremæ Ecclesiæ potestati atque solicitudini congruebat: vox Episcopus id est *superintendens* vel *speculator*, nomen est Magistratus apud veteres: unde ad sacros Antistites translatum est: ita & vox *Parochus* quæ a *præbendo* venit, quia illius erat muneris, necessaria hospitibus præbere, ex illo Horat. *Lib.* 1. *Serm. Saty.* 5. *Cum Parochi, quæ debent ligna salemque &c.* maxime convenit Ecclesiarum Præfectis; de quorum primævo munere juvabit legere *Epist.* 5. Frontonis Acad. Parisien. Cancellar. *De origine Parochiar.* Parochiani autem institutio tribuitur Dionysio Papæ anno circiter 261. *in Can. Ecclesias* 13. *quæst.* 1. *& c. Pastoral. de his quæ fiunt a Pral.* De iis omnibus ea, qua pollet Ecclesiastica eruditione pertractat V. Clarifs. Muratorius *Tom.* 5. *Antiq. medii ævi Dissert.* 74.

Digitized by Google

ſuccurrat: nulla demum præfinita Parœcia, nulla curialis Eccleſia, quam adire fideles horum montium incolæ teneantur: Quapropter Synodus, ut malis hujuſmodi occurrat, univerſæ Catholicæ Eccleſiæ morem gerendo, ſtatuit hanc etiam Diœceſim in Parœcias diſtribui, ſingulis attributa parte populi, prout opportunius viſum fuerit; deſignato etiam Vicario particulari, qui curam gerat animarum, ſibi commiſſarum: Caſſanarios autem, & Chamazes, in unaquaque Eccleſia repertos, tanquam Beneficiarios ipſius, Coadjutoreſque Vicariorum, tam in adminiſtratione Sacramentorum, quam divinorum officiorum celebratione, Eccleſiæque ſervitio, prout hactenus, habendos eſſe: fruantur etiam iiſdem emolumentis, & lucris, quibus nunc gaudent; qua in re Synodus nihil ipſis detrahendum cenſet; exceptis tamen iis, quæ ob adminiſtrationem Sacramentorum, non ſine labe ſimoniaca corradebant, juxta decreta *XX.*, *& XXI. De Sacram. Ordinis*, quæ integre, & inviolabiliter obſerventur: Vicarii quoque, & Parochi ſuorum curialium, ſive ſuarum ovium catalogum conficiant, ut de eorum vita, & moribus cognoſcant, eis Sacramenta miniſtrent, & dum ærumnis, & infortuniis premuntur, ſolatium, & auxilium afferant. Parœci autem, ſive curiales uni attributi Parœciæ, nonniſi a proprio Vicario Sacramenta accipere valeant, aut ab alio; de ipſius tamen licentia; prout in Decretis de Sacramentis ſuperius præſcribitur.

DECRETUM II.

CCI. DEclarat Synodus, diſtributionem Paroeciarum, & deſignationem plebis, iis addicendæ, omni tempore ad Præſulem pertinere; itaut quocumque tempore Paroecias dividere, vel unire pro libito valeat, & prout ſibi in Domino magis expedire videatur, pro commodiori Sacramentorum adminiſtratione: undè ipſius eſt Vicarios & Curatos *(a)* Eccleſiis præficere; hos conſtituere, illoſve deponere, ſicuti opportunius viſum fuerit, ut Chriſti oves ſibi commiſſæ, & de quibus rationem eſt redditurus, ſaniori paſtu donentur: in præſentiarum igitur hujuſmodi diſtributionem, diviſionemque Paroeciarum, & Parochorum R. Metropolitanus in proxima ineunda viſitatione Eccleſiarum inſtituet dividendo, aut uniendo, prout prudenter arbitrabitur,

 resque

(a) *Curatus* dicitur a *Cura*, & a ſactis ædibus, in quibus degunt, quæ veniunt latine nomine *Curiæ*: unde Eccleſiæ Parochiales & accolæ illarum *Curiales* recte nominantur. Vide Pignatel. *tom.6. conſ.98. num.20.*

Digitized by Google

resque alias, completa jam Synodo disponet, quas Synodus eadem necessarias judicaverit. Vicarii etiam à Metropolita singulis Paroeciis designabuntur. Justis demum de causis, & quia id ad commune Ecclesiarum bonum, earumque regimen conducibilius censuit, vetat Synodus Vicarios deputari perpetuos; sed singulos ad Præsulis nutum (*a*) amoveri posse decernit.

DECRETUM III.

CCII. PRæterea declarat Synodus, nullum Cassanariorum duabus (*b*) posse præfici Ecclesiis, & ab iis fructus percipere, juxta Sacros Canones, & quoniam in hac diœcesi ex pravo usu à longo tempore introducto, plurimi duabus, aut etiam tribus Ecclesiis, quantumvis inter se longe dissitis, veluti propriis, sibique commissis præsunt; eo quod ab ipsorum consanguineis fuerint extructæ, vel aliis de causis, declarat Synodus, quod ubi illæ in Paroecias erigantur, nulla in eas illis relinquitur jurisdictio, nec in ipsis aliquid præcipere, vel de re aliqua disponere in posterum poterunt; id enim ad proprios ipsarum designatos Vicarios ex integro pertinebit: qui verò contrarium attentaverint, à communione Fidelium segregati declarentur, & pro arbitrio Prælati tanquam perturbatores plectantur: ceterum optat Synodus, ut ex iis Cassanariis, sive Ecclesiarum Præfectis, qui ad tale munus idonei fuerint, nulloque impedimento præpediti, ad aliquam ex erectis Paroeciis promoveantur, prout Reverendissimo Metropolitano videbitur: permittit tamen Synodus Præsuli, quod si ipsi non suppetant tot Sacerdotes idonei, quot pro cunctis Ecclesiis desiderantur, aut non omnes commode sustentari valeant, uni duas (*c*) commendare possit Ecclesias: ita tamen disiunctas, ut utramque regere sine ullo animarum detrimento, & in utraque Sacramenta ministrare valeat; quod tamen absque urgenti, & inevitabili causa non fiat. DE-

(*a*) Utitur hic Synodus facultate Tridentini *Sess.7. cap.7.* quod per Vicarios etiam amovibiles, cura animarum exerceri possit. Constit. autem S. Pii V. abstulit hoc arbitrium Episcopis, & præscripsit formam deputandi Vicarios perpetuos; alia demum in Bulla: *Ad exequendum*.

(*b*) Sancitum fuit in Concil. Lateran.3. Gen. *anno* 1179.: *Ne quis multas habeat parochiales Ecclesias, sed unam quisque, in qua resideat*: ita *Capit.*13. In Concilio vero Emeritens. *anno* 666. statuitur, quod si uni Presbytero plures sunt Ecclesiæ commissæ, *in singulis sacrificium offerat, singulis Dominicis*.

(*c*) Consonat hoc decretum cum Concilii *Tolet.*16. *capite* 7. & cum *Capitulo* 19. Emeritensis modo laudati, in quo habetur, quod *Sacerdotali decreto Presbytero uni, plures extant commissæ Ecclesiæ*: vocatur autem ibi ille Presbyter *Parochitanus*; fortasse ex inflexione Hispanæ vocis illius ævi, *Parrochiano*.

Digitized by Google

DECRETUM IV.

CCIII. QUoniam plurimæ hujus Diœcesis Ecclesiæ cum ingenti Christianorum, ibi degentium damno, Cassanario destituuntur; itaut per annum integrum, immo etiam per plures, nec sacrum audiant, neque Sacramenta percipiant: quod innotuit R. Metropolitano, qui in peracta visitatione Ecclesiarum deprehendit, in earum aliquibus quinquennio, vel sexennio, nullam fuisse Missam celebratam: plurimos item pueros, & etiam natu majores non fuisse baptismate ablutos; præcipit Synodus, ut nulla ex Ecclesiis in Paroeciam (a) erigendis, ne modico quidem tempore absque Parocho, & Vicario, qui fideliter Sacramenta ministret, relinquatur, utcumque abjectus, & exiguus fuerit populus: in quo plurimum vigilantiæ exigit à Prælato. Verum nisi reperiatur Cassanarius aliquis, qui eo loci (quod non infrequenter accidit) pergere velit, declarat Synodus, jus esse Præsulis, quos voluerit, ad hanc Ecclesiarum curam pœnis etiam & censuris compellere, ordinibus etenim initiantur, ne fidelium necessitati desit, qui succurrat. Id quod præsenti decreto Synodus statuit: congrua vero alimenta ab ipsis accipiant Ecclesiis.

DECRETUM V.

CCIV. CUM Synodo innotuerit, plures esse Vicos, & pagos in ista Diœcesi, in quibus, eo quod longe ab Ecclesiis distent, vix vestigium aliquod Christianæ religionis superest; nam neque incolæ baptizantur, nec quidquam retinent, quo ab Ethnicis distinguantur, nisi purum nomen; Christiani enim S. Thomæ appellantur: quod quidem tribuendum magna ex parte est socordiæ Præsulum Schismaticorum, qui hanc Ecclesiam gubernarunt; præcipit Synodus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Cassanariis in Ecclesiarum Vicarios instituendis, ut statim ac ad suas Ecclesias pervenerint, de populis, ac christianis, fortasse in pagis aut vicis, suæ Paroeciæ finitimis, diligenter inquirant, & si quos repererint, de iis R. Metropolitam certiorem reddant, qui quod facto opus fuerit, ad Dei obsequium, animarumque profectum provide exe-

(a) Parochia dicitur a Parocho, quæ etiam vocatur Paroecia, id est *accolatus*, sive *accolarum conventus*, aut sacra *vicinia*: unde accolæ appellantur proprie *Paroeci*, qui Hispano idiomate *Feligreses*: ejusdem scilicet fani, accolatus consortes. Qui de Paroecis & Paroeciis plura velit, consulat Thomasin. *Disciplin. Par. 1. lib. 2. cap. 2.*

quetur. Nec ipse hanc inquisitionem omittet in proxima Ecclesiarum visitatione: ubicumque autem hujusmodi non baptizatæ gentes reperiantur, erigantur Ecclesiæ, quibus constituatur Vicarius, qui has gentes veraci, ac sinceræ Christianæ Religionis professioni, ac usui Sacramentorum Ecclesiæ restituat.

DECRETUM VI.

CCV. CUM Travancoridis Ecclesia pessum ierit, ac Christiani pene omnes, ab annis quadraginta ad Idololatriam, ac ritus, ceremoniasque Ethnicorum defecerint: nec qui notabili hoc spatio temporis nati sunt, baptismum susceperint; idque non alia de causa, quam quia per annos plures ea Ecclesia Sacerdotibus destituta (a) fuit, ob distantiam a ceteris Ecclesiis, cum tamen adhuc in illa probi aliqui Christiani perseverent; præcipit Synodus, ut in illa non secus ac in reliquis, Vicarius constituatur, qui quantocius eo pergat, ad instaurandam Ecclesiam illam; plures etiam Sacerdotes alii, & Prædicatores eo mittantur, qui gentem illam ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, & Catholicæ Fidei professionem reducant, ut Illustrissimus Metropolita præcepit, cum rem hanc cum eadem Gente transegit, ejusque plures baptizavit: quin immo hortationibus ipsius, & rudes illi Incolæ designandum Vicarium acceptarunt, & Rex ipse Travancoridis facultatem dedit perpetuo consulendi in posterum huic Ecclesiæ, juxta ipsius necessitatem.

DECRETUM VII.

CCVI. AD Synodi notitiam pervenit, in confiniis terrarum Samorim, Regis Calecutii per quadraginta leucas ab Ecclesiis hujus Diœceseos, in terris prædicti Regis ditioni subjectis, quemdam inveniri Pagum dictum, *Todamala*, cui olim adjunctæ fuerunt aliquæ Christianorum Coloniæ primitus ad hanc Ecclesiam attinentes; qui Christiani cum modo nihil nisi merum nomen retineant, præcipit Synodus, ut ex hac Ecclesia illuc Sacerdotes, ac Prædicatores mittantur, qui eos ad Catholicam fidem reducere studeant,

(a) Inter Sanctiones & Decreta Concilii Nicæni apud Harduinum *Tom.* 1. *Collect. col.* 509. §. 1. præscribuntur, *Canones sive officia Deo debita, a Viris & Mulieribus, Præsules non habentibus, qui eos avertant a malis viis; neque Episcopos, neque Monachos, qui eos regant, sed sui ipsimet sunt juris*: in ejusmodi Ecclesiasticorum penuria quam maxime consulendi; nisi destruerent ad calcem, quod initio supponunt.

Digitized by Google

deant, & sacro abluant Baptismate; etenim ex solicitudine, qua suam locavit operam Rev. Metropolitanus, ea in spe sumus, ut quod ad eos Christianos attinet, facile ad bonam frugem redituri sint; eo vel maxime, quod uno Sacrorum Ministrorum defectu a Christianæ Religionis semita discesserunt. Itaque Synodus prædictos populos Domino Metropolitano commendat, eorum etiam curam perpetuo gerendam huic Ecclesiæ committit.

DECRETUM VIII.

CCVII. CUM multiplicis Sancti Olei usus à Christo Domino fuerit institutus, atque adeo Oleum Chrismatis, pro materia Sacramenti Confirmationis, Oleum infirmorum pro unctionis extremæ Sacramento adhibeatur: præcipiantur insuper in eadem Sancta Ecclesia aliæ sacræ unctiones Oleo Catechumenorum perficiendæ; Cumque ex traditione Apostolorum, & Patrum Ecclesiæ doctrina, constet hujus multiplicis Sacri Olei usum a Christo fuisse commendatum in ultima cœna cum discipulis suis celebrata; Synodus, cui compertum, exploratumque est, Sacri Olei usum in hac Diœcesi nullum usque hactenus fuisse; immo fuisse penitus (*a*) ignotum, præcavendi ergo in posterum hoc malum, præcipit, ut in singulis Ecclesiis curialibus, sive parochialibus habeatur pyxis tribus discretis vasculis instructa ex argento, stanno indico, aut vitro, in quibus multiplex Sacrum Oleum reverenter, decenterque asservetur, quæ vascula insuper peculiari signo distinguantur, ne in eorum usu oriatur confusio. Vicariis insuper mittendis præcipit, ut hinc non nisi pyxidibus pro qualibet Ecclesia instructi discedant, quas illis Rev. Metropolitanus tradet, eas enim oleo refertas apud se habet, quod multiplex Oleum ipse in Ecclesia Carturtensi hujus Diœceseos, proxime elapsa feria (*b*) quinta in Cœna

(*a*) Nestoriani Indi Malabarenses, aliique, qui Sacris Oleis non utuntur, atque pro oleo infirmorum usurpant massam quamdam ex oleo, aqua & pulvere, seu reliquiis alicujus Sancti, quam vocant *Hanana*, seu *Taibutha*, id est *Gratia talis Sancti*, omnino descivere, non modo a doctrina universalis Ecclesiæ, verum etiam a propriis ipsorum Doctoribus, ut facile novitatis revinci possint; quidquid in contrarium nitatur Crozius, de quo vide Assem. *Bib. Orient. tom.* 4. *pag.* 277. omnia erudite atque perpolite enodantem; & *Not. ad Synod. nostram Act.* 4. *Dec.* 14. Apud Orientales Syros oleum infirmorum vocatur *lampas*.

(*b*) Patriarcha Maronitarum benedicit etiam Oleum Sacrum feria V., quam vocant *Mysteriorum*: quod oleum vocatur ab ipsis Maronitis *lampas maior*; contradistincte ad oleum, quod a solis Presbyteris benedicitur quod *lampas minor* appellatur. Hoc autem consecratur a septem Presbyteris, aut saltem tribus, idque ex delegatione, cum sæpissime oleum a Patriarcha benedictum deficiat, eo quod non nisi semel intra septennium illud *lampadis majoris* officium celebret.

Digitized by Google

Cœna Domini adhunc effectum sacris precibus, & benedictionibus expiavit: dictæ pyxides in armariolo clave obsignato reponantur, apud aram maximam, aut Sacrarium, aut prope fontem Baptismatis, eæque sint velo serico coopertæ, ea qua par est decentia, ac veneratione. Si vero Vicarii longe ab Ecclesiis degerint, vel eæ in Sylvis sint conditæ, pyxides illas apud se loco tamen decenti reverenter locent, ne furtis Ethnicorum pateant; utque majori celeritate extremam unctionem deposcentibus succurrant: inter gerendum autem sive ad Ecclesiam pro baptizandis, sive alibi pro ægrotantibus, id muneris semper, quantum res permiserit, Sacerdos exequatur, vel saltem aliquis Chamazius, in Sacris constitutus: quinta insuper feria in Cœna Domini quidquid superfuerit Sacri Olei illius anni, vel infundatur Ecclesiæ lampadibus, & comburatur, vel in Baptisterium projiciatur, & novum deinceps adhibeatur, quod asportandum erit vel e loco, ubi in celebratione Paschatis Præsul Sacris precibus, & benedictionibus illud expiaverit, vel aliunde, ubi illud Præsul postea in singulas Ecclesias distribuendum reposuerit: vacante autem Ecclesia, e Sede de Cochim, facultate habita à Gubernatore pro tempore, & Domino Episcopo Civitatis illius annuente, asportari curent. Quod si Vicarius in sibi comparando Sacro Oleo pro sua Ecclesia, adeo negligenter se gesserit, ut ultra mensem post celebrationem Paschatis eo careat, suspensione ab executione Ordinum, ac proventibus, per semestre à Præsule, qui maxime hac super re invigilet, puniatur, cogaturque insuper illud sibi comparare. Infantes vero qui per id temporis baptismum accipient, Oleo Sacro Baptismatis illuc apportato inungantur; neque Vicarii à Synodo *abscedant*, antequam de multiplicis olei usu, qualitate, & forma ungendi, per Viros ad id per Synodum deputatos, plene erudiantur, ne in Sacramentorum administratione errent.

DECRETUM IX.

CCVIII. QUia plurimum est confusionis in hac Diœcesi, quantum ad observantiam dierum festorum (*a*), quorum violatio lethale peccatum est, quæ observantia complectitur audi-

(*a*) Dominicarum festorumque ordinem per totum anni circulum, a Nestorianis observatum, exactissime recenset Asseman. *Bib. Orien. tom.* 4. *pag.* 380. ex officio divino, Jesujabi Adiabeni jussu ordinato. Qui vero Ecclesiæ Coptorum Alexandrinæ, Sanctorum festivitates scire aveat, consulat Synaxarium Coptorum, in lucem recens editum a V. Cl. Evodio Apameæ Archiep. *pag.* 164. *Bibliot. Mediceæ Laurent. Floren. anno* 1742. typis elegantissimis editæ.

Digitized by Google

auditionem Sacri, & cessationem à servilibus laboribus, à celebratione contractuum, à publicis nundinis, rerumque emptionibus, ac venditionibus: declarat Synodus, sequentes servandos esse dies: nimirum Dies Dominicos totius anni.

Januarii prima Festum Circumcisionis Domini, & in Sexta Epiphaniam.

Februarii secunda Purificationem Dominæ nostræ; & vigesima quarta festum Apostoli Mathiæ; anno vero bissextili die vigesima quinta.

Martii vigesima quinta, Annunciationem Dominæ nostræ.

Aprilis vigesima tertia Sancti Georgii Martyris pro more hujus Episcopatus.

Maii prima festum Apostolorum Philippi, & Jacobi.

Junii vigesima quarta Joannis Baptistæ: vigesima nona festum Apostolorum Petri, & Pauli. (a)

Julii secunda Visitationem Dominæ nostræ: tertia festum Apostoli Thomæ (b); qua die juxta nonnullos fuit translatus; & juxta alios ad has Oras appulit; & solet servari ex antiquo hujus Episcopalis Sedis more: vigesima quinta S. Jacobi Apostoli.

Augusti sexta Transfigurationem Domini juxta hujus Diœceseos consuetudinem; decimaquinta Assumptionem Dominæ nostræ: vigesima quarta Festum S. Bartholomæi Apostoli.

Septembris octava, Nativitatem Dominæ nostræ: decima quarta Festum S. Crucis de more hujus Regionis: vigesima quinta S. Matthæi Apostoli: vigesima nona S. Michaelis Archangeli.

Octobris vigesima septima festum Apost. Simonis, & Judæ.

Novembris prima festum Omnium Sanctorum: trigesima S. Andreæ Apostoli.

Decembris octava Conceptionem Dominæ nostræ: decima octava festum Sudoris (c) Crucis gloriosi Apostoli Thomæ ex more Epis-

(a) Apostolorum festa celebrabant Nestoriani, non iisdem diebus, in quibus eos colit Ecclesia nostra, sed in Dominicis, vel feriis sextis: nullum autem festum aut memoria instituta erat de Circumcisione Domini, & de Virginis Conceptione: & ut scribit Vincent. Mar. à S. Cathar. *lib.* 2. *cap.* 6. nullos colebant festos dies præter Dominicos, nisi festa Christi Domini, Nativitatem & Assumptionem Deiparæ & Apostolorum solemnitates.

(b) Ter in anno memoriam D. Thomæ Apostoli colebant Indi Malabarenses; nimirum *die* 3. *Julii*, 18. *Decembris*, & 21. ejusdem mensis. Vide Gouv. Itin. *Menes. fol.* 77.

(a) Festum hoc institutum est in memoriam sudoris, qui e marmorea D. Thomæ Cruce scaturiit *anno* 1557, in Meliapore, quod ostentum, pluries postea visum est: Vide Gouv. *Itin. Men. fol.* 77. & Dissert. nostras *num.* 48. Nec minus celebris habetur Crux Cranganorensis, quæ cum sit marmorea non secus ac alia, visa est non semel in sublime elevata, atque splendidissimo lumine radians: consule Vinc. Mar.

Digitized by Google

Episcopatus: vigesima prima festum ipsius Apostoli Thomæ; vigesima quinta festum Nativitatis: vigesima sexta in prima octavæ festum S. Stephani Protomartyris: vigesima septima in secunda festum S. Joannis Evangelistæ: vigesima octava, tertia octavæ, festum Innocentium.

Feria quinta in Cœna Domini ab hora, qua inchoatur officium in Ecclesiis, usque ad mediam noctem Sabbati, ex more Ecclesiæ.

Diem Paschatis Resurrectionis, cum sequentibus tribus, quamvis hactenus non ultra duos dies celebritas hæc servaretur.

Diem Ascensionis Domini.

Diem Sacratissimam Pentecostes, cum duobus sequentibus.

Festum Sacratissimum Corporis Domini, Sanctissimi Sacramenti, quod solet in his partibus celebrari, feria quinta post Octavam Paschatis.

Item diem Titularis Ecclesiarum, ac festa Sanctorum principaliorum, quibus dicatæ existunt; in propria tantum Parochia. Declarat præterea Synodus, non esse servandas tanquam solennes, & speciali cultu dignas, ut alicubi erat in usu, sextas ferias à Nativitate, usque ad Quadragesimam; tum quia Sancti, qui in aliquibus earum colebantur, suos aliunde sortiuntur designatos festivitatis dies; tum etiam quia nonnulla ipsorum festorum sunt Hæreticis dicata, ut superius monuimus, quos nefas est festivitate colere: Vicarii itaque curent, populum Dominica die inter Missarum solennia admonere festorum illius hebdomadæ, ut sciat, quæ sint illi colenda.

DECRETUM X.

CCIX. VErum non modo circa dies festos concelebrandos ex præcepto, sed etiam circa dies esuriales, quibus obstringatur hic populus lege jejunii, variæ ortæ sunt dubietates in hac Diœcesi: quamobrem Synodus declarat, ex præcepto servandum esse jejunium diebus (*a*) mox indicandis, tam ex antiquis, quam ex novissime à nobis assignatis: videlicet.

Sacrum, ac solenne jejunium majus Quadragesimæ, quod de more hujus Diœceseos, initium sumit à prima feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ.

San-

lib.2. cap.2.: Cruces autem D. Thomæ eam exprimunt figuram juxta laudatum auctorem, quam præsefert Crux Equitum S. Mauritii in Sabaudia, & ex Gouv. Crux Lusitanica Equitum de *Avis*.

(*a*) De antiquo Nestorianorum ordine circa Jejunia, Vide Asseman. *tom.4. Bib. Orient. pag.387. & Dissert. nost. num.69.*

Digitized by Google

Sanctum jejunium Adventus Domini, quod in hac Diœcesi exactissime servatur, à prima Dominica proximiori Kalendis Decembris usque ad festum Nativitatis Domini.

Februarii prima die in Vigilia Purificationis Dominæ nostræ: vigesima tertia, S. Mathiæ Apostoli.

Junii vigesima tertia in Vigilia S. Joannis Baptistæ; vigesima octava, SS. Petri, & Pauli.

Julii vigesima quarta, in Vigilia S. Jacobi Apostoli.

Augusti duodecima in Vigilia Assumptionis Dominæ nostræ: vigesima tertia, S. Bartholomæi Apostoli.

Septembris septima in Vigilia Nativitatis Dominæ nostræ; decimatertia, S. Crucis: vigesima, S. Matthæi Apostoli.

Octobris vigesima septima in Vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ; & postrema, Omnium Sanctorum.

Novembris vigesima nona in vigilia S. Andreæ Apostoli.

Decembris vigesima in Vigilia gloriosi Apostoli S. Thomæ: vigesima quarta, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi; etsi alias hæ duæ ad jejunium adventus pertineant.

Et ut particularis hæc Ecclesia cum Ecclesia universali consentiat, statuit Synodus jejunandum esse juxta præceptum universalis Ecclesiæ, quatuor anni temporibus: nimirum quarta feria, sexta, & Sabbato immediate post diem Dominicam primam Quadragesimæ; quæ tamen jejunia in quadragesimali jejunio continentur. Similiter feria quarta, sexta, & Sabbato immediate post Festum Pentecostes: prima quarta feria, sexta, & Sabbato immediate post Festum S. Crucis mense Septembris: prima quarta feria, sexta, & Sabbato post festum S. Crucis ad decimam tertiam Decembris; quæ jejunia comprehenduntur in jejunio servari solito diebus anniversariis Adventus Christi.

CCX. Approbat insuper Synodus jejunium præmitti solitum ad Assumptionem Dominæ nostræ à prima Augusti, usque ad illud festum, & ad Nativitatem ejusdem Dominæ, à prima Septembris usque ad festum ipsius: & jejunium quod vocitatur Apostolorum, à prima die post festum Pentecostes, per quinquaginta sequentes dies, quippe quæ optime, ac laudabiliter instituta sunt: quamobrem optaret Synodus ea servari nunc, sicut antiquitus à primis Christianis in hac Regione servata fuerunt: Nihilominus quia quantum ad hæc jejunia multiplex fuit consuetudo, & ex opinionum varietate multiplex perturbatio, & conscientiarum hæsitatio, declarat Synodus, neminem ad hæc jejunia servanda gravi præcepto obstringi, & habenda esse in posterum tamquam opera omnino

Digitized by Google

voluntarie suscepta, & quæ supererogantur, nec his diebus ad cibos esuriales quemquam esse cogendum.

Quantum vero attinet ad triduum jejunii Jonæ Prophetæ, quod appellant (a) *Munaneba*, & exordium sumit decima octava die primam Quadragesimæ diem præcedente, ob ipsius antiquitatem, & sanctitatem, optat Synodus diligenter servari; verum quia Christiani, per hos solent convenire dies in Ecclesiam, ibique manducare Nerchas, (b) quæ parantur, laudatum triduanum jejunium non graviter præcipit; omnes tamen gravi præcepto obstrictos esse vult, ad non comedendos memoratis diebus, nisi cibos quadragesimales.

Debent itaque Vicarii Dominicis diebus in suis Ecclesiis denuntiare populo jejunia illius hebdomadæ, ut admonitus ea servare possit, nec ignorantia excusetur.

DECRETUM XI.

CCXI. COmmendat Synodus laudabilem consuetudinem, qua Christiani hujus Diœceseos servant quadragesimale jejunium abstinentes ab ovis, lacticiniis, caseo, piscibus, & vino; immo & ab Uxoribus, (c) toto eo temporis intervallo; quæ quidem omnia vult servari inviolabiliter etiam in posterum; sicuti etiam quod jejunia inchoentur feria secunda post Dominicam quinquagesimæ: ut autem nonnulli tollantur introducti pravi usus, declarat legem jejunii non solum exigere abstinentiam à vetitis obsoniis; verum etiam postulare, ut nonnisi semel in die, præfinito tempore sumantur cibi, ceteroquin liciti: post occasum autem Solis, quibus opus fuerit bibere, aut libuerit, ne haustus noceat, escu-

(a) Legendum esse videtur *Munnanorba*, quod est jejunium trium dierum, ex Malabarico *Munna*, id est *numerus ternarius*, & *Nojerba*: *jejunio*: non vero *Munaneba*, ut in textu Synodi, aut *Monobbio*, ut scribit Vinc. M. *lib.2. cap.6.* Vide supra *num.132.*

(b) *Nercha* est convivii parandi turbæ fidelium in Ecclesiam certis solennitatibus confluentium, votum seu sponsio: in quo fercula oryzæ, & fructus aliqui, nucis Indicæ lacte conditi exhibentur, longo ordine cunctis utriusque sexus etiam inopibus intra Ecclesiam in terra considentibus; Sacerdotes autem in gradibus sedent altaris. Fit conviviumperacta Missa, in qui omnes communicant; recitatis prius quibusdam precibus, quas finito prandio prosequuntur. Quæ convivia priscasagapes non modo referunt, sed æmulantur. Quum ea fiunt pro defunctis vocantur *Chata* aut *Ceruta*. Nercha autem plerumque fit in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, & in præcipuis solennitatibus; & in aliquorum nuptiis.

(c) Id omnino conforme est pristinæ disciplinæ Ecclesiæ; auctor autem Alcorani, morem istum, quem alioquin observari præcipiebat, ita elusit ut juberet, omnino ab uxorio congressu temperare tempore jejunii; cumque Mahometanorum jejunium servaretur ab ortu Solis ad occasum usque, reliqua erat tota nox, qua licite veneri indulgere possent. Vide *Bibliot. Mediceam.*

Digitized by Google

esculenti non nisi modicum quid, & leve, instar jentaculi sumatur, quod humanæ imbecillitati permittit Ecclesia. Si vero vel qualitatem, vel quantitatem ciborum in vespertino jentaculo non servaverint, vel ultra prandium, & permissum jentaculum comedant, sciant se frangere jejunium, & lethalis peccati reos esse. Illud insuper advertant, quod si ex fragilitate, vel malitia die aliquo præceptum jejunii violent; non exinde non amplius obstringi diebus reliquis lege quadragesimalis jejunii, ut plures putant, sed quocunque die jejunium fregerint, novo se alligari lethali peccato sciant, juxta numerum reliquorum dierum, in quibus jejunare desierint. Præterea sciant jejunium servandum esse diebus festis etiam solennioribus, si tempus præscripti jejunii festos hujusmodi dies comprehendat, exceptis solis diebus Dominicis, in quibus Christianis non licet jejunare. Quamobrem quotquot pravi usus, & falsæ opiniones in materia jejunii in hac Diœcesi irrepserunt, corrigendi sunt, & radicitus evellendi.

DECRETUM XII.

CCXII. DEclarat Synodus jejunandi præceptum, quantumvis urgentissimum non obstringere pueros, & adolescentes ante vigesimum primum ætatis annum, nec senes ætatis admodum provectæ, & debiles; ægrotos, Mulieres prægnantes, aut filios lactantes, nec serviliter laborantes licite, & assidue ex inevitabili necessitate, & obligatione, si labor talis sit, ut à jejunante exerceri sine detrimento non possit: nam personæ prædictæ solum debent servare jejunium, quantum ad abstinentiam à cibis vetitis, atque adeo vesci cibis esurialibus. Excipiendi tamen sunt ægroti, quibus licet vesci ipsorum sanitati congruentibus ferculis; similiter excipiendæ sunt Mulieres prægnantes, quæ possunt cibum aliquem etiam ceteroquin vetitum (a) comedere, si illum concupiscant, quod ipsis permittitur, ne sequatur abortus, ut assolet.

(a) Inter alias abortus causas assignatur tibi alicujus denegati desiderium, & vehemens appetitus aliquid videndi, olfaciendi &c. & quanquam aliqui putaverint illud desiderium fœtus esse, non autem Matris, contrarium probabilius apparet cum Cardoso *in Phil. libera Quæst.* 101, vera ergo causa abortus juxta illum est *Molestia naturæ* (feminæ) *illata*: quæ ea de causa memoro, ut Casuistæ rigidi, non omnia denegent prægnantibus; cavere autem eæ debent inter alia, *a nimio usu potionis illius dulcis & aromaticæ, quam dicunt Cocolate*, quæ ex eodem auctore abortum ciet: at erit id surdis canere.

DECRETUM XIII.

CCXIII. DAmnat Synodus stultam opinionem eorum, qui sectantes Ethnicorum superstitiones, censent inutile sibi fore jejunium, nisi primo mane corpus laverint; vel si quempiam de stirpe abjecta tetigerint; quamobrem adhuc Nairesad jejunium servandum, coguntur lavacrum adhibere: declarans itaque Synodus, neque lotiones hujusmodi, neque vitationem prædictorum superstitiosorum contactuum nulla ratione pertinere ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ servandum, neque ad Christianæ Religionis professionem, præcipit, ut a Præsule acriter puniantur harum vanarum superstitionum Sectatores, quas etiam atque etiam exoptat a cordibus Christi Fidelium hujus Ecclesiæ penitus eradicari.

DECRETUM XIV.

CCXIV. QUamvis Synodus approbet laudabilem consuetudinem hujus Diœceseos, sacrum inchoandi quadragesimale jejunium, à feria secunda post Dominicam quinquagesimæ, nihilominus ut hæc Ecclesia in tam salutari ceremonia Sacræ Ecclesiæ universali se conformet, statuit, ut feria (*a*) quarta subsequente cineres ritu sacro lustrentur, iisque à Sacerdote celebrante aspergatur caput Christi fidelium additis verbis illis: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; prout in Rituali Romano Syriace translato de mandato Rev. Metropolitani habetur; Hac enim sacra ceremonia excitantur Fideles ad ferventiorem pœnitentiam, ac dolorem suorum peccatorum, & ad propriæ imbecillitatis considerationem; atque adeo ad sanctius, & majori cum veneratione sacros illos dies celebrandos. Curent etiam Sacri Ministri, quantum fieri potest, ut cineres sint ex ramis combustis Dominicæ (*b*) palmarum anni præcedentis, quæ Dominica dies in hac Regione appellatur *De Osanà*, prout in eodem Rituali libro præscri-

(*a*) Quatuor anni temporibus, benedictio ac impositio cinerum celebrabatur, ante annos sexcentos in aliquibus Ecclesiis; immo & cunctis rogationum diebus imponebantur cineres. Vide Martene *De Rit. tom.3.lib.4.cap.10.num.32. & colum.517.*

(*b*) Etsi aliqui Patres seculi 4. meminerint Dominicæ Palmarum, ut S. Ephræm, ritus tamen benedicendi palmas, *anno* 500. primum coli cœpit, in oriente asserente Severo Patriarcha Antiocheno *ex Cod. Nitrien. Vat.*33. & 34. *Hom.*125.; & Josue Stylite, qui ait, a Petro Edessæ Episcopo *anno* 497. in Mesopotamiam ejusmodi ritum fuisse invectum. Videsis *tom.*3. S. Ephr. *Præf. pag.xix.*

Digitized by Google

scribitur. Populo insuper denuntient ritum hunc, non esse Sacramentum ullum, sed meram ceremoniam sancte ab Ecclesia institutam.

DECRETUM XV.

CCXV. AD eumdem finem omnimodæ conformitatis cum universali Ecclesia; præcipit Synodus à carnibus abstinentiam die Sabbati (a) servandam, ex præcepto graviter obligante, in memoriam sepulturæ Christi Domini; edere tamen hac die poterunt ova, lac, butyrum, & caseum. Quod etiam poterunt aliis diebus, in quibus sola abstinentia à carnibus præcipitur: & quoniam consuetudo non vescendi carnibus feriis quartis, non servatur in tota Diœcesi, sed alicubi tantum; & id quidem à paucis; declarat Synodus abtinentiam hanc esse laudabilem, & optandam, ad eam tamen servandam, nusquam gravi præcepto Christianos obstringi. Quibus ergo fuerit libitum etiam feriis quartis, poterunt carnes edere.

DECRETUM XVI.

CCXVI. DEclarat Synodus præceptum abstinendi à carnibus diebus prohibitis, jejunandi, ac festos dies colendi, a media (b) in mediam noctem computari, itaut incipiat urgere a media nocte diei antecedentis, ad mediam usque noctem diei esurialis, vel festivi, atque adeò ut res constet exemplo, obligatio abstinendi à carnibus die Sabbati, incipit à media nocte feriæ sextæ usque ad mediam noctem Sabbati: cum dies Sabbati incipiat ab una media

(a) Quod Malabares Sabbato non abstinerent a carnibus, is ritus erat Orientalis Ecclesiæ, in qua feria 4. & sexta, Sabbato omisso jejunium servabatur: immo ea disciplina vigebat in Ecclesia nostra Occidentali *anno* 1056. quo frequentari cœpit abstinentia Sabbati, nec adeo stricte, ut omnes eam illico servaverint; Baldricus enim Abas in quemdam, qui piaculum ducebat Sabbato manducare carnem, ita lusit:

Sabbata custodis tamquam Judæus apella
Cum tamen alterius legis iter teneas.

Vide Mabil. *Præfat.* 2. *seculi* 6. *Benedictini*: anno etiam *labente* 1368. non servabatur adhuc Sabbatum a laicis, bene vero ab Ecclesiasticis: adeas Concil. Vauten. *Decr.* 90. Et Parisiis a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis Deiparæ, in nullo Sabbitorum hoc etiam tempore, jejunium servatur.

(b) Orientales tam Nestoriani, quam Jacobitæ, juxta majorum suorum disciplinam observarunt jejunia fer. 4. & 6. a vespere exeuntis feriæ 3. & 5. & ab occasu ad occasum Solis, similiter festos dies computarunt; computatio autem dierum a media in mediam noctem ex communi consuetudine servatur in Europa de quo plura habentur in una Gerunden. *anno* 1720. *tom.* 1. *Resol. Concil. pag.* 363. licet juxta antiquorum disciplinam a vespere in vesperam dies colerentur ex *Cap. Omnes tit. de feriis*. Vide *Dissert. n.* 110.

Digitized by Google

media nocte, & ab alia terminetur; adeoque his veluti terminis circumscribatur. Similiter obligatio cessandi ab omni labore servili à media nocte Sabbati, tunc enim incipit dies Dominica, protenditur usque ad mediam noctem diei Dominicæ; quia tunc absolvitur dies Dominica, & sequens feria secunda suum habet exordium. Decipiuntur ergo qui putant se præcepta Ecclesiæ servare, jejunando, & cessando à servilibus laboribus à vesperis ad vesperas: nam neque per integrum diem jejunium, neque per diem integrum, diem festum preceptum servant, sed violant præceptum, quod urget toto integro die, adeoque à media ad mediam noctem. Præterquamquod sectatores sunt morum, rituumque Judaicorum, quos Ecclesia reprobavit; Hebræi enim suos dies esuriales, vel festos numerant à vespera ad vesperam, ubi contra Christiana Ecclesia eos à media ad mediam noctem numerare solet.

DECRETUM XVII.

CCXVII. QUoniam contra universalis Ecclesiæ morem, quæ aquam lustralem solenni ritu, ac statutis precibus à Sacerdote sacratam, in urna aliqua decenter receptam sub ipsum Templi ingressum servare solet, ut illa se aspergentes fideles venialium remissionem acquirant; in hac Diœcesi aqua ad hunc pium usum, non à Sacerdote ullo, nec Ecclesiæ precibus expiatur, sed tantummodo à Capiario, (a) vel Sacrista infusione luti, vel terræ, quam Peregrini è locis Sanctis à S. Thoma Apostolo cultis, vel ex ipsius sepulcro asportant, ad quem usum ex terra hujusmodi globus in Ecclesia asservari solet, vel in hujusmodi terræ defectum, aliquibus thuris granis a Sacrista, nullis præmissis sacris precibus, in aquam injectis; declarat Synodus, aquam hujusmodi non esse aquam lustralem sive benedictam, nec adhibendam à Fidelibus; cum terra predicta, vel alia quæcumque e locis sacris, & sepulcris Sanctorum, quos colit Ecclesia, quamvis veneratione digna sit, nihil conferre possit ad conflandum hoc Sacramentale ab Ecclesia institutum. Quamobrem, præcipit, ut Sacerdotes juxta morem universalis Ecclesiæ, aquam benedicant, infusione (b) salis pariter benedi-

(a) Vox *Capiar* derivata videtur (dummodo non sit Malabarica, & ut significat Ministrum Ecclesiæ servitio addictum) a latino *Copiarii* ita dicti, teste Porphyrione, quod rerum copiæ necessariarum curam impenderent, qui etiam *Parocbi* Horat. & Ciceroni audiebant; at Capiarius, significat hoc loco Custodem laicum Ecclesiæ, cujus est eam emundare, pulsare æra sacra, & alia ejusmodi.

(b) Aquæ benedictæ usus ex Apostolica traditione descendit, cui sal injicere jussit Alex. I. *Ep.* 1. si tamen ipsius est. Et ex Hincmaro *anno* 851. ubi habetur, istam aquam

nedicti, & eos ritus omnes servent, ac preces adhibeant, quæ habentur in Rituali Romano Syriace translato jussu Rev. Metropolitæ. Vicarii insuper curent eamdem benedicendi formam ibi præscriptam servare, & ex aqua illa urnas appositas implere, vel vespera Sabbati, vel primo mane diei Dominicæ: quo etiam die Sacerdos linea veste, sive alba, & stola indutus, & absque planeta antequam Sacrum inchoet, Templum percurrat, Populum ibi congregatum ad audiendum sacrum, aqua benedicta aspergens, & recitet antiphonam, & orationem, quæ in eodem Rituali continetur. Idque in solennioribus Missis Diaconus præstabit, oratio autem recitabitur semper à Sacerdote: Vicarii etiam Populum moneant, ut subeuntes templum manu in aquam benedictam immersa, signo Crucis se muniant, abstineant vero ab oratione illa impii hæretici Nestorii, quam antea recitare solebant in ingressu, cum aquam benedictam sumerent, & quæ a Synodo tamquam impia, & hæretica reprobatur.

DECRETUM XVIII.

CCXVIII. QUIA major hujus Populi pars Christianæ Religionis institutiones ignorat, nec aliud scit ad summum quam Pater, & Ave, quas tamen orationes Syriace recitat, cujus linguæ est penitus ignara, immo major puerorum pars, ne signo quidem Crucis munire se didicit, & quod magis pudendum est, plures ex Chamazibus ipsis, quamvis ad sacros ordines promoti, non bene callent christianæ Fidei elementa, & præcepta Decalogi; præcipit Synodus, ut in cunctis Ecclesiis Parochialibus existentibus in pago aliquo, vel vico, sive matutino, sive vespertino tempore, hora per Vicarium præfigenda, puerorum aliquis, vel Ecclesiæ Capiarius Vicum, vel pagum percurrat, campanulam pulsando, cujus sonitu admoniti puelli, puellæque omnes in Ecclesiam conveniant, ubi Vicarius, vel ipsius jussu Cassanarius, vel Chamazius christiana doctrina (a) eos instruat, eosque præsertim doceat modum se muniendi signo Crucis, Pater, & Ave, Symbolum fidei, præcepta Decalogi, præcepta Ecclesiæ, Articulos fidei, & reliqua omnia Christianæ Religionis elementa, quæ tamen doceant lingua

die Dominico ante Missam benedici, ipsa populum ingredientem Ecclesiam aspergi, & ex ea (ait) *qui voluerint accipiant, & per mansiones & agros super pecora sua, & eorum pabula, super cibum suum, & potum conspergant.*

(a) Quales esse debeant Catechistarum dotes aperit S. Clem. *Ep. 1.* quantæ autem dignitatis munus fuerit in Ecclesia præsertim Alexandrina, videri potest in Aulisii *Tractat. de Scholis.*

Digitized by Google

gua vernacula, & Malabarica, quam audientes callent, non vero Syriaca, quam penitus ignorant. Hoc enim in more positum est in Ecclesia universa, ut Pueri, & rudis populus lingua vernacula instruantur, ut mente intelligant, quod ore proferunt: Dominicis præterea, ceterisque diebus festis ante, vel post Missam universus populus in rebus Fidei instruatur, immo diebus Dominicis idem fiat horis pomeridianis, præmissis aliquibus, qui vicum, vel pagum percurrentes, campanulæ tinnitu populum admoneant, ut superius præscriptum fuit: Vicarii autem Ecclesiarum silvestrium præfixo hebdomadæ die pueros ad doctrinam audiendam è vicinioribus locis congregent, puerorum vero loca remotiora incolentium, instructionem alicui alteri committant: Cassanarii insuper, qui legere, ac scribere Syriace aliquos edocuerint, & ceteri hujusmodi ludimagistri Christiani, quotidie ante lectiones suos interrogent discipulos lingua Malabarica, ut in ipsorum mentibus melius imprimantur Christianæ Fidei rudimenta, nulli item puerorum ordines conferantur minores, immo nec tonsura, quin christianam doctrinam calleant, eamque Malabarice recitent, cujus rei examen subeant ad normam Concilii Tridentini. In cunctis etiam Ecclesiis, liber continens rudimenta Christianæ Religionis Malabarice conscriptus pro instruendis pueris, & rudibus asservetur: propterea rogat Synodus P. Rectorem Collegii de Vaipicota Societatis Jesu, ut illum per sui Collegii alumnos transcribi curet, atque adeo plura suppetant exemplaria ad singulas hujus Diœcesis Ecclesias transmittenda. Postremo etiam atque etiam rogat, hortaturque omnes Christianos, ut vespertinis horis suos Domesticos, omnesque è sua familia instrui curent, unde captivorum, & servorum, quos alunt, sit nullus, qui rudimenta fidei ignoret: Confessarii etiam inter audiendum pœnitentes, eos de mysteriis nostræ Fidei interrogent, atque ad ipsa addiscenda hortentur.

DECRETUM XIX.

CCXIX. NE Fideles Christiani hujus Diœceseos, quoad communes preces ab universali dissideant Ecclesia, ut hactenus fecerunt, omittentes in Salutatione Angelica postrema verba, præcipit Synodus, (silentio prætereundo impiam, & hæreticam formam salutationis Angelicæ, qua perfidi utebantur Nestoriani penitus proscriptam) eam sic recitari: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fru-*

Digitized by Google

fructus ventris tui Jesus. Sancta (a) *Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen Jesus*: præterea sic reformari in libris piarum precum, qui sunt in usu in hac Diœcesi.

DECRETUM XX.

CCXX. QUoniam fideles Christiani hujus Episcopatus, dum Sanctissimum profertur nomen Jesu, nullam ipsi reverentiam exhibent; ea nimirum impia, & hæretica doctrina imbuti, qua Nestoriani opinantur, duo esse supposita in Christo, & nomen Jesu esse nomen suppositi pure humani, quod non meretur specialem reverentiam, præcipit Synodus, ut quotiescumque nomen hoc, quod divinum est, ac tot tantaque in se continet mysteria, tum quia est nomen Redemptoris nostri, tum quia est nomen super omne nomen, in quo juxta Apostolum, oportet quod omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, præcipit Synodus, ut quoties profertur in Evangeliis, orationibus, Missa, Concionibus, & exhortationibus, aut alias quomodolibet, caput omnes reverenter inclinent, sive stantes, sive sedentes, necnon Cassanarii aut ceterorum quilibet, vel pileis cooperti: Vicarii insuper & Concionatores id populo frequenter inculcent. Et quoniam hoc nomine (b) *Iyo* quod in lingua Malabarica idem est, ac nomen Jesu, sæpissime infantes donantur in Baptismate, præcipit insuper Synodus quamurgentissime, ut nemini deinceps in Baptismo imponatur, quique illud in Baptismate habuerunt, aliud assumant dum sacro Chrismate confirmantur, neque enim decet adeo sublimi, Divinoque nomine aliquem appellari.

(a) De additione istius deprecationis, vide supra in Synodo *num.*52. *Not.*

(b) Sanctissimum nomen *Jesu* Syriace ex Hebraico dicitur ישוע *Jescivang* cum litera *Ain* in fine: perfidi autem Hebræi pronuntiant contumeliose *Iscius*, cujus significationem vide apud Maurocenum *in Via Vid.pag.*1401. Frequens est apud Orientales, ex eo nomina componere, ut *Jesuabj* Jesus dedit, *Jesudad*, idem; *Jesuphani* Jesus exaudivit; *Kamjesus*, surrexit Jesus, *Sabrjesus* spes Jesu; *Abdjesus*, Servus Jesu; quæ omnia, ut superius vidimus, in textu Lusitanico, & in versione Gallica Renaudotii, sunt valde corrupta; non secus atque hoc Malabaricum nomen *Iyo*, quod certe legi debet *Iso*, id est *Isus*, vel ut Græci pronuntiant, *Jesus*, id est *Jescivang*; Malabares enim carent litera gutturali *Ain*, non secus ac Latini & Græci: vide superius *in Synodo pag.*128.

Digitized by Google

DECRETUM XXI.

CCXXI. CUm æquum sit, Festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi non minus solenniter, quam uniformiter in tota Ecclesia Catholica celebrari; præcipit Synodus, ut in Sacra Nativitatis Christi Nocte Clerus, Populusque in Ecclesiam conveniant, canendi ergo solenniter quantum fas est, pro numero Sacrorum Ministrorum, Matutinas preces, itaut media nocte plus minusve absolvantur, ac postea de more solennis habeatur publica supplicatio, sive processio, qua finita, ea majori qua fieri potest celebritate, solennis Missa cantetur: postea poterunt Cassanarii unam legere Missam, ad Auroram alteram, & tertiam solito tempore; noverint item Sacerdotes, quod (a) præ Solennitatis magnitudine ipsis indulgetur hac die Sacrum ter celebrare: primum media nocte, alterum sub Aurora, tertium denique solita hora; vel etiam trinas, aut binas Missas diluculo, dum private legantur, quæ etenim publice, & coram Populo recitantur, ordine præfixo celebrari debent, itaut prima tantum media nocte celebretur: in prima autem, & altera Missa ablutiones non sumantur, sed sumpto Sanguine, prætermissa ablutione, Sacerdos celebrans ultra progrediatur; hoc enim pacto naturale jejunium in tribus servabitur: curent etiam plurimum Calices probe abstergere, necnon digitos aqua purificare, quæ exinde in piscinam subtus Altare, vel in fontem

(a) Priscis temporibus plures eadem die Idem Sacerdos celebrabat Missas; id postea certis solennitatibus attributum fuit, nimirum, Nativitati Domini, S. Joan. Bapt. &c. Binas etiam in aliquibus solennitatibus celebrabant Sacerdotes; atque hoc tempore in Hispaniis multiplex hujus antiquæ disciplinæ viget consuetudo: in Ecclesia enim Oriolensi, ut constat ex ipsius Episcopo, in una *Oriol. in. Visitation. Sacror. limin.* duas Missas in die Omnium Sanctorum, & duas in sequenti die commemorationis Defunctorum Sacerdotes celebrant. In universo etiam Regno Coronæ inclytæ Aragonum in die Defunctorum binæ dicuntur Missæ, a Presbyteris secularibus, ternæ verò a Regularibus, sive id descendat ab immemorabili, sive a Privilegio Julii III. vel Pauli III. vivæ vocis oraculo concesso: de quo vide laudatam *Oriolen. in Thesaur. Resol. Conc. Trid. die 10. Augusti* 1732. Id etiam constat Archiepisc. Bracaren. istam Aragoniæ facultatem postulasse a Clem. XI. Congregatio autem Concilii *die* 14. *Martii anni* 1711. rescripsit: *negative*. Serenissimo vero Hispaniarum Regi, idem indultum pro toto Regno Castellæ petenti ab Innocen. XIII. rescriptum fuit *die* 2. *Maii* 1722. *Non proposita*: quo honorifice denegarentur petita. In Ecclesia igitur Occidentali mos iste ter celebrandi die Natalis Domini, ubique viget, eo tantum exiguo discrimine, quod cum in ceteris Ecclesiis post mediam noctem dicatur prima Missa, in Venetorum aliquibus Ecclesiis, ante mediam noctem celebratur, juxta morem Capellæ Pontificis Sum., in qua ante noctis dimidium inchoatur Missa a Cardinali celebrante, qui jejunus manet ab usque præcedente media nocte; quæ hoc anno 1744. cantata fuit ab Eminentissimo Card. Dominico Passionæo, CL. atque eruditissimo viro, atque eruditorum fautore, ac promotore benignissimo.

Digitized by Google

tem aquæ benedictæ, vel in Baptisterium projiciatur; Siquis autem Sacerdotum imprudens in prioribus Missis ablutionem hauserit, ad sequentem non ultra progrediatur, cum jejunium, quod in celebrante exigitur, vel uno haustu fuerit solutum.

DECRETUM XXII.

CCXXII. PRæcipit Synodus ut Sacerdotes solenniter ministrantes Sacramenta Baptismatis, Matrimonii, Extremæ Unctionis, necnon Sacram Eucharistiam extra Missam, Superpelliceo, ac Stola e collo pendente utantur pro majori actionis decentia, ac reverentia; cumque hactenus in hac Ecclesia usus superpelliceorum nullus fuerit, R. Metropolitanus quotquot fuerint necessaria suppeditabit; nullus itaque Vicarius hinc discedat, quin prius Superpelliceum pro administrandis Sacramentis accipiat, quo ex præscripto Synodi, ea ministrentur juxta ritus, & Ceremonias Ritualis Romani, jussu R. Metropolitani Syriace translati, quodque apud omnes asservabitur Ecclesias; etenim in illo habetur baptizandi norma, ungendi infirmos, jungendi Sponsos, cum benedictionibus, ubi illæ exigantur; forma item Absolutionis Sacramentalis cum consuetis Orationibus, modus Eucharistiam conferendi; modus exorcizandi energumenos; benedictiones Aquæ, Cinerum, Candelarum, Ramorum; Ritus sepeliendi tam parvulos, quam adultos, Orationes pro Reconciliatione Ecclesiarum, & Cœmeteriorum; libri itaque hæc omnia continentes in omnibus habeantur Ecclesiis, nec Sacerdotum aliquis suo usui applicare eos audeat, vel ab Ecclesia auferre. Plurimum etiam commendat Synodus P. Rectori Collegii de Vaipicota Societatis Jesu hujus Diœcesis, transcriptos per Alumnos hujus Collegii semper apud se plures habere nonnullos horum librorum, ut Ecclesiis, quæ illis indigent, distribuantur.

DECRETUM XXIII.

CCXXIII. AD eamdem uniformitatem servandam cum Sancta Romana Ecclesia, præcipit Synodus, ut die secunda Februarii (a) in Festo Purificationis Dominæ nostræ fiat ante

(a) In sanctionibus Arabicis Concilii Nicæni ex Abrahamo Ecchellensi in Collectione Harduin. *tom.* 1. *col.* 509. fit mentio *Festi Cereorum sive Purificationis*. Et cum ex Tillemont. *note* 7. *sur J. C. tom.* 1. habeatur ex vita S. Theodosii Abbatis, quod medio V. seculo celebrabatur festum Purificationis, & ne tunc omnino novum id fuisse videatur,

Digitized by Google

Missam Cereorum benedictio, tum pertinentium ad Ecclesiam, tum quos alii in Dei cultum, & pietate impulsi, benedicendos attulerint: quæ quidem benedictio, prout habetur in Rituali Romano Syriace reddito, fieri debet; deinde absoluta solenni hac benedictione, per Ecclesiam, vel circa illam Cassanarii, & Chamazes suis insignibus amicti, & cum candelis accensis, longo ordine supplices incedant, quos comitetur Populus cum candelis pariter accensis, si illas habeant, in memoriam Mysterii, quod in hoc Festo celebratur: nimirum solennis illius ingressus, quo Jesus Christus Dominus Noster, divinum lumen, ac splendor Patris, primum introivit in Templum, semetipsum pro nobis, nostra indutum humanitate, Æterno Patri oblaturus. Similiter feria Secunda, Tertia, & Quarta ante Festum Ascensionis Domini eadem publica supplicatio habeatur, vel per Templum, vel alibi, prout Vicario visum fuerit, in qua (*a*) Litaniæ legantur juxta consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ pariter in eodem Rituali apponentur, expunctis hæreticorum nominibus, quæ tanquam Sanctorum, Nestoriani in ipsis Litaniis intruserant; exoptat præterea Synodus usum Litaniarum pro occurrentibus necessitatibus in hac Ecclesia introduci ad Divinam miserationem implorandam.

DECRETUM XXIV.

CCXXIV. CUM deprehenderit Synodus in remotioribus hujus Diœceseos partibus, tam Austrum, quam Aquilonem versus, Christianos Silvas incolentes, diebus Dominicis, ceterisque Festis, præsertim horis pomeridianis, quam licenter vacare labori, & Mercimonio: præcipit Vicariis, ut *plurimum hac* super re invigilent, invehantur, & coerceant, potissimum quos deliquisse comperient: qui vero post trinam monitionem pervicaces fuerint, amoveantur ab Ecclesia, nec in ea eos admittant, nec *Casturæ* eis exhibeantur, neque Sacerdos ullus ad eos accedat, quousque cum effectu resipuerint. DE-

revocanda videtur hæc institutio ad seculum IV. unde ex hoc capite, non est cur de suppositione arguantur Sanctiones Arabicæ. Hac die duplicem celebrat Ecclesia solennitatem; prima est Hypapante, seu Præsentatio Domini in templo; altera est Purificatio B. Virg. Mariæ. De mysteriis, atque utilitatibus Cereorum benedictorum hac die videsis Conc. V. Mediolan. *Par.* 1. *Const.* 6. Cavetur autem opportune in Concil. Arelat. *anno* 1260. *Can.* 7. ne utantur in processionibus, aut Ecclesiis Cereis ligneis, ceræ colore tinctis, *quia non convenit quæ sunt cultus Dei, fictitie & simulatorie agi*: *Candele di legno*: Italice dicuntur.

(*a*) Litaniæ minores aut rogationes ante Ascensionis festum tribuuntur ut auctori S. Mamerto Viennensi sub Hilario I. an. 461. majores vero in festo S. Marci, S. Gregorio Magno. In Hispania seculo VII. ex præscripto Concil. XVII. Tolet. per totos duodecim anni menses celebrabantur.

Digitized by Google

DECRETUM XXV.

CCXXV. CUm in hac Diœcesi plura olim erecta fuerint Templa Mar-Xabro,(a) & Mar-Prodh dicata,quos communiter Sanctos vociferantur, de quibus nihil aliud deprædicant, quam in has Regiones divertisse, plura patrasse Miracula, demum Babylonem, unde venerant, remigrasse, vel ut alii asserunt, vita excessisse in Civitate Coulan, quorum tamen Sanctitas in vulgus sparsa in dubium revocari potest; neque enim quidquam eorum, quæ de ipsis narrantur, scripta vel authentico ullo monumento nititur, nec de eorum apotheosi in Ecclesia constat: immo non levis suspicandi causa habeatur, eos Nestorianæ hæresis Sectatores fuisse, cum Babylone huc venerint, tempore quo hæresis hæc maxime vigebat; præcipit Synodus ut quotquot Templa ipsis dicata reperiuntur, omnibus Sanctis dicentur, solennia etiam omnia, & Nerchæ, (b) pro Mar-Xabro, & Mar-Prohd fieri solitæ, in Festo Sanctorum Omnium prima Novembris celebrentur: necnon in posterum eo titulo nullas ipsis Ecclesias nuncupari: etenim dicare Templa, solennia instituere, ac horarias preces recitare non licet nisi in honorem Sanctorum, quos Ecclesia solenni ritu venerandos proponit, & quorum Sanctitatem ipsa publico judicio approbat.

DECRETUM XXVI.

CCXXVI. QUIA,ut experimento compertum est, plures Ecclesiæ latrocinis subjacent,eo quod Capsæ,in quibus Fidelium eleemosynæ deponuntur, non nisi diuturnum post tempus reserantur, ex quo fit, ut egestate oppressæ, ea, quæ ad divinum Cultum necessaria sunt, comparare sibi non possint, præcipit Synodus, ut quot annis Kalendis Januarii quatuor viri probatæ fidei, & notæ probitatis in quacumque Ecclesia eligantur, quibus tanquam (c) Œconomis, rerum in Ecclesiæ bonum gerendarum cura com-

(a) Crozæus asserit, horum nomina fuisse *Sapor* & *Perozes*, & quasi ingentis piaculi reum traducit Gouveam & PP. Diamperenses; quod ipsos *Xabro* & *Prodh* vocitaverint; hoc tamen levissimum crimen (si tale videtur) a proferendi modo inter Indos, aut celeritate loquendi ipsorum, facillime admitti potuit ab hominibus Europeis: Vide le Quien *tom.2. Orien. Christ. col.1275.*

(b) Quid sit Nercha vide in Syllabo vocum.

(c) Inter Canones Nicænos Arabicos extat 63. *de Oeconomis, qui curent res Ecclesiæ*, e quibus unus aut plures proventuum, alii villarum, & sumptuum quotidianorum, alii demum sacræ supellectilis curam gere-

committatur. Exeunte deinde anno capsæ reserentur, & pecuniarum, quæ in illis continentur ratio habeatur, & in librum referatur ab uno ex quatuor viris electis, qui Ratiocinatoris, sive Calculatoris munus obibit; postquam autem pecuniarum subductæ fuerint rationes, eædem pecuniæ reponantur asservandæ in Capsa tribus Clavibus obserata, quarum Clavium una sit penes unum ex quatuor electis, eorum arbitrio deputandum, altera penes Vicarium, tertia penes alios duos. Ratiocinator enim nec Clavem, nec Capsam apud se retinere debet: habeat tamen hic apud se librum alium, in quo notet expensas, quæ ex dictis pecuniis fiunt in Ecclesiæ, sacræque supellectilis instaurationem, vel ornatum: Quodsi ingentem summam impendendi necessitas occurrat, in hanc impensam omnes quatuor consentire debent; nec depositarum pecuniarum capsa aliter reserabitur, quam illis quatuor simul cum Vicario concurrentibus, quorum cuilibet, si forte sit impeditus, subrogabitur alius. Præterea quoties novi eliguntur, veteres, qui officio functi sunt, depositum, numerata prius coram illis pecunia, novis tradent: numeratæ vero pecuniæ summam Calculator in rationum libro notabit, & noviter electi, subscripto suo nomine, eam apud se depositam accepisse testabuntur, ut quovis tempore ratio accepti, & expensi constet, quantumque Ecclesia in bonis habeat. *Prælatus* insuper in visitatione hujusmodi libros ad examen revocet, & expensarum rationem poscat, & siquid impendere opus sit in bonum Ecclesiæ, id fieri decernat. Postremo Synodus rogat R. Metropolitam, ut quantocitius hoc decretum in proxima visitatione executioni mandari jubeat, ne res adeo Ecclesiis proficua effectu careat.

DECRETUM XXVII.

CCXXVII. QUia Ecclesiæ fere omnes hujus Diœceseos pulvere, & araneorum telis notabiliter sordent, & vix unquam verruntur(*a*), & mundantur, deficiente, qui munus hoc habeat

rent. In Canone autem 68. *ex Nicæno-Arabicis* Abrahami Ecchellen. unus tantum Oeconomus assignatur Ecclesiis, Procuratores vero plures. In Ecclesiis Hispaniæ secul.VI. vocabatur *Oeconomus*, qui vice Episcopi res tractabat Ecclesiasticas, sine quo nullum Episcopum esse oportebat, ut patet ex Concil. *Tolet.IV. anno* 633.

(*a*) At non tantum incuriæ ministrantium id tribuendum est, sed quia illi Christiani, ex consuetudine ab indigenis Ethnicis derivata, nullo aut latere, aut marmore Ecclesias sternunt, sed solo vaccarum stercore, quod frequenter renovant, immo eodem, parietes Templi ad duos, tresve altitudinis palmos bene perliniunt, quo illa ornatiora reddantur: vide Vinc. Mar. *lib.*2. *cap.*6.

Digitized by Google

beat, unde ab illis nitor omnis, & munditiés abest; jubet Synodus certam detrahi portionem ex eleemosynis Ecclesiæ, Capiario sive Sacristæ assignandam, cujus sit Altaria mundare, pulverem e parietibus excutere, lampades, & candelabra expolire, terque ad minus in hebdomada Ecclesiam verrere: Capiarius etiam curabit, ut perpetuo lampas uno saltem lychno, ante aram maximam ardeat, sicuti, & quod Urcei olearii, in quibus asservatur oleum ad alendas lampades, in loco seposito ab Ecclesia collocentur, in qua solum poterit reponi urceolus aliquis, ut sit ad manus, dummodo aspectui non pateat: situlæ etiam, & lebetes in Ecclesia non collocentur, aut alia quælibet parum decentia, sed hæc omnia alibi, aut in domo Capiarii, aut Œconomorum recondantur; Ecclesiæ demum eo quo par est nitore perfulgeant, nec ut antea sordida supellectile deturpentur.

DECRETUM XXVIII.

CCXXVIII. PRæcipit Synodus ut in quolibet Sacrario, sive Sacristia sint plutei obserati, in quibus asserventur Calices, Corporalia, & Vestes Sacræ; sicubi autem non existat Sacristia; plutei hujusmodi in aliquo Ecclesiæ angulo collocentur, quousque sacrarium ædificetur: in Ecclesiis vero Silvarum, ubi adest latronum periculum, Vicarii sacram supellectilem domi suæ conservent. Curent etiam, ut supra Altaria non relinquantur, sic enim vestes, & corporalia sordescunt, & Altaria ipsa impediuntur. claves autem armariorum Vicarii retineant; cumque omnes ferme aræ maximæ in Ecclesiis sint æstuosæ, & subobscuræ, fenestræ, fiant circa illas, quæ ferreis clathris ita muniantur, ut luci, aerique liberiori pateat aditus; Ethnici vero foris astantes Divina Mysteria prospicere nequeant.

DECRETUM XXIX.

CCXXIX. QUoniam universæ pene hujus Diœceseos Ecclesiæ, tabulis supra aras appensis destituuntur; quippe Hæretici Nestoriani, qui olim Ecclesiis præsidebant, laudabilem usum Sacrarum Imaginum (a) respuebant; mandat Synodus, ut ex elee-

(a) Qui de rebus Indiæ pertractarunt Josephus Indus, Croxæus, aliique asserunt, Nestorianos nullam SS. Imaginem, aut Icones venerari Cruce Domini excepta; contrarium autem ostendit eruditissime, ut assolet, Asseman. *tom.4. Bibl. Orien. pag.*350. ita ut etiam latissime jam propagata hæresi, SS. & Imaginum apud eos cultus integer,

eleemosynis Ecclesiarum depictæ tabulæ comparentur supra aras appendendæ, quæ res tamen, sicuti alia quælibet, juxta Præsulis arbitrium placitumque fieri debet. Hæc autem post erectionem Fontis Baptismatis, ubi instauratio Ecclesiæ non urgeat, prima omnium cura sit. Incipiendum est ab ara maxima cujus tabula Titulari illius Templi respondeat, deinde progrediendum ad aras minores, & laterales, si plures aræ in eadem Ecclesia fuerint; ac in cunctis Crux præter tabulam, e quacumque materia efformata, collocetur. Præterea in cunctis Ecclesiis, si capacitas Ecclesiæ id patiatur, Pulpitum erigatur, e quo Sacer Orator verba ad Populum facere possit: signa item quibus convocentur Fideles debito tempore in Ecclesiam, in (*a*) turribus appendantur, quæ instrumenta intra Ecclesiam locari non debent, quia plurimum perturbationis afferunt, & Ecclesiam ipsam impediunt: sicubi autem periculum immineat à latronibus, qui instrumenta illa surripiant, erigatur turris undequaque clausa, & latronibus impervia; sed quia pluribus in locis Reges, & Bracmanes Pagodum erigi extra Ecclesiam sublimi in loco Turres vetant; timent quippe (quod est ipsorum delirium) ne Pagodes campanarum sonitu constristentur: in iis locis, in parte aliqua superiore, vel inferiore Ecclesiæ, Campanæ hujusmodi suspendantur, itaut templum non impediant, nec manibus contrectari possint. Postremo si alicubi Cymbala non fuerint, permittitur à Synodo usus instrumentorum ligneorum, quorum collisione Fideles ad audiendum Sacrum, vel concionem congregentur, juxta veterem consuetudinem, quod tamen permittitur usque dum ænea & aptiora ad hunc usum instrumenta conflentur.

DECRETUM XXX.

CCXXX. DOcet Synodus, ac declarat, ex vetusta lege, quæ semper viguit, & servata fuit in Christi Ecclesia, plures recenseri casus, in quibus polluuntur, (*b*) sive violantur Templa,

illibatusque permanserit. Unde quod ait Synodus, id ex defectu Pictorum in Malabaria, vel suggestione Hebræorum ibi degentium, accidisse æstimandum est.

(*a*) De campanariis Turribus, ut vocant; legesis nostrum Angelum de Rocca *tom.* 1. *pag.* 170. *& seq.* & de campanarum Baptismo, ut fit in Hispania *ibidem p.* 165. leviora tamen quædam castiganda essent: Malabares autem Ethnici, solum permittunt Christianis, campanas intra Ecclesiam appensas habere, non vero extra illam in Turri, eo quia, ut ajunt, ex campanarum sonitu Idola & Pagodes contristantur.

(*b*) Casus, in quibus Ecclesia etiam non consecrata polluitur, recensentur in Concil. Nugaroliense *IV. Non. Dec. anno* 1503. *celebrato Can.* 12. scilicet seminis aut sanguinis effusione violenta, sepultura excommunicatorum & interdictorum, Hæretici, Schismatici, Pagani & Judæi; *quod si ossa discerni & exhumari non possint per Epis-*

Digitized by Google

pla, ita ut in ipsis Sacrum celebrare, aut sepelire mortuos non liceat quousque expientur, id quod ob Juris ignorantiam usque hactenus in hac Diœcesi neglectum penitus fuit. Casus ergo, in quibus polluuntur Templa sunt. Primo si injuste effundatur humanus sanguis intra Templum, vel si vulnus lethale ibidem infligatur, etiam si vulneratus egrediatur, & extra Templum sanguinem effundat, vel etiam moriatur: non tamen polluitur si res vice versa contingat; nimirum vulnus lethale infligatur extra Templum, & vulneratus confugiens in Templum, ibi sanguinem effundat. Similiter polluitur, quamvis percusio vel vulnus inflictum in ipso Templo lethale non sit, dummodo sit cum effusione sanguinis, & injuriosum. Secundo si semen voluntarie effundatur intra Templum, etiam si id fiat per copulam conjugalem. Tertio si cadaver excommunicati in Templo sepeliatur. Quarto idem contingit, si sepeliatur in Templo Ethnici cadaver: in quo casu non solum expiari Templum Sacris precibus, & benedictionibus, sed etiam parietes abradi debent. Quinto si Consecratio, aut benedictio Templi fiat ab Episcopo publice excommunicato. In his casibus Templum expiandum est ab Episcopo, & non ab alio, si Templum fuerit ab Episcopo consecratum; si vero fuerit tantummodo benedictum, vel ab Episcopo, vel ab alio Sacerdote, id fieri debet à Vicario Ecclesiæ juxta præscripta in Rituali Romano Syriace translato; sciendum insuper, quod violata Ecclesia, violatur etiam Cœmeterium contiguum: non vero ab illa separatum; si autem ob enumeratos casus Cœmeterium violetur, non exinde violatur Ecclesia, etiamsi Cœmeterium sit illi proximum.

DECRETUM XXXI.

CCXXXI. QUoniam reverentia debita Sacris Templis sæpissime in hac Diœcesi violatur, (a) cum sæpesæpius Ægroti uxorati per plures dies cubent cum suis Uxoribus in ipsis Templis, sperantes ob hanc diuturnam moram, & assiduitatem in

copum tantum asperſione aquæ benedicantur. Quo autem ritu Ecclesia, vel ob imminentem ruinam, vel alia quacumque causa profananda fit, docetur atque præscribitur a S. Carolo Borromæo in *Concilio Mediolanen. IV. Par. I. Constit. 20.* ubi juxta Tridentini sanctionem inter alia commendatur, quod in eo loco ad usum profanum converso *Crucis insigne, ita figatur, ut inde facile amoveri nequeat*.

(a) Ecclesiastici Malabarenses, iter agentes, in Ecclesiis hospitantur, ibique somnos capiunt substrato tegete; victus autem ipsis ministratur ex eleemosynis Christianorum vel ex Fabricæ deposito. Plures etiam novendialem Deo vovent in Ecclesiis cum tota familia commorationem, atque in eisdem cubant, & comedunt, præsertim tempore ægritudinis, ut Synodus indicat: Vide Vinc. Mar. *lib. 2. cap. 6.*

Digitized by Google

orando, ope Sanctorum se pristinam sanitatem recuperaturos: immo simul cum ipsis tota familia ibidem cohabitet, ex quo fit, ut plurima, maxime indecentia ibi fiant: præcipit Synodus ut nulli omnino id permittatur, præter quam tempore belli, si Populus inermis in Templa confugiat consulendi causa propriæ incolumitati: ceterum tempore ægritudinis postquam preces fuderint, cubitum eant in proprias domos, aut domos propinquiores, si forte majori cum perseverantia orare velint, vel etiam se recipiant in Templi Porticu, nullo modo autem intra Templum ipsum.

DECRETUM XXXII.

CCXXXII. CUM frequenter contingat, ut eorum Cadavera, qui in silvis obierunt, sine ullo Sacerdotum interventu, & sacrarum precum, & exequiarum honore in locis profanis sepeliantur: præcipit Synodus, ut propinqui, aut ii, apud quos decesserunt, e locis remotioribus asportent cadavera ad loca Ecclesiis propinquiora, unde Vicarius superpelliceo, ac stola indutus, præeunte Cruce, eamque comitantibus Cassanariis, sacrasque preces canentibus, ea accipiat, & Ecclesiastica sepultura donari curet. Quæ Christianæ caritatis officia erga silvarum incolas quantumvis pauperes, & mendicos, etiam nullo erogato stipendio Vicarii exercere debent. Quodsi tunc temporis nulli in Ecclesia Cassanarii reperiantur, nec aliunde opportune advocari possint, Christiani ipsi, quotquot haberi poterunt, Christianorum silvas incolentium cadavera, orantes pro ipsorum animabus Ecclesiasticæ sepulturæ tradant, vel in Ecclesia, vel in Cœmeterio. Qui vero hæc pia officia neglexerint, & recusaverint defunctos ad Ecclesiam asportare, vel in loco profano sepelierint, graviter puniantur à Præsule, & ad arbitrium mulctentur.

DECRETUM XXXIII.

CCXXXIII. QUoniam pustularum morbus in hisce regionibus censetur maxime contagiosus, sæpe contingit, ut Christiani, qui hoc morbo moriuntur, Ecclesiastica sepultura fraudentur, eo quod aliorum Christianorum sit nemo, qui velit eos ad Ecclesiam asportare, quod cum maxime dedeceat, & Christianæ caritati adversetur; Synodus inculcat Vicariis, ut omni ope curent, ne defuncti hujusmodi piis exequiis, & Ecclesiastica careant sepultura: quamobrem horum cadavera saltem a longe comitentur,

Digitized by Google

tur, simul cum reliquis Cassanariis sacras, ac funereas preces canentibus, ac demum tumulari curent. Quæ omnia ad munus suum spectare meminerint, poterunt tamen in iis exequendis debitam cautelam adhibere.

DECRETUM XXXIV.

CCXXXIV. DEcernit Synodus ut ubi in pago aliquo, aut vico erectum fuerit Templum aliquod in alicujus sancti honorem, a quo nomen habeat, si ibidem erigatur aliud (a) Templum, non eidem Sancto, sed alteri ut Titulari dedicetur; tum ut solennitates distribuantur, & statis temporibus unumquodque Templum à Populo frequentetur; tum etiam ne contentiones fiant. Quamobrem declarat, nullam fieri, ut aliqui falso opinantur, injuriam alicui Sacræ Ædi, si in eodem pago, vel vico aliæ non eidem, sed Sanctis aliis dedicentur, & eorum nomine inscribantur, quæ stulta opinio in causa est, ut alicubi omnes Ecclesiæ ejusdem Sancti nomine appellentur. Statuit itaque, ut recurrente annua celebritate Sancti Titularis alicujus Ecclesiæ, vel dum in illa solennis aliqua festivitas celebratur, vel conciones habentur, dum idem non fiat in propria unius cujusque, omnes in eam Ecclesiam conveniant, & ibi congregentur; ne discordiæ inter Ecclesias, quæ Christianæ caritati maxime repugnant, & usque hactenus viguerunt, ut compertum fuit Synodo, in posterum foveantur. Pro ampliori tandem Ecclesiarum cultu præcipit, ut in iis, quantum fieri potest, erigantur Sodalitia, sive Confraternitates sub eodem Titulari, quippe ex iis Ecclesiarum indigentiæ non parum emolumenti accessurum videtur.

DECRETUM XXXV.

CCXXXV. VEhementer urget Synodus Ecclesiarum Vicarios ceterosque Sacerdotes, ut ad Infidelium conversionem impigre incumbant, eosque ad fidem Catholicam suaviter ac honestis mediis alliciant; potissimum Evangelii prædicatione, nec minimam occasionem eos adducendi ad agnitionem veritatis elabi sinant, tam *Naires*, quam (b) *Chegos*, ceterosque

(a) Ejusmodi stulta opinatio, alte insederat Indis Malabariæ, ut putarent ægerrime laturum Sanctum illum, cui aliqua Ecclesia dicata erat, si non reliquæ ejusdem oppidi sibi etiam dicarentur, quasi Sanctos invidentia & æmulatio tangere aliquo modo posset, quæ mortales adurit.

(b) Præter Naires, quo nomine veniunt Braemanes; Principes & Christiani Sancti Thomæ, reliqui recensentur tan-

Digitized by Google

obscuri generis; *Malleas* præsertim montana incolentes, quos ferunt, non adeo esse suis erroribus, ac Idololatriæ addictos, quinimmo Evangelicæ doctrinæ recipiendæ paratiores; undecumque etiam aliqua interluxerit erga conversionem ipsorum spes, illico Præsuli deferant, ut meliori, & opportuniori, quo ipse judicaverit modo, obtineri posse finem conversionis majoremque Dei cultum, solicite provideat. Urgenter etiam insinuat, ut cum à Cassanariis hujus Diœceseos plurimæ diversis in locis obtentæ fuerint conversiones; studium hoc convertendi Infideles, semper magis magisque in dies promoveatur; cujus rei Illmus Metropolita maxime auctor fuit. Assidue igitur munus hoc demandetur Sacerdotibus, & ubi non infrequens Christianorum numerus accreverit, statim Templa cum propriis erigantur Parochiis, ut ab iis pabulum accipiant spirituale.

DECRETUM XXXVI.

CCXXXVI. CUm Synodo innotescat, facilius ad fidem accedere præ Nairis, & Nobilibus, stirpe obscura prognatos, vehementissime cupit modum adinveniri, quo Nobiles ad Christianam Religionem conversi, cum aliis Christianis in eadem simul Ecclesia convenire possint, ut par est, (*a*) cum omnes unum Deum

quam obscuri abjectique generis; qui pluribus variisque nominibus vocantur *Parreas*, *Polleas*, *Chegos &c. Malleas* vero dicebantur illi, qui montana incolebant & juga montis *Gattis*, qui utpote melioris indolis Menessio cordi erant, atque ad ipsos Missionarios direxit.

(*a*) Si verum esset quod Crozæus scribit *pag.* 477. *Hist. Christian. Ind.* nimirum, aversionem ac separationem istam Nairum a reliquis, nullo religionis Malabaricæ principio inniti, sed sola consuetudine, Bramanum institutionibus roborata, explicatior nobis appareret ratio, quæ Synodum nostram impellere potuit, ad ejusmodi separationem, & fugam contactus tolerandam, tam in præsenti Dec. 36. quam in Dec. 2. proximæ Actionis 9. & quidem eo loci *superstitiosa consuetudo* appellatur: si enim ad religionem pertineret, nulla ratione eo'erari debuisset; *quæ enim conventio Ch. isti ad Belial?* Et quidem Indorum Propheta quidam *Kaviler* nomine, ut eam consuetudinem extirparet, asserebat, Birumam (Indorum Idolum) pellicem adamasse ex abiectissima *Barejanorum* stirpe procreatam: tum addebat similia dictis a Synodo verba: *Cœlum indifferenter pluit super hos & super illos: Sol æqualiter in omnes, lumen suum expandit: Hominum genus unum est, sicut Deus unus est.* Gnanigoles etiam (viri sunt inter eos Indos devotioni dediti) nullam Tribuum discretionem observantes, cum omnibus sive Nairibus, sive Parreis colloquuntur, omnium ædes frequentant: *Nonne omnes nos* (eorum quidam ajebat) *eadem sumus origine prognati? An non unum est Idioma, una lex nobis communis? Nativitas & mors eadem est omnium nostrum; nulla ergo discretio hominum in humano genere.* Ut igitur contrarium iis sapientum Indorum dictis præjudicium, atque consuetudinem aliquando Indi exuerent, Serenissimi Lusitaniæ Regis interpositione, agendum esset, ut Nairibus adscriberentur, quicumque fierent Christiani. Vide *Act.* 9. *Dec.* 2. Interea tamen, & quasi ex nostra Synodi amussi (quæ in hac re maximi facienda est) plenissime illis Christianis prospexit nuper

Digitized by Google

Deum colant, eamdem teneant fidem, eisdem utantur Sacramentis, idem etiam cum sit Dominus omnium, apud quem nulla est Personarum acceptio, aut ignobilium, magnatumve discretio; ceterum hæc accuratissime pertractando plurimum etiam cunctis his diebus Dominum obsecrando, ac diu multumque circa opportuna media conferendo, nullum hactenus inventum fuit, eo quod cuncti Christiani, Regibus, Dominisque Ethnicis sunt subjecti, qui omnem cum illis familiaritatem, comitatemque hucusque iis exhibitam abrumperent, ubi eosdem abjecti generis quemquam attigisse, constiterit; quibus omnibus pro rei gravitate à Synodo perpensis, præcipit, ut cum aliqui obscuræ stirpis Christo nomen dare voluerint, ad Baptismum recipiantur, idque continuo Præsuli nuntietur, ut ipsis separatam Ecclesiam, & particularem Ministrum Sacramentorum assignet, qua ratione fiet, ut iis, qui de abjecta progenie ad fidem, & salutem à Deo vocantur, aditus ut hactenus ad illam non intercludatur: quandiu vero peculiare pro illis Templum non extruitur, Sacro è porticibus assistant, quousque ab Ethnicis Regibus, movente Deo eorum corda, non impetretur, ut quicumque obscuri generis fiant Christiani, nobilium albo adscribantur, & sic omnis quoad contactum scrupulus depellatur: itaque Synodus etiam atque etiam rogat Majestatem Regis Lusitaniæ, ut auctoritatem suam, qua apud Reges Dominosque Malabaricos maxime pollet, adhunc finem interponat.

DECRETUM XXXVII.

CCXXXVII. CUpiens Synodus Montanam hancce Ecclesiam omnibus conformare consuetudinibus Latinæ, necnon Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, cui perfectam detulit obedientiam, cum probe sciat, juxta morem ipsius signum Crucis, & benedictionem à læva ad dexteram partem duci, itaut dum proferuntur ea verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* prius contacto capite manus per pectus deducatur ad ventrem; deinde transversim, Crucem perficiendo (*a*) ab humero sinistro ad dexterum transferatur, id quod mystica significatione non caret; significat enim virtute Crucis Christi Filii Dei, ac Domini Nostri a leva

SS. D. N. Bened. XIV. sua Constit. *Omnium solicitudinum*: die 11. *Sept. anni* 1744. qua omnia discutit, digerit, atque cavet.

(*a*) Re vera scrupulosius egit Synodus circa efformationem Crucis, cum Ecclesia Orientalis uno modo, Occidentalis altero, alio etiam Ruthenica vivificum illud signum salva semper fide, designare potuerit. Vide Asseman. *tom.* 4. *Bibliot. Orient. pag.* 388. & Bernard. Ribera Barcinon. *Quæst.* 1. *Echo. Fid. pag.* 355.

Digitized by Google

à læva reproborum translatos esse ad dexteram partem, quæ est electorum; præcipit, ut in instruendis pueris, reliquisque, ipsis insinuetur modus se signandi Cruce, qui adhibetur in Ecclesia Latina, atque adeo abrogetur modus inversus, quo se signant in hac Diœcesi, ducendo manum ab humero dextero ad sinistrum. Hic etiam modus, quem tenet Ecclesia Latina servari debet a Sacerdotibus, dum benedicunt Populo, sive in Missæ Sacrificio, sive in Sacramentorum administratione.

DECRETUM XXXVIII.

CCXXXVIII. DEclarat Synodus executionem Testamentorum legitime nuncupatorum, ac ultimarum voluntatum eorum Christianorum, qui decesserunt, ad Præsules, & Episcopos Jure Canonico attinere; quamobrem ut id inconcusse servetur præcipit: quicumque itaque ex Christianis Testamentum cujuscumque rationis condiderit, quod juxta consuetudinem ac Regionis stylum, sit validum, si elapso anno ab obitu Testatoris ejus voluntas adimpleta non fuerit, Præsul ad illud exequendum hæredes cogat, ac ceteros, quorum intererit, pœnis etiam, si opus fuerit, ac censuris.

DECRETUM XXXIX.

CCXXXIX. CUM sæpius contingat, ut migrantibus ex hac vita criminosis aliquibus hominibus, quorum ingens aliquod, & scandalosum crimen per ora vulgi circumfertur, etiam si illius nulla habeatur juridica probatio, nolint pro *illis* reliqui Christiani orare, nec justa funebria illis persolvere, quamvis in mortis articulo Confessarium petierint, vel *fuerint confessi*, quæ quidem omnia regulæ adversantur, & consuetudini Ecclesiæ, quæ neminem publicis orationibus privat, præter excommunicatos, vel quos in actuali peccato mortali mors corripuerit, nullo prævio contritionis signo: præcipit Synodus, ut quantumcumque quis deliquerit, dummodo non moriatur anathemate ligatus, vel in actuali peccato, nullo exhibito contritionis signo, vel decumbens opportuno tempore confiteri recusaverit, & Sacerdotem, qui ejus confessionem exciperet, arcessere noluerit, ut in Decretis de Sacramento Pœnitentiæ statutum fuit, pro illo orent Christiani, funeris officia erogent, eumque in loco Sacro sepeliant, iisdem funereis precibus recitatis, quæ pro ceteris Defunctis recitari solent.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM XL.

CCXL. GRatias in Domino agens Religiosis Societatis Jesu Collegii de Vaipicota hujus Diœcesis, aliarumque residentiarum ipsius, ob egregie navatam operam in docendo, instituendoque hujusmodi Populo Christiano, necnon uberiore eorumdem Christianorum fructu procurando, facultatem impertitur Synodus prælaudatis Religiosis, cum illius Collegii, tum aliarum residentiarum majorum alumnis, necnon hospitibus, ut in quacumque Ecclesia, ad quam accesserint, valeant conciones habere, Catechismum explanare, Confessiones excipere, cetera demum Sacramenta solenniter ministrare; nulla alia præter hanc licentia requisita; Matrimonii Sacramento excepto, quod nisi Parocho consentiente, aut postulante administrare non poterunt; præcipit præterea Vicariis ceterisque Ecclesiæ Cassanariis, cunctoque Populo, ut per humaniter, & cum gaudio laudatos Patres excipiant, immo etiam gratulabundi animi significatione ob labores, ac dispendia ab ipsis tolerata in Montanis, & inaccessis Regionibus irrequieto gradu percurrendis, unice procurandi causa Animarum salutem. Alacriter etiam ab iis condiscant, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, & Populum in iis, quæ ad æternam salutem necessaria sunt instruere: Vicarii insuper, dum illi, vel prima Christianæ Fidei rudimenta tradunt, vel concionem habent, diligenter curent, ut Populus in Ecclesiam conveniat: plurimum etiam confidit, sibique pollicetur Synodus, laudatos Patres omnia hæc munia unanimiter cum Parochis, ceterisque Ecclesiarum Sacerdotibus, uno ac indivulso caritatis, & benevolentiæ spiritu fore adimpleturos.

DECRETUM XLI.

CCXLI. CUM Constitutiones Sedis Episcopalis Goensis in Synodis ipsius Provincialibus, fuerint pro tota Provincia receptæ, & fideliter, (id quod decretum fuit) in tota Provincia servatæ; cumque ad illam hæc pertineat Ecclesia, tanquam suffraganea, comprovincialis, atque adeo prælaudatis obnoxia Conciliis; Synodus probe cognoscens, quantum Constitutionibus illis deferendum sit, præcipit ut hæc Diœcesis per eas, quantum res tulerint, gubernetur, & potissimum ubi agitur de iis, de quibus hæc Synodus nihil expresse docuit. Decernit insuper, appellationes ad peti-

Digitized by Google

petitionem partium concedendas esse ad Metropolitanum à sententiis in hac Episcopali Sede latis, dum illæ legitime, & prout de Jure interponantur, & in casibus etiam in quibus concedi solent. Nihil tamen innovat circa modum, quo tranquille fere omnia Litigia ex conventione partium componuntur à proprio Præsule simul cum quatuor, aut pluribus adjunctis pro libito Partium, qua ratione plura dissidia, discordiæque vitantur: ceterum non convenientibus partibus, & ad Metropolitam appellationem interponere cupientibus, ipsis appellatio juxta præscriptam juris formam concedatur.

ACTIO IX.
De reformatione morum.

DECRETUM I.

CCXLII. CUM ex pravis consuetudinibus, quæ à Populo fideli extirpari debent, eæ omnium pessimæ jure, ac merito habeantur, quæ Ethnicorum superstitionem, vanosque, ac detestabiles illorum ritus redolent; cumque pravis hisce usibus Diœcesis hæc abundet, vehementer Synodus cupit, ut prorsus eliminentur, adeo ut Populus hic Christianus, suam Religionem nullis maculis deturpatam, & ex omni parte illibatam, & puram profiteatur. Quamobrem jubet vitari prorsus, (a) quæ sequuntur. Primo lavacra, quæ plures, superstitione ducti, ut ritum sacrum colere solent, dum quis ipsorum in domibus vita defungitur, deinde prandia postridie fieri solita pro defuncto ab illius propinquis: quæ lavacra præterire piaculum putant. Lineas etiam quasdam ex oryza circulariter ductas, in quibus circulis Personæ quædam occasione sponsalium locantur, aut cum primo oryza Infantibus de more exhibetur, id quod huic Populo solenne est. Item consuetudinem superstitiose detrahendi filum unum, quando velum, vel panni genus aliud dissecatur, ad flammeum faciendum, quo spectat etiam similis consuetudo venditorum *Nele* (b), qui post eum emptori admensum, ex eodem duo grana superstitiose sibi accipiunt. Quæ quidem omnia, cum sint vani ritus Ethni-

(a) Cuncta, quæ præsenti prohibentur Decreto valde indifferentia reputavit Crozæus; debuerat autem antiquitatis Ecclesiasticæ vanissimus assertor semel percurrere antiquos Canones, & præcipue Concilii Liptinensis *Iudiculum superstitionum, & paganiarum*, quo disceret quam solicite caveri debent similes ritus atque ceremoniæ, ex præscripto priscorum Canonum. Videsis etiam *Canonem 61. inter Trullanos*; & Cl. Muratorium *Antiq. Dissert. 59.*

(b) Vide Syll ab. Voc. Exotic.

Digitized by Google

Ethnicorum, a Synodo reprobantur, nec non severe præcipitur, ut qui ejusmodi superstitiones adhibent, à Præsule acriter puniantur.

DECRETUM II.

CCXLIII. GRatissimum esset Synodo, ut penitus deleretur superstitiosa consuetudo ab Ethnicis Malabariæ descendens, rationi & Christianæ caritati valde dissona, refugiendi nimirum contactum eorum, qui ex humiliore fuerint genere, immo cum eos tangentibus nullam habendi communicationem; sed cum Christiani hujus Diœceseos sub ditione existant infidelium Regum, quibus, exceptis iis, quæ ad fidem pertinent, in reliquis omnibus morem gerere debent, cumque Christiani aliquem ignobilioris stirpis tangentes, à Comercio aliorum segregentur, itaut nec eos alloqui, neque cum iis negotium ullum pertractare, neque inter illos degere possint; declarat Synodus (a) consuetudinem hujusmodi

(a) Consuetudinem hanc, quæ alias *superstitiosa* appellatur supra, tolerandam esse, Synodus decrevit; sub ea conditione, nempe quod Christiani agnoscant, eam esse usum prorsus inanem, & cujus fundamentum nullum sit a religione petitum; quodsi animadvertamus id quod superius statuerat Synodus speciales illis abjectæ stirpis hominibus Parochos deputare; hæc, inquam, omnia adamussim respondent menti S. Romanæ Ecclesiæ, quam cunctis aperuit nuperrime SS. D. N. Benedictus XIV. fel. rec. sua Const. *Omnium solicitudinum* conceptis verbis; quum pollicentibus PP. Soc. Jesu *certos aliquos* delegare Missionarios, qui Parreis convertendis darent operam: *Hoc* (ait) *consilium pro temporum circumstantiis, probandum commendandumque esse duximus*; decem deinde annorum spatium, huic consuetudini tolerandæ, tanquam ultimum terminum statuit; eamdem etiam apponit conditionem, quam nostra Synodus, nimirum: *Modo ii in ea non sint opinione ut credant* (sacramentalia) *esse indecentem sacramentalis ritus materiam*: uti de contactu Synodus tolerandum esse declarat, dummodo Christiani agnoscant esse usum omnino inanem, neque ad religionem aliquo pacto attinere. Qua in re nostræ Synodi Decreta plurimi facienda sunt; tum ob Menessii probatissimum zelum, qui vel minima quæque, multa religione pensitabat; tum quia PP. Diamperitanis cognitior præ aliis erat & gentium & rituum hujusmodi indoles; utpote indigenis. Ad Politicam ergo potius quam ad Religionem, contactus fugam referri debere compertum est; cum enim inter illas gentes nulla essent dignitatum, aut titulorum nomina, quibus optimates a plebejis discerni possent; non Duces, non Comites, non Marchiones, id unum illis supererat, quo distinguerentur Nobiles ab ignobilibus, contactus atque commercii fuga; cum illis non colloqui, matrimonia non inire &c. aut etiam a professione, & officio, nobilitatem gentis dimetiri. Unde eæ gentes, omnia rem hanc spectantia, sive quæ institutore Deo, de discretione ac separatione tribuum, etiam quoad Matrimonia, Hebræi observaverant, sive quæ Ægyptii Politici præscripserant, sive quæ nostrates ab illis remotissimi, servant, qui facilem ad se accessum, aut nimium proximum attactum abjectorum hominum, de more non patiuntur; hæc, inquam, omnia sibi servanda proposuisse videntur; perturbata tamen atque confusa methodo, ut certum aliquem ordinem atque Hierarchiam sibi statuerent. Rem totam ita explicat, diu apud eas gentes versatus P. Vincent. Maria a S. Cathar. *in suo Itiner. Ind. lib* 3. *cap.* 10. *Indiæ Ethnici, a professione & arte seu officio, non secus ac Hebræi duodecim tribubus, ratione stir-*

di contactus vitandi propter Ethnicos, dummodo Christiani agnoscant, eum esse usum omnino inanem & superstitionem Ethnicam, cujus nullum fundamentum sit; adeoque si sponte sua id non faciant, à superstitionis nota & scrupulo esse immunes, ob adductam rationem: unde hæc consuetudo Christianis permittitur iis in Locis, in quibus à Nairibus videantur, aut vereantur ne videri possint, vel saltem possit sciri, si forte aliquis ex prædictis contactibus habitus fuerit: in Locis vero remotis, aut Coloniis Lusitanorum nullo modo servetur, eamque ibi sine superstitionis nota servari non posse, declarat Synodus; immo Christianos omnes hortatur, ad humaniter agendum cum pauperibus, & ad excipiendos juxta Christianæ caritatis leges quoscumque, quantumvis abjecti generis; præsertim si Christiani fuerint; illudque meminerint: coram oculis Dei omnes nos esse pares, nec apud ipsum esse distinctionem Personarum, generis, aut Dignitatis, nam idem est Dominus omnium; quodsi non obstante cautela, quæ ipsis in Regionibus sub Regum infidelium ditione positis permittitur, accidat ut aliquem ex ignobili stirpe tangant, illud maxime caveant, ne lavacra adhibeant; cum an loti sint nec ne, ab infidelibus resciri non possit. Caveant etiam Christiani, qui regiones ad australem plagam sitas incolunt, ne (quod à pluribus eorum fieri compertum est) vitent contactum etiam Nairum, vel postquam casu ipsos tetigerint, se lavent, eo quod se nobiliores illis censeant; atque adeo per contactum hujusmodi labem aliquam contraxisse. Id quod nulla ratione tolerandum est, cum in prædictis regionibus impedimentum hujusmodi non vigeat apud infideles: immo potius hi scandalum recipiant ex iis lotionibus, & se quodammodo à Christianis contemni ægre ferunt. Quamobrem præcipit Synodus, ut siqui ibi inveniantur contactus fugientes, vel eo sequuto lavacris utentes, graviter puniantur, tanquam superstitionis, & rituum infidelium sectatores. Quæ omnia Sacerdotes, qui Confessiones excipiunt, & Concionatores, dum suo unusquisque munere fungitur, Christianis frequenter inculcent.

DE-

pis, immo multo magis inter se discriminantur; idem pagus, communitas eadem, in plures Castas dividitur, quin inter se aliquam communicationem patiantur; & hæc est regula, unde omne decus, atque nobilitas generis dimetitur, in fine ejusdem Capitis hæc habet: *Ea propter plures Missionarii, quo majus animarum lucrum faciant, dum illi tantum præjudicium non abjiciunt, illam consuetudinem & ritum, alias non peccaminosum, illis permittere compelluntur; unde ampliorem hac via animarum fructum reportant.* Conceptis demum verbis declaravit Syn. *Act. VIII. Dec. XIII.* vitationem contactus, ad Religionem non pertinere; Vide *pag.* 228.

DECRETUM III.

CCXLIV. CUM aliquibus in locis, dum quis obscuræ stirpis tangit aquarum stagna, Christiani ipsi illa (a) desempoleant, sive expiant, adhibitis certis Ritibus, & Ceremoniis, Ethnicorum instar, quod & maxime alienum est à sinceritate Religionis Christianæ, & aperte superstitiosum; jubet Synodus, eos, qui præfatum fecerint desempoleamentum, vel illiusmodi Ceremonias, à Communione Ecclesiæ sejungi; nec illis exhiberi Casture, per tempus à Prælato definiendum, anno tamen non brevius; puniri etiam pœnis aliis enorminati criminis correspondentibus.

DECRETUM IV.

CCXLV. QUoniam Gentiles festum, ab ipsis vocitatum *Ona* (b) ex more in Augusto, celebrent, ac umbratiles pugnas ludorum instar solennium, Arcu, Sagittis, ac vario armorum genere instructi, ex quo fit, ut multi occidantur, pluresque vulnerentur; cum ergo Christianorum aliqui, suæ immemores professionis, ob necessitudinem cum Ethnicis, & quia cum istis agunt, etiam ipsi armati solennitates istas, maxime Christianum dedecentes frequentent, eisdemque infortuniis sæpius subjiciantur: prohibet Synodus Christianis omnibus hujus Diœceseos in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna Excommunicationis, ne hoc vel aliud quodcumque infidelium festum celebrare audeant, etiam si nullum Pagodi cultum exhibeant, cum omnia illorum solennia ipsis dedicentur Pagodis, ac in eorum cultum, & honorem peragantur: a quo si alias, potissimum in Ona abstinere debent, ob imminens, quod in eo vereri potest, mortis discrimen, tum etiam eo quod infideles sibi prorsus superstitiose persuadent, quod li, qui in hujusmodi spectaculo occiduntur, statim rapiuntur in Cœlum: sacra itaque tantum Christianorum solennia, unanimiter, moderate, ac ea qua decet modestia, legem Christi profitentes celebrare debent, nec ullo pacto Ethnicorum superstitiosis festis, quibus colunt

(a) A *Pollcis* hominum genere abjecto dicitur barbaro prorsus sermone, in nostro autographo *empolleare* id est ab aliquo Pollea attrectari aliquid; & *desempolleare*, nimirum ab ejusmodi attactu aliquid expiare.

(b) Præ aliis solennis habent festum *Ona* Malabarici, in quo credunt, Deum *Visnu*, larvatum advenire in Mundum, ut exploret cominus mortalium indigentiam, & iis necessaria provideat; quo tempore nova sumunt tegumenta, & Milites præcipue imbellia ista & umbratilia prælia instruunt, ut Synodus recenset.

Digitized by Google

Dœmonia, se immisceant; si qui vero in hisce superstitiosis illorum solenniis peremptus fuerit, Ecclesiastica careat sepultura.

DECRETUM V.

CCXLVI. SED nec ritus superstitionesque Ethnicorum tantum, verum etiam ceremonias, ritusque Judaicos fugere tenetur Populus fidelis, & Christianus, maxime promulgata jam sufficienter lege Evangelica, penitus deletos. Itaque quanquam Synodus plurimum commendet, ac probet, morem puerperis usurpari solitum, adducendi parvulos suos in Templum, Domino offerendos, post diem à partu quadragesimum, ad imitationem, ac honorem Virginis Mariæ Dominæ Nostræ, quæ id peregit, improbat tamen, quod feminæ veluti immundæ quadraginta illis diebus ad Templum accedere non audeant, id pro piaculo habentes ex more veteris legis, si Masculum pepererint, & per octoginta dies, si feminam, qui ritus Judaici sunt, dudum reprobati, nec tantum vani, verum & perniciosi, quos ut tales præcipit Synodus omnino caveri; necnon declarat, feminas, si ante id temporis vires, ac sanitatem receperint pristinam, præcepto teneri accedendi ad Ecclesiam Dominicis, festisque diebus, audiendi causa sacrum: sub diem postea quadragesimum devote, ut assolent filios in Templum poterunt adducere, animadvertentes tamen id ab Ecclesia non præcipi, sed tantum concedi fidelibus, ut filios suos Deo offerant, ad imitationem Deiparæ, ejusque patrocinium implorent pro filiis suis, eisque à Deo interposita Deiparæ intercessione, bona tum temporalia, tum potissimum æterna apprecentur.

DECRETUM VI.

CCXLVII. INter omnia scelera, nullum Deo detestabilius est, quodque semper & prohibuit, & ultus fuit, quam consulere Magos, Hariolos, ac Dœmonum interpretes; cumque noverit Synodus, plures hujus Diœceseos Christianos, silvicolas potissimum, tum ex familiaritate, quam habent cum infidelibus, tum etiam quia veneficis, ac Haruspicibus (*a*) obsidentur, dum inire Matrimonia volunt, illorum eventum ex ipsis quærere, quo-

(*a*) De variis Haruspicinæ generibus consule inter alios, laudatum P. Catalani sup. *Can.61. Trullan. tom.2. Concil. OEcumenic.* Consulentes autem Magos excommunicantur Cap.12. Concil. Rom. anni 721. *sub Greg.II.* Vide *Act.7. Dec.10.* Synod. Diamp. & Hist. Synod. *Cap.4.* & Muratorium *Antiq. medii ævi Dissert.59.*

Digitized by Google

quorum falsis vaticiniis ducti, plura jam pertractata abrumpunt, plura item juxta Haruspicum placita perficiuntur: præterea dum ægritudinibus vexantur, eos ad se vocare, quorum ceremoniis sanitatem sibi pollicentur; necnon sibi futuram sobolem, immo etiam furta detegere conantur: quæ omnia Christiana aversatur Religio: præcipit, ut quicumque, de quo constiterit hujusmodi Magos sive pro iis, sive aliis quibuscumque rebus consuluisse, ab Ecclesia separetur, atque Cassanarii ad ipsorum domos non accedant, necnon per tempus Præsuli bene visum, non tamen anno minus Casture priventur, aliis insuper adiunctis pœnis plectantur juxta qualitatem superstitiosorum rituum, quos adhibuerint, aut quos adhiberi permiserint.

DECRETUM VII.

CCLXVIII. CUM compererit Synodus, pravos quosdam Christianos non tantum adire Veneficos, eos consulendi gratia, ubi negotium aliquod suscipere debent, sed etiam in proprias domos eos accersere, simul cum illis invocatis Pagodis oblationes, & sacrificia agere, Gallos jugulare, plures etiam ceremonias fidei adversas prestare, præsertim quas vocitant Tolliconum, (a) Alliconum, Bellicorum, Conum, quas pluries etiam propalam non sine ingenti offendiculo, contumeliaque aliorum Christianorum exercent, perinde ac si ipsi Christianam Religionem non profiterentur; aliquoties insuper ex ipsorum consensu, similia in suis domibus fieri; præcipit Synodus in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, ut nullus ejusmodi ceremonias, vel oblationes faciat, vel suis in domibus fieri permittat; contravenientes vero illico Excommunicati in Ecclesia denuntientur, quousque veniam postulaverint, & condignam, ac publicam satisfactionem in ipsa Ecclesia egerint; quodsi vere pœnituisse appareat, absolutionem obtineant, non autem exhibeatur ipsis Casture, nec Sacerdotes ante biennium eorum

(a) Cuncta hæc nomina significant Talismanes, amuleta, aut inscripta Phylacteria, quæ ad avertenda mala, superstitiose plurimi e collo suspendunt, aut secum gestant, quod a Conc. Laodiceno, præsertim Clericis prohibetur. Ea etiam gestantes Anathemate ferit Concil. Roman. *sub Gregor. II. anno* 721. *cap.* 12. & in eos acriter invehitur Zacharias Papa *Epist.* 1. *ad Bonifac.* Risum autem quis teneat, si perpenderit Rabbinorum superstitiosa inscripta brevicula? Mulieres Hebrææ cingunt recens natum vitta, e qua pendent קמיע *Kamiangh* cum nomine *Sciaddai* id est *Omnipotentis* simulque aliis Angelorum atque Dæmonum, idque ne fascino lædantur, aut occidantur ab illa *Lilith* aut nocturna strige. Vide Maurocenum *pag.* 112. & 156. apologiam horum legi insulsissimam Romæ, auctore Rab. Tannaquillo Corcos.

Digitized by Google

rum ingrediantur domos, dempto mortis articulo. Pari etiam pœna ac censura ipso facto incurrenda ejus culpa animadvertatur, qui Pagodem oblationis, vel voti faciendi causa adierit, ad quæ omnia penitus evellenda, omnemque Idololatriæ speciem delendam, Vicarii plurimum solertiæ impendant.

DECRETUM VIII.

CCXLIX. CHristianorum non pauci hujus Diœceseos, tum ex fatua quadam animi facilitate, tum ex Christianæ Doctrinæ oblivione secum quasdam gerunt inscriptas notas à Veneficis acceptas, in suarum ægritudinum præsentissimum, ut fidunt, remedium, quas etiam (*a*) è jugulo suspendunt animalium ad ipsorum incolumitatem tuendam, tum etiam ex arbusculis, & fruticibus, ut uberiores fructus edant. Demum eas etiam aliis ad alios effectus obtinendos tradunt. Quæ omnia cum tanquam vana & diabolica detestetur Synodus, jubet eos, qui talium criminum rei sint, à Præsule graviter puniri, à Vicariis etiam à suis Ecclesiis procul arceri, iisdem *Casture* non exhiberi, & neminem ex Cassanariis eorum domos ingredi, superstitiosas insuper notas, sive schedulas Vicariis tradere cogantur, statim lacerandas: siquis vero illis usum fuisse compertum sit, licet eas exhibuerit Vicario, ab earum tamen usu in posterum abstineat, & eadem pœna per semestre puniatur.

DECRETUM IX.

CCL. CUM peccatum Usuræ sit adeo abominabile Deo, nec non à divinis Scripturis reprobatum, præcipiente Domino: (*b*) *Mutuum date, nihil inde sperantes*, plurimum displicet Syno-

(*a*) Vide superiorem Notam *ad Dec. VII.*

(*b*) Textus hic desumptus ex Cap 6. Lucæ: v. 35. ita quidem habetur in Vulgata: verum in Syriaca versione Parisiis, Londini, & Romæ edita; immo in Græco textu, Arabico, atque Æthiopico, legitur: *Mutuum date neque amputetis spem ullius*. Unde immerito PP. Diamperenses *Act. 3. Dec. 3.* & cum illis Possevinus 2. *tom. Apparat. V. Nestoriani* increpant Nestorianos, tanquam hujus loci Evangelici depravatores, cum ante Nestorium illa jam lectio obtinuerit. Discrimen autem quod inter Vulgatam & Syriacam intercedit, inductum est ratione verbi *Apelpizein*, quod æquivocum est, cum significet, & *non sperare*, aut *spe dejici*, & *sperare aliquid ab alio*. Inde autem gratis atque perperam deducebant Nestoriani, usuram accipere licitum esse; quod enim dicitur ex mutuo sperari debere, solâ Dei est remuneratio, ob gratiam proximo collatam, non vero usura. At neque communiter Theologi nostri recte probarent ex hoc uno loco illicitam esse usuram, cum sensus literalis tantum intendat, dandum esse mutuum proximo, etiam si ipse alias mutuum nollet dare, aut non posset, atque iccirco nihil ab

Synodo fere omnes hujus Diœceseos Christianos illicitis lucris, usurisque implicatos aspicere; cumque ex ea, qua laborant ignorantia, nesciant quid ipsis liceat, & quantum restituere teneantur, quantumque accipere valeant; Fideles omnes Synodus monet in Domino, ut viros doctos consulant, & cum agitur de contractu aliquo ineundo, ab ipsis discant, quantum lucri ob distractam pecuniam, & periculo expositam licite accipere possint, ac edoceantur: declarat præterea eadem Synodus juxta notitiam habitam de communi modo lucrandi in his partibus Malabaricis, damnandum esse, ut usuram quidquid ultra decem pro tradita summa centum, in his locis, absque pecuniæ periculo annuatim acceperint. Verum quantum ad hanc ipsam decimam partem lucrandam consulant Jurisperitos, exponentes ipsis ubi locorum hos contractus celebrent, ut probe dijudicare possint, an id juste accipiant, fortassis etenim aliquo in loco tantum pecuniæ lucrari non erit licitum: quicumque ergo quidquam ultra decem sine periculo exegerit, si ter admonitus per Præsulem, aut Vicarium non resipiscat, & in eodem peccato contumaciter persistat, Excommunicatus declaretur, nec absolvatur, quousque cum effectu pedem retraxerit, & hujusmodi contractum rescideriit.

DECRETUM X.

CCLI. PErpendens Synodus contractum eorum, qui unum pro quolibet centenario extra periculum omne, dato tamen pignore singulis Mensibus accipiunt, & pignore non dato accipiunt duo, qui contractus injustus est, & manifeste usurarius, quia ob non exhibita pignora aut alia ex causa duo pro centenario extra periculum accipere nefas est. Præcipit itaque Vicariis, ut prædictum contractum celebrari nullo modo permittant, & celebratum rescindi curent, pœnis etiam ac censuris si opus fuerit, delinquentes cogendo: improbat etiam ipsa Synodus commune vocabulum, quo in hac Diœcesi quodcumque lucrum appellatur usura,

ipso sperandum: nec nostra id est opinatio, sed ipsius contextus naturalis sensus, cum dictum sit versu 33. & 34. *Et si bene feceritis eis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœneranstur ut recipiant æqualia*; id est par beneficium, dandi mutuum. Itaque omnia ista consilium continent, non præcepta, nimirum, non repetendi ablata, benedicendi maledicentibus, dandi tandem mutuum illud non dantibus; dare enim cum spe accipiendi parem gratiam, par beneficium, æquumque fœnus, id non est speciale insigne discipulorum Christi, cum quibuslibet peccatoribus commune sit. Hic & non alius est directus & naturalis sensus verborum Christi.

Digitized by Google

usura, unde plures existimant, omne lucrum, quod accipitur ex pecunia alteri tradita illicitum esse, qua conscientia erronea laborantes, nihilominus lucrum accipiunt, & peccant: cum plures ex contractu inveniantur modi lucrandi justi, & honesti, quod fas erit accipere.

DECRETUM XI.

CCLII. QUoniam Christianorum plurimi timore Dei, & Ecclesiæ posthabito, publice cum Populi Christiani scandalo in concubinatu degunt, eos proprii Vicarii ter benigne admoneant, obtestando, nisi resipiscant, fore ut excommunicati declarentur; quodsi ita admoniti, mutuo non separentur, Excommunicationi subjaceant, donec cum effectu id præstiterint, aliis etiam puniantur (a) pœnis ad arbitrium Præsulis, ratione habita temporis, quo in peccato convixerunt; si vero concubinæ, fuerint ancillæ ipsorum, ad eas è domo ejiciendas compellant; quin à locis propinquis, & a tota vicinia abduci curent, si forte propinquitas loci occasionem peccandi præbeat. Id quod cum aliis quibuscumque concubinis fiat, si prudenter timeatur relapsus.

DECRETUM XII.

CCLIII. DOminis, ac Patribusfamilias inculcat Synodus, ut invigilent supra vitam, moresque captivorum, ac famulorum; nec enim ignorat, fere omnes Christianorum famulas Aethiopissas turpiter vivere, & consciis etiam, nec id impedientibus eorum Dominis, publice meretriciam artem exercere; unde Sacro non intersunt, confiteri renuunt, Christianam doctrinam ignorant, nec Dominos earum instruendarum cura mordet, immo ipsarum salutem flocci pendunt, tametsi ad id teneantur, Apostolo Paulo testante: (b) *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior*: itaque Vicariis Ecclesiarum severe injungit, ut invigilent, & accurate inquirant in vitam captivorum suæ Paroeciæ, quodque opportunum judicaverint, Dominis ipsorum manifestent, ipsos ultra compellendo,

(a) Quam gravitet in ejusmodi vitii reos, antiqui Canones animadverterent, ex Concilio Germanico auctoritate S. Bonifacii celebrato *XI. Calend. Maii anno 742.* videre licet, ubi *Can 6.* statuitur, ut *servi Dei & Ancillæ Christi* (Monachi & Moniales) pœnitentiam faciant in carcere in pane & aqua, si tamen Presbyter fuerit: *Duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & exorticatus videatur, & post Episcopus adaugeat.*

(b) 1. ad Timoth. 5.

Digitized by Google

lendo, ne permittant suos captivos, in hujusmodi damnationis statu permanere. (a)

DECRETUM XIII.

CCLIV. QUia nonnulli Christianorum præ inopia ac miseria, Ethnicorum more, inter quos degunt, filios, (b) vendunt, quod plane, & naturali rationi, & positivis Juribus adversatur: præcipit Synodus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis majoris, ut nullus audeat filios, aut aliquos e consanguineis vendere, etiam Christianis emptoribus; necnon sub eodem præcepto, ac censura prohibet Christianis eos emere, aut tanquam mancipia habere: dempto tantum casu, quo ipsorum Parentes aut propinqui, hoc contemnentes præceptum, eos infidelibus vendere velint, quos tunc emere poterunt, ne puelli Christiani in potestatem redigantur infidelium; eos tamen pro mancipiis non habeant, sed id statim Præsuli significent, qui ita provideat, ut emptor suam habeat pecuniam, ac puer maneat liber, & qui eum venumdedit puniatur: siqui vero aliter eos emerint, non secus ac qui vendiderunt, Excommunicatione coerceantur, quousque cum effectu hujusmodi emptio, ac venditio rescindantur; quodsi venditio facta fuerit infideli, non absolvatur vendens, donec puerum redemerit, aut saltem Vicario, cunctoque Populo constiterit, se egisse quantum potuit, ut eum redimeret. Vult etiam Synodus, idque instanter poscit, Vicarios, Cassanarios, & quemcumque de Populo vires omnes impendere pro redimendo etiam pluris puero; suis etiam eleemosynis auxilium præstare, Reges etiam interpellare, Præsulem denique convenire, & nihil omnino prætermittere quominus puer apud infideles remaneat cum periculo perversionis.

(a) De institutione familiæ legere juvabit monita S. Caroli Borromæi *in Collect. Concil. Harduin. tom.*10. *col.*793.

(b) Persarum Reges teste Aristotele *Ethic.VIII.*10. permiserunt Parentibus in liberos, dominium satis durum & vere tyrannicum. Tyrannidem Romani, auctore Romulo auxerunt; etenim non solum habebantur filii tanquam res mancipii, sed etiam ex patria potestate habebant Parentes in filios *jus vitæ & necis*. Cumque liberi, qui ratione facta ad alios homines, erant *Personæ*, & ratione Civitatis *Cives*, ratione Patris, inter *res*, non secus ac Servi recensebantur. Poterant igitur uti *jure*, *ter venundandi filios*, qui tamen impetrata tertium libertate, e Patria potestate excidebant: unde cum dicit Synod. *id positivis juribus adversari*, de recenti atque posteriori jure, intelligenda est. Vide Gravin. *De Jur. Nat. cap.*25. & Heineccium *Antiq. Rom. tom.*1. *pag.*138. Ceterum Indi ad suarum Legum normam, possunt liberos vendere, atque in perpetuam servitutem redigere, etiam inconsulto Principe, & quin is, aut ejus Ministri possint in Parentes animadvertere, vel eos increpare. Vide Vinc. Maria a S.Cathar. *lib.*3.*cap.*26.

DECRETUM XIV.

CCLV. QUoniam maxime probatur Synodo laudabilis Christianorum hujus Diœceseos consuetudo, donandi nimirum Ecclesiam decima dotis parte, ab Uxoribus habitæ: subinde approbat distributionem hujus eleemosynæ fieri solitam inter fabricam Ecclesiæ ejusque Sacerdotes; & quia alicubi, ubi nempe Regio vergit ad Austrum, non servatur pia hæc consuetudo, etiam populos illos rogat, immo etiam iis præcipit, ut aliis hac in re se conforment. Vult præterea, quod in hac eadem Synodo, Populi, apud quos id non est in more positum, per suos Procuratores electos, hunc laudabilem morem in posterum se secuturos promittant; cum enim major Diœceseos pars id servet, congruum videtur, ut pars minor majori parti consentiat.

DECRETUM XV.

CCLVI. CUm ex antiquo more, annuentibus cunctis Regibus paganis Malabaricis, totum Christianorum hujus Diœceseos regimen, tum in spiritualibus, tum in temporalibus ad Ecclesiam & Episcopum sit devolutum, qui postulationes omnes, lites, negotia, & causas examinat, & de iis Iudicium fert, nihilominus nonnulli, ut competens hoc forum declinent, omni postposito Dei timore, (a) ad Reges Infideles, eorumque Ministros provocant, quos pecunia in suam partem flectunt, non sine ingenti Christianitatis nocumento; quippe inde Reges occasionem arripiunt, de re-

(a) Etsi Petrus Giannonius *tom. 1. Hist. Neapol.* multis in locis, novum ostentum atque inventum putet, Episcopos personam & munus Judicum assumere; tamen prudentissime, & ex ingenio primitivæ Ecclesiæ, inhibet nostra Synodus, Christianos Divi Thomæ, coram Ethnicis Judicibus causas dicere: id enim per omnia cavit Paulus 1. *Cor. cap. 6. Frater cum Fratre judicio contendit, & hoc apud Infideles?* Et quidem Judæorum etiam erat mos, ne quis coram Ethnicis Judicibus causam ageret; immo cum Judæa redacta fuit in Provinciam, Præsides exceptis causis, in quibus de capite res esset, ceterarum cognitionem Judicibus Populi demandarunt. Sicuti autem Judæi in captivitate, ita primi Christiani ex facultate etiam Ethnicorum, suas per arbitros, aut aliter expendebant lites: cum vero Christiana religio sub Christianis Imperatoribus plene fuit constituta, Episcopi erant ordinarii Judices in secularibus etiam eorum negotiis, qui ad Ecclesiam, Parœciam, aut Diœcesim suam pertinebant. Cujus rei inter alia luculentissimum testimonium in Augustino habemus, ex Possidio *De Vita Aug. cap. 19.* quo scribit, non tantum Catholicos, verum etiam alterius communionis homines, quandoque ad Augustinum accessisse, ut eorum lites judicaret. Et Augustinus ipse *De Opere Monach. cap. 29.* ejusmodi litibus obrutus, testem vocat Deum: *Se Cœnobii sui requiem potius amare.* Unde splendidi, malitiosique mendacii reus convincitur Giannonius: vide supra *pag. 62. in Not.*

Digitized by Google

de rebus Christianorum, quod alias non facerent, cognoscendi; cumque Tyranni sint ac Idololatræ, plurimis inde mulctis, ac vexationibus Christianos afficiunt. Ad hæc itaque aliaque inde Christianis imminentia mala præcavenda, præcipit Synodus urgentissime omnibus hujus Diœceseos Christianis, ut illorum nemo quocumque quæsito colore causas suas ad Reges Ethnicos, eorumque Ministros absque Præsulis licentia, deferre audeat: quam licentiam, si necesse fuerit, ipse eam petenti, formula, quæ melior ipsi, & opportunior visa fuerit, concedet. Cuncta ergo negotia, quæ vel judiciali sententia, vel amicabili conventione, & concordia ad arbitrium Judicis ineunda, concludi debent, ad Episcopale Tribunal deferantur: qui vero contra fecerit, graviter, & ad arbitrium Præsulis puniatur, ac mulctetur, & ab Ecclesiæ ingressu tempore sibi bene viso prohibeatur.

DECRETUM XVI.

CCLVII. CUm in Regionibus sub Regum, ac Dominorum Ethnicorum ditione positis vigeat hæc consuetudo, qua ad innocentiam rei, cujus crimen aliquod ad Judicem delatum sit, ab accusatoribus probandam, reus cogatur vel ferrum candens manibus attrectare, vel manum in oleum fervens immittere, vel etiam natatu trajicere flumina (a) referta crocodilis, quod experimentum, si reo feliciter contingat, innocens habetur, si secus illico criminosus, juxta delata ex læsione accepta comprobatur, fuat; non raro accidit, ut Christiani insipientes injuste accusati, ultro experimento hujusmodi se exponant; quod licet aliquando feliciter contingat, eosque Deus eorum innocentiæ, & sinceritati prospiciens servet illæsos, nihilominus quia ultro se offerre culpa non vacat, nam est tentare Deum, & sibi temere miracula polliceri; & quia id in opprobrium Catholicæ fidei cedere potest, præcipit Synodus, ut Christianorum nemo se deinceps ad hoc subeundum

(a) De judiciis, & probationibus per aquam, ferrum ignitum, ignitos etiam vomeres &c. vide Martene *De Rit. lib* 3. *cap.* 7. & de natatu isto Indorum Kaempfer *Amœnit. Exoticar. Fascic.* 2. *relat.* 2. *pag.* 454. & Vinc. a S. Cath. *pag.* 251. ubi plura de probationibus Malabarensium per Crocodilos, & per immissionem manus in perforatam capsam famelicorum Serpentum. Quæ omnia putamus, tam in Ecclesiam Orientalem, quam in Occidentalem nostram invecta esse, ab antiquo Hebræorum ritu, quo Maritis zelotypiæ suspicione laborantibus, permisit Dominus uxores in templum adducere, ut *aquas amaras* bibendo; innocentes, illarum haustu fecunditatem, adulteræ vero mortem epotarent. De quo *Num.* 5. Consule Hadriani Relandi *Antiq. Sac. cap.* 5. *num.* 20. & Commentar. Blas. Ugolini in hunc locum *tom.* 2. *Thesaur. Antiq. Sac. Venetiis excus. anno* 1744. & Murator. *Antiqu. Differ.* 38.

Digitized by Google

experimentum se paratum offerat, nec genus hoc probationis suæ innocentiæ exquirat; quodsi secus fecerint, sciant se lethaliter peccaturos Deum tentando: ulterius contravenientes a suo Præsule acriter puniantur. Quodsi per Reges, & Dominos ad hoc experimentum genusque probationis compellantur, invito hoc patiantur animo, voluntati Divinæ conformes, quandiu vi, injustitiæ, ac tyrannidi Regum Infidelium subjiciuntur. Si tamen ab ipsis exigatur, ut jurent apud Pagodem, vel interposita alia quacumque re ipsi dicata, sciant se teneri prius mortem oppetere; quam hujusmodi præstare juramentum, cum juramentum actus sit latriæ, cultusque soli Deo præstandus. Demum Christiani caveant (*a*) a prædictis probationibus, & juramentis in iis controversiis, quæ inter ipsos oriuntur; sed iis tantummodo utantur, quæ in Ecclesia Christiana sunt in usu, & quæ non minus timeri debent, quam cruciatus quantumvis crudelissimi.

DECRETUM XVII.

CCLVIII. POpuli fidelis ab infideli discretio, habitu etiam exteriori, ac incessu fuit perpetuo servata, quo inter se discreti internoscerentur. Id quod præ oculis habens Synodus, & simul advertens inter Christianos hujus Diœceseos, & infideles Nayres, nullum haberi discrimen quoad habitum, comam, resque alias ad externum cultum corporis pertinentes; præcipit, ut in posterum internosci valeant, ut Christianorum nullus audeat sibi auriculas perforare extremas, nec eas deorsum vergentes, producere, (*b*) demtis feminis, quibus hoc ornamenti genus apud omnes fere Nationes commune est. Qui vero hac in re contumaces fuerint, Præsulis arbitrio puniantur. Præterea non illis permittatur, ut aliquid ex auro vel alia materia ex auribus appensum gestent;

(*a*) Judicia ista sicuti usitatissima, ita & probatissima fuere pluribus, aliis ex adverso ea improbantibus; ejusmodi fuit Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui libellum adversus ea conscripsit, Ivo etiam Carnotensis *in Epist. ad Hildebert. Cenoman.* eam consuetudinem damnat; quæ quidem antiquissima est, cujus etiam multis in locis cum plausu meminit Gregor. Turon. præsertim *lib. 1. de Glor. Mart. cap. 68.*

(*b*) Textus Lusitanus habet, quod nullus Christianorum auriculas inaurium pondere, aut alio modo producere curet, iisque utitur verbis: *Nenhum Christão seja ousado a furar as orelhas, nem facelas crecer, tirando as molheres.* Crozæus autem æque doctus idiomate Lusitano ac dogmatis, ita vertit in *Hist. Christ. Ind. pag. 275. Que aucun Chretien n' ait a se percer les oreilles & a les faire tirer par sa femme, pour les allonger*: Ita ut cum textus intendat, quod nullus sese auritum affectet demtis feminis, quarum id est proprium, ille legit: Nemo auriculas suas ab uxore sibi producere deorsum sinat. Quam bene conveniant textus & Crozæi versio nemo non noverit; aptius profecto ipsi auriculæ Midæ convenirent.

Digitized by Google

gestent; quodsi non paruerint, ab Ecclesia arceantur, nec eis Cattura exhibeatur, donec re ipsa similia ornamenta abjecerint. Tamen qui habuerint aures jam antea perforatas, parvulis exceptis, poterunt solito more eas ornare, ut libuerit.

DECRETUM XVIII.

CCLIX. SYnodus, cui cordi est horum Christianorum mores, quantum fas est reformare, resque omnes ad morum disciplinam pertinentes apte componere, cum perspectum habeat effrænem licentiam bibendi Orraca, cujus largior usus sæpe in causa fuit percussionum, homicidiorum, aliarumque perturbationum; præcipit ad vitandos hujusmodi perniciosos excessus, ne extent in vicis Christianorum Tabernæ, in quibus Orraca vendatur, (a) prohibetque Christianis omnibus venditoris munus, sub pœnis Præsulis arbitrio infligendis; cujus præcepti ea insuper causa est, ut nimirum vitetur, quantum fieri potest, commercium cum infidelibus, qui promiscue cum Christianis ad eas Tabernas emendi, manducandi, ac potandi causa accedunt; ex quo illud etiam suboritur, ut in consortio illorum multa à Christianis licenter perpetrentur.

DECRETUM XIX.

CCLX. CUM perspicue Justitiæ adversetur ponderum (b). sive librarum discrepantia, & inæqualitas, ubi agitur de iisdem mercibus in eadem Regione vendendis, constetque Synodo, pravam hanc consuetudinem adhibendi diversa pondera ad vendentium arbitrium in hujus Diœcesis Vicis, ac eorum Tabernis fuisse inductam; ad eam radicitus evellendam præcipit, ut in uno, eodemque Pago ad easdem merces ponderandas æquali omnino Libra Venditores omnes utantur, atque adeo in Officinis, ac Tabernis omnibus, in quibus res venales prostant, ad mensurandum earum pon-

(a) E Nucis Indicæ succo, quem vocant Indi *Sura* vel *Tari* eliciunt illi medio exstillatorio igne, liquorem persimilem Spiritui vini *Italice*, *Acqua vita*, Hispanice, *Aguardiente*, quem appellant Malabarici *Arach* aut *Orraca* quod quidem potionis genus, non secus ac vinum, temulentiam inducit. De quo licenti, & de utilitatibus, quas Orientales Indi ex Palmetis capiunt legi potest P. Vincent. Maria a S. Catharin. Carmelita Discalc. *Viaggio all'Ind. lib.4. cap.2.*

(b) Ut habetur Prov.20. v.10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Ea propter id vetitum fuit plurimis in Conciliis: Arelaten. *anni* 813. præscribit, quod *Pondera ubique justa sint, & mensuræ*: Parisien 6. *anni* 829. *lib.1. cap.51.* ejusmodi stateras dolosas ac inæquales prohibet.

Digitized by Google

pondus non alia adhibeatur libra, quam quæ sit perfecte conformis communi usui locorum, atque Regionum, in quibus res venduntur. Qui vero parere recusaverint, à Præsule puniantur pro suo arbitrio, si prius per Vicarios admoniti, non resipiscant, & si opus fuerit pœnis ac censuris subjiciantur, cum in hac Diœcesi Christianorum regimen sit Ecclesiasticum, nec aliter quam per censuras vis coactiva in illos exerceri possit.

DECRETUM XX.

CCLXI. CUM in hac Diœcesi Masculi solum in heredes instituantur, penitus exclusis feminis. Excluduntur enim vero feminæ, etiamsi Parentes prole Masculina careant, & non solum si jam conjugatæ dotem receperint, sed etiamsi innuptæ fuerint, ac nuptui proximæ, immo etiamsi infantulæ, & à maternis uberibus nondum depulsæ. (a) Hinc fit ut Parentum bonis ad Masculos in gradu valde remoto consanguineos, vel etiam in linea transversa transeuntibus, feminæ interim vel misere pereant, vel egestate impulsæ se prostituant, dum de illis nullam rationem ineunt, nec erga illas aliqua obstringi obligatione putant. Quæ omnia cum sint contra naturalem æquitatem, ac Juris positivi sanctiones in naturali æquitate fundatas, quibus statuitur, ut filii, filiæque in bona paterna succedant, Parentes vero filiabus suis, tanquam legitimis heredibus, hujusmodi bona ipsis restituere tenentur. Decernit itaque, ac declarat Synodus, consuetudinem hujusmodi esse prorsus illicitam, neque Consanguineos alios posse hereditatem capere filiabus existentibus, eamque captam restituere debere. Rursus Masculos non posse interse facultates dividere; quin æqualem feminis partem attribuant, quod si secus fecerint, ipsis in ea parte remanent debitores; detracta enim tertia parte, si de

(a) Liberum erat olim ex *XII. tabulis* filios uti occidere, ita exheredare *l.1. D. de liber. & post.* at id nominatim fieri debebat: filiæ autem postremæ exheredari poterant, immo & præteriri, relicto tamen illis legato: Ulpian. *Fragm.22.* Ceterum feminarum hereditates coercuit lex Voconia à qua præter alia fuerat cautum, ne femina ad ullam defunctorum successionem admitteretur: eaque lex etiam ad heredes suas & consanguineas pertinebat; adeo ut neque unicam filiam, heredem instituere liceret. Augustinus dum istius legis meminit *lib.3. de Civit. Dei cap.21.* ait: *Qua lege quid iniquius dici, aut cogitari possit ignoro.* Vide CL. & eruditissimum Gravinam, *De leg. & sen. con. cap.76.* & Heinec. *Antiq. Rom. ad Instit. lib.3. tit.1. num.4.*; Vetustamen in tota ferme Italia municipalia extant statuta, quibus novissimo Justinianeo Jure abrogatum est, ut intestatæ successiones agnatis virilis sanguinis deferantur, exclusis feminis ceterisque consanguineis. Quæ statuta non modo pro Ecclesiastica Ditione comprobavit, verum etiam peculiari Constitutione sanxit Ven. Serv. Dei Innoc.XI. incipiente: *Pastoralis Officii*. Adi sis Card. de Luca *De Statutariis Succession.*

Digitized by Google

si de ipsa Testamentum fecerit Pater, reliquum æquis portionibus inter filios, filiasque distribui debet; detrahi etiam debet pars illa, quæ collata fuit à Parentibus tanquam dos filiabus coniugatis, cum qua ad majorem cumulum facultatum omnium accesserunt; Decretum hoc præcipit Synodus, ut in posterum inviolabiliter servetur, rogatque Populos, ut idem Decretum tanquam legem recipiant, eamque ab omnibus custodiri, & servari curent, illudque præ oculis habeant, se ad id naturali Jure obligari, neque citra gravem conscientiæ labem id posse negligi. Si quis vero aut è propinquorum numero, Parentum facultates filiabus debitas surripuerit, aut si filius æquam portionem sororibus dare detrectaverit, vel demum si eas retinentes, restituere nolint, per Præsulem ad huic obligationi satisfaciendum, pœnis ac censuris, si opus fuerit, compellantur, respective insuper declarentur Excommunicati extra omnem absolutionis spem, quousque cum effectu obediant, ac restituant.

DECRETUM XXI.

CLXII. ADoptio a Jure instituta fuit in supplementum filiorum naturalium, quamobrem habentibus naturales filios, non licet extraneos adoptare: (a) Ex ignorantia tamen Juris sæpissime in hac Diœcesi contingit, ut Christiani filios suarum ancillarum vernas, inque eorum domibus natos, vel etiam alios quosvis adoptent, quamvis filios naturales habeant; idque faciant, vel quia cum propriis filiis rixantur, vel quia in alienos propensiores sunt; adoptati autem æquam cum propriis, hæreditatis portionem sortiuntur, quod plane est contra jus, & æquitatem, ceditque in malum ac detrimentum filiorum naturalium. Quapropter prohibet Synodus hujusmodi adoptiones, ab habentibus filios naturales, vel spem illos habendi. Quodsi fiant, nullius sint roboris, nec ita adoptati hereditatis partem aliquam habere possint extra id, quod per modum Legati iisdem relinquatur à Testatore ex ea tertia parte suarum facultatum, de qua libere testari potest, quod

(a) Adoptio inventa est in solatium eorum, qui liberos non haberent, unde ad Juris normam Synodus, ejusmodi adoptiones compescuit; etenim adoptare ii communiter nequeunt, qui vel per ætatem (minor debet esse 60. annorum) liberis procreandis vacant, vel illi, qui liberos habent naturales: illud constat ex *l.17. §.2. ff. lib.1. Instit. t.11.* hoc vero laudata *l.17. §.3. ff. eod.* Et licet Principes Rom. aliquando adoptarent alios, quamvis haberent filios naturales, ut domum regnantem in Imperio fulcirent, tamen id reprehensione non caruisse ostendit, Jac. Perizonius *Animad. Hist. cap.3.*

Digitized by Google

quod præsertim habet locum, si adoptio facta fuerit ante sobolis procreationem, & hæc deinde procreata fuerit; declarat insuper, adoptiones ante hujus Synodi celebrationem factas, filiis extantibus, nondum adita hæreditate, nullas esse, nulliusque valoris, nec ita adoptatos habere locum in ipsa hereditatis distributione, nec ad eam vocandos, aliter restitutioni manere obnoxios, ad quam, si necessum fuerit, pœnis, & censuris per Præsulem cogantur; ceterum non eo spectat hoc Decretum, ut qui jam dudum acceptæ hereditatis pacifica gaudent possessione, ab ea deturbentur, cum nihil magis cordi sit Synodo, quam publicam pacem, ac tranquillitatem tueri, quamobrem præcavendi causa perturbationes omnes tantummodo, unicuique reservat Jus interponendi, prout judicaverit, expostulationem de injuria, si quam hac in re, de qua agimus, passus fuerit.

DECRETUM XXII.

CCLXIII. QUoniam juxta morem hujus Diœceseos adoptandus adducitur ad Episcopum, (a) & Præsulem, cui exhibitis aliquibus attestationibus, Adoptans profitetur se velle eum in filium accipere, & postea concessa per Præsulem olla, adoptio perficitur; præcipit Synodus, ut Præsul nullius in posterum adoptionem acceptet, qui habeat naturales filios, aut filias: quodsi non habeat, adhuc nihilominus in Olla adoptionis expressis verbis præcaveatur, si adoptanti postea filii nascantur, adoptionem hujusmodi nullum habituram esse effectum, ut hac via, quantum fieri potest, impediantur injuriæ, & perturbationes, quæ ex hujusmodi adoptionibus, nimiaque adoptandi facilitate oriuntur in hac Diœcesi.

DECRETUM XXIII.

CCLXIV. PRæcipit Synodus, ut Christiani omnes hujus Diœceseos in Vicis, & Pagis simul congregati socialiter vivant ad evitanda mala, quæ viventibus in silvis imminent, (b) tum ex infidelium commercio, tum etiam quia fere nunquam ad

(a) Cum adoptio certis solennitatibus adhibitis peragi deberet apud Prætorem aut Præsidem, vel alium Magistratum, apud quem erat legis actio, Episcopus vero Malabaricus, ordinarius esset Judex & Magistratus Christianorum Divi Thomæ, aptissime statuit Synodus, adoptionem coram Præsule celebrandam esse.

(b) Singulæ familiæ seorsum in agris ab se occupatis, initio habitabant, regionibus inter se locisque disjunctæ, quales Theseus (ut ajunt) invenit Athenienses, quos ille

Digitized by Google

ad Ecclesiam accedunt, nec Sacramenta frequentant, doctrinam item Christianam plane nesciunt; Hujus rei executionem summopere Synodus commendat, iisque ad quos pertinet injungit, ut receptum Christianorum e Silvis in Vicos, & Pagos, efficaciter quantum in ipsis est, procurent, novos Pagos cum novis Ecclesiis extrui: Sic enim fiet, ut Christiani procul à consortio Infidelium, facilius rusticitatem exuant, humanitatemque, & Catholicorum mores facilius induant. Tandem inculcat Vicariis, ut oves suas conentur in hæc septa impellere, proponentes ipsis spiritualem profectum non mediocrem inde futurum. Præsules etiam in hac re promovenda strenue operam collocent suam.

DECRETUM XXIV.

CCLXVI. SYnodus commiseratione mota Christianorum hujus Diœceseos, qui à Regibus infidelibus eorumque Ministris molestis, & injustis persecutionibus sæpesepius vexantur, nec alia de causa, quam quia Religionem ipsis exosam profitentur, nihil opportunius esse considerans ad has oppressiones minuendas, quam si Rex Lusitaniæ hunc Populum protegat, & tueatur, cum alius Rex non sit in Oriente, qui hanc clientelam suscipere possit, ipsum enixe orat, ut huic Populo patrocinetur, quas partes Regem optimum susceptum esse confidit, quippe qui non ignorat, Christianorum Regum esse in defensionem Catholicæ fidei, opes, arma, & si opus fuerit, vitam ipsam impendere. Rogat etiam Reverendissimum Metropolitam, huic Synodo præsidentem, ut omnium nomine Majestati suæ hæc Synodi vota, precesque exponat, & horum omnium Christianorum obsequia, & voluntates ad Regiæ Majestatis Suæ imperia alacriter capessenda paratissimas offerat.

DECRETUM XXV.

CCLXVII. CUM in præsenti Synodo actum sit de rebus ad fidem Catholicam, Sacramentorum Ecclesiæ usum,

necnon

primus ex agris coegit in Civitatem: vide Gravin. *De Jur. Nat. cap.* 11. Qui de civili hominum statu scripsere, in duplicem oppositam abeunt sententiam, circa societatem: ii contendunt nullam ex rationis instinctu societatem agnoscentes, eam institutam esse propter propriam utilitatem, amoremque sui; illi statuunt homines ex ipsa natura in societatem convenisse; unde ordo societatis, ac propterea summæ Potestates ex Deo sunt; atque ita melius intelligitur locus ille Pauli Rom. 13. v. 1. Adisis. CL. Spada *tom.* 1. *Exerc.* 4. *de Civil. Discipl. Edit. Vien.* 1725.

necnon ad reformationem spectantibus, tum Ecclesiæ, tum morum Populi Christiani; ne hac oblivione deleantur, præcipit ut omnes Ecclesiarum Vicarii Decreta omnia in hac Synodo constituta, fideliter transcribi curent, & in Singulis Ecclesiis asservari unum saltem exemplar perfecte consonum Malabarico Autographo, per Reverendum Archidiaconum hujus Episcopatus, & Patrem Rectorem Collegii de Vaipicota subscriptum. Præcipit insuper, ut cunctis diebus Dominicis, & aliis diebus festis pars aliqua Synodi Populo recitetur, dummodo habenda non fuerit concio, aut Catechismus legendus à Reverendissimo Metropolitano editus: in Ecclesiis vero, in quibus legitur Catechismus, legatur hic diebus Dominicis; reliquis vero diebus festis, Synodus; necesse est enim ad omnium notitiam pervenire, quæ fuerunt in eadem Synodo decreta, vel præcepta, ut possint executioni mandari. Autographum item Synodi hujus, à Reverendissimo Metropolita obsignatum, ceterisque ad hunc finem convocatis, eadem Synodus asservari vult in Archivo Collegii de Vaipicota Societatis Jesu, in hac eadem Diœcesi, ut inde apographa, sive exempla, quotquot fuerint Ecclesiis necessaria, describantur; alterum verò simile, in Archivo asservari Ecclesiæ de Angamale, quod Archiepiscopatus vocant, pariter subscriptum à Reverendissimo item Metropolitano, Archidiacono, aliisque sibi benevisis: ita enim fiet, ut quoquo tempore exempla, sive apographa necessaria desumi, & si opus fuerit, collatione facta emendari valeant. Postremo summopere inculcat Synodus cunctis Vicariis, Cassanariis, Chamaziis, omnibusque in universum Populis, Vicos, & Pagos incolentibus, necnon unicuique Christianorum hujus Diœcesis in particulari præcipit in Domino, ut obsequenti animo decretis hujus Diœcesanæ Synodi obtemperent, eaque servare, & servari curent, quantum in ipsis erit, ac ad normam ipsorum ab iis, ad quos spectat, Populi vel Familiæ gubernentur. Quæ omnia sibi Synodus pollicetur, auxiliante Domino Deo, Patre, Filio ac Spiritu Sancto, qui vivit, & regnat in Æternum Amen.

Perlectis igitur Decretis, divisa fuit Diœcesis in quinque supra septuaginta Parochias, unicuique earum, pro Sacramentis administrandis, ac spiritualibus alimentis, Christiano Populo reficiendo, territorio convenienti attributo, nominati etiam, designatique fuere, Vicarii & Parochi; at minores nonnullæ Ecclesiæ, quæ præ parvo fidelium numero peculiarem Parochum habere non poterant, Vicariis vicinarum Ecclesiarum commendatæ sunt; qui designati subinde ad deosculandam manum Reverendissimi

Digitized by Google

simi Metropolitani singillatim accesserunt, & is cunctis litteras Vicariatus dedit, authoritatem, ac onera Officii ipsis exponens, nec non præcipiens Populo, ut ipsis tamquam propriis Parochis, Pastoribus animarum suarum debitum obsequium, debitamque obedientiam exhiberent. Quibus erga unumquemque eorum peractis, commonefaciens omnes deinde generatim, eisque injungens, ut nullam sui officii partem omitterent, eosdem coram se genuflexos ita est adloquutus.

Præ oculis, Venerabiles (a) ac dilecti Fratres Consacerdotes, & peculiares Pastores fidelis Populi, habere debetis, Nos quamquam indignos, locum tenere Aaronis Summi Sacerdotis; vos autem Eleazar, & Ithamar minorum Sacerdotum; Nos locum vicesque gerere Apostolorum Christi Domini; vos septuaginta duorum Discipulorum; Nos esse de vobis, terrifica die Judicii rationem reddituros; vos item de Populis, quos nunc vobis commendamus, quo nos omnes, inter bonos ac fideles dispensatores Domus Domini inveniamur: itaque dilectissimi Fratres, & nostrum vestrumque periculum perspicite; unde vos monemus, ac summopere in Christo rogamus, ut quæ nunc dicturi sumus, & memori mente teneatis, quodque potissimum est, cum vestri muneris ratio postulaverit, executioni mandetis.

Et quidem primum: monemus ac enixe in Domino obsecramus, ut & vita & conversatione irreprehensibiles vosmet cunctis exhibeatis suavemque bonæ famæ odorem, & virtutum omnium exempla Populo Dei præbeatis: feminæ in vestris domibus non maneant, suspectæ præsertim, aut etiam captivæ; ipsarum demum omnium familiaritatem devitate; qualibet nocte ad Divinum in Ecclesia officium recitandum surgite, quod statis certisque horis integram exsolvatur; quo item peracto, vestrorum nullus, nisi a media nocte præcedente jejunus, ab omni cibo potuque vel minimo, sacrum celebret; indutus insuper sacris vestibus, iisque mundis semper, & minime laceris: Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi suscipite cum omni reverentia, humilitate, observantia, ac pavore; expiatis prius peccatis Sacramento Confessionis apud Confessarium approbatum cum contritione, & dolore criminum; potissimum, si peccati alicujus lethalis conscientia vos remordeat: corporalia, & pallæ sint ex lino, nec nisi dispensatione Apostolica, aliis ex pannis confici valent, eæque

(a) Hæc admonitio Synodalis, ad exemplar efformata est illius antiquæ, quam in *Cod. Reg. Succ. num* 73. *annorum circiter* 700. habemus, editam etiam ab Steph. Baluzio, *ad fidem Codicis Hispaniensis Mon. Rivipulii* vulgo *Ripoll.*; Habetur etiam in Pont. Rom. dicenda, recitatis decretis; demum *in* 3. *tom. de lit. Rom. Pont.* a Domin. Georgii *edito Romæ hoc anno* 1744. Menessius autem, quæ Indis spectare possent, adjunxit. Vid. Georg. *p.* 426.

mundissimæ esse debent; cuncta etiam sacra vasa, aliis in vasis mundis ad hoc deputatis, propriis vos manibus lavare debetis; effusa deinde aqua, qua lota sunt, in Baptisterium, Piscinam, aut Cœmeterium Ecclesiæ, alta ad hunc usum scrobe effossa: ea demum diligentissime abstergite: mappis etiam nitidis ornetur Altare, quæ cum corporali tres erunt, ad celebrandum: super altare nihil, præter Reliquias Sanctorum, aut res sacras ad Sacrificium deservientes, collocetur: Missalia vestra, Breviaria, ac libri precum, sint bene compacti, ac integri: Ecclesiæ vestræ sint optime contectæ, nitore item earum parietes, ac pavimenta præfulgeant. In Sacrario, vel prope aram maximam, vorago habeatur pro absumenda aqua, qua lavantur corporalia, sacra vasa, & Sacerdotum manus Oleum sacrum ministrantium: sit etiam in Sacristia *vas, aut Lavacrum, munda oppletum aqua, ubi Sacerdotes, ac Altaris Ministri manus abluant, & nitidum manutergium dependens, ut eas detergant: fores, porticusque Ecclesiarum sint ex solida materia, ac bene obseratæ. Vestrum nemo alicujus Ecclesiæ curæ se ingerat, absque facultate, & notitia Præsulis, etiamsi a Populo ad eam suscipiendam curam cogatur. Nullus Ecclesiam, cujus titulo donatus est, deserat, vel ad aliam transeat, inconsulto Præsule; nec plures Ecclesias unus regendas accipiat, adversus Sacrorum Canonum sanctiones; neque a pluribus una regatur; sed unaquæque suum proprium Parochum ac Pastorem habeat. Extra Ecclesiam celebret nullus, nec ullo armorum genere, ne cultro quidem e zona suspenso instructus, Sacrum celebret. Parochiæ alterius incolæ sine licentia Parochi, sacram Synaxim non exhibeat, nisi itinerantii, nec item in alterius Paræcia Sacrum faciat. In celebratione Missarum, eædem ceremoniæ, ac ritus apud omnes uniformiter, ut omnis confussio, ac scandalum absit, observentur. Calices & Patenæ ex auro tantum fiant, argento, stanno communi, aut Indico, non vero ex metallo, ferro, vitro, cupro, aut ligno. Sacerdos & Parochus Parochiæ infirmos visitet ac soletur; confessionem etiam excipiat, ac propriis ipse manibus Eucharistiam, ac Unctionem extremam, dum opus fuerit, iis impertiat; eos proinde cum visitaveritis, admoneatis ut eam postulent cum opus habeant. Nemo quidquam vel minimum accipiat pro baptismate, Sacramentorum administratione, aut pro mortuis sepeliendis. Parvulorum nullus ob incuriam vestram, absque Baptismate, aut ægrotantium, sine confessione, & sacra communione, decedat. Inveniatur nemo potator nimius, contentionum fautor, armorum gestator, cauponarum & tabernarum frequentator, ad cibum potumve ibi capiendum. Cum Turcis, Iudæis, vel Paganis, mensæ non assideatis: nec venandi exercitio, ut ex officio, ave, cane,*

aut

Digitized by Google

aut sclopo vos dedatis. Quæ in Domino vobis innotuerint sive de Evangelio, & Scripturis Sacris, sive bonorum exemplis, ea omnia, doctrina sana & catholica, in Dominicis festisque diebus Populo exponatis: prædicate præterea verbum Domini, cum profectu vestrarum Ovium. Curam habete Pauperum, Peregrinorum, Viduarum, Ægrotorum, ac Orphanorum vestræ Parochiæ: peregrinos insuper convivas habeatis; hospitalitatem servetis, in quo vosmet aliis exemplar præbeatis. Benedictionem aquæ cum sale, cunctis Dominicis in Ecclesia, ante Missam faciatis, eaque Populum aspergite; ad quem finem determinatum vas, aut amulam habeatis. Sacra vasa, aut quodcumque ex sacris ornamentis Ecclesiæ, sive Pagano, sive Christiano, pignori ne detis. Cavete ab usuris, negotiatione, contractibus, officiis publicis profanis, ac alienatione bonorum, quæ in sacris constituti acquiratis: Ecclesiæ enim res sunt. Bona Ecclesiæ non vendatis, nec pro aliis commutetis. Fontem Baptismatis sicubi fuerit, nitidum conservetis; secus autem, speciale vas ad id tantum destinatum, decenti in loco penes Ecclesiam, aut Sacrarium asservetur. Edoceatis etiam Parochianos vestros, pueros præsertim, Articulos fidei, Symbolum, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; & qua ratione quatuor temporibus, aliisque Vigiliis sit jejunandum; ante Quadragesimam etiam, Populum de confessione facienda admonete: Parochianorum excipite Confessiones cum caritate, ac ingenti eorum spiritualis profectus desiderio. In solenniis Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, cunctos ad Sacram Eucharistiam suscipiendam adhortari non prætereatis; caveatis insuper saltem in Paschate, ne quis dummodo sit capax, Eucharisticæ mensæ communionem negligat. Lites quascumque, contentiones, ac inimicitias quantocius inter vestros subditos sedate: curate insuper ut vivant sinceræ amicitiæ, & caritatis Christianæ vinculis inter se mutuo conjuncti; si quis autem alterum alloqui detrectaverit, cum scandalo, aut odio habuerit, admoneatur a vobis; & quandiu contumax fuerit, eum procul ab altari arceatis. Conjugatos præterea, statis temporibus, potissimum solennibus festis, jejuniorumque diebus, sano consilio ab uxorio opere vacare suadeatis. Nemo vestrum induatur veste colorata; sed habitu honesto, quique Sacerdotes decet, incedatis. Populum instruite in modo servandi dies festos, iisque insinuate, ne laborent manibus; tripudia & cantilenas feminarum in Ecclesiis ne permittatis; ab excommunicatis cavete, nec iis præsentibus Sacrum peragatis: monete populum, ne quis cum alteri desponsata, contrahere audeat; sicuti neque cum consanguinea, aut a domo paterna rapta; nec solennes nuptias celebrari, & uxores solenniter duci vetitis temporibus sinatis

natis: pecudum custodes, servosque, ad Sacrum diebus saltem Dominicis audiendum compellite. Patrinos, ut quos a sacro fonte susceperunt, edoceant Symbolum fidei & orationem Dominicam, vel edoceri curent, admonete. Sanctum Chrisma, ac oleum tum Catechumenorum, tum Infirmorum, in Ecclesia asservate loco decenti, mundo, munito & clave obserato (a): *nec de ipso quidquam per modum medicamenti impertiemini; gravissimum enim id foret sacrilegium. Unusquisque apud se habeat Catechismum, & expositionem Symboli, & Ecclesiasticas Orationes, juxta expositionem Sanctorum, & Catholicorum Ecclesiæ Doctorum, unde suæ saluti prospicere, ceterosque exhortari valeat: sicuti & hanc Synodum, ut ex iis, quæ ibi decernuntur, & vos metipsos, populumque commissum dirigatis, fidemque Catholicam, quam ipsa exponit, cunctis declaretis. Clara ac perceptibili voce proferte, Missæ Introitum, Orationes, Epistolas, Evangelium, ac Symbolum fidei: orationes vero secretas Canonis, & Consecrationis, voce dicite submissa, distincte, at non interrupte: Recitantes autem in Choro, non prius sequentem versiculum incipiatis, quam altera pars chori antecedentem absolverit, neque ex transversa voce & cantu prosiliatis, cum perturbatione Officii Divini, neque confuse & mussitando recitetis. Symbolum S. Athanasii, summam fidei catholicæ continens, memoria retinete, & quotidie recitate. Exorcismos, Orationes, baptizandi Ritus, ungendique ægrotos, ordinem commendationis animæ, ac officia Defunctorum, ad normam Sacrorum Canonum, & usum S. Romanæ Ecclesiæ; totius orbis Ecclesiarum Matris; pariterque exorcismos, & benedictionem salis, & aquæ fidelitor servate. Cantum Ecclesiasticum ipsiusque modulos pro rebus cantandis non negligatis. Computum insuper Breviarii, & Missalis, eorumque Rubricas, ut necesse est, teneatis; & rationem inire festorum mobilium, & Paschatis, ne aliquis incuria vestra error incidat, sedulo addiscite: in qualibet præterea Ecclesia unum habeatur Martyrologium Sanctorum, in ea legendum; quodque ut Syriace reddatur curabimus. Omnia demum ista peragite, ut hisce aliisque bonis operibus, quæ auxiliante Domino, una cum Populo vobis commisso facturos speramus, gloriam assequamini sempiternam, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.*

Hæc

(a) Hic abusus a S. Bonifacio reprehenditur *Statut.* 5. apud Harduin. *Collect. Concil. tom.* 3. *col* 1943. ubi præscribitur: *Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma & nulli sub prætextu medicinæ detur*. Seculo etiam IX. ea ineptia invaluerat, *Chrismate*, nempe, *criminosos unctos, nullo posse examine deprehendi*. Vide Concil. Turonen. 3. *anno* 813. *an* 20. & Catalani *tom.* 3. *Pontifical. pag.* 82.

Hæc pro fastis, atque in hunc modum Vicariis, Parochisque præmonitis, cunctos, ut propria manu subscriberent præcepit Reverendissimus Metropolitanus, autographum decretorum Synodi Malabaricæ translatæ, utque si quid dubietatis circa sancita vel exposita in Synodo, unquam Ecclesiasticorum aut secularium obversaretur, ultra jam controversa exploratagque, id omne ante subscriptionem producerent; quo nullus ambigendi subinde, altercandive locus relinqueretur. Pluribus itaque agitatis, pertractatis, compertisque, communi omnium arbitratu, atque consensu, nemine discrepante, cuncti autographum subscripsere: proinde Synodi volumine ad Reverendissimum Metropolitanum allato, isque Pontificalibus indutus, & in Faldistorio sedens, Mitra capiti imposita, laudata obsignavit decreta. Posita deinde mensa in meditullio Capellæ majoris, superpositis etiam decretis, omnes quotquot ad Synodum fuere convocati, cum Ecclesiastici, tum sæculares, electi, ac Procuratores Populorum, manu propria coram Synodo, Populoque subscripserunt, ac obsignarunt, ad numerum tredecim super octingentos; videlicet Cassanarii, & Sacerdotes centum quinquaginta tres; demptis Diaconis, Subdiaconis, ceterisque Chamasiis: electi & Procuratares Populorum, cum aliis ex principalibus, qui una cum illis accesserunt, sexcenti sexaginta, non computatis incolis Loci de Diamper, ubi Synodus fuerat celebrata; plurimis etiam e finitimis locis, necnon Lusitanis plurimis, comitantibus D. Antonium D. Noronha Capitaneum Cochim, quorum Senatus, ceterique de Regimine Civitatis Synodo interfuere.

Signatis Decretis, surrexit Reverendissimus Metropolitanus, depositisque Infulis, ante Aram maximam flexo poplite, incœpit Hymnum: *Te Deum laudamus*, & cum ingenti gaudio, ordinate progressa est Processio solennis, quæ circuivit Ecclesiam choris concinentibus, & Latinis Latino idiomate, indigenis autem Ecclesiasticis, Chaldaico; Populo demum Malabarico Psalmos modulantibus. Ab omnibus ergo exultantibus, & præ gaudio lacrymantibus, una fide, ac indivisa caritate tamdiu expetita, terno Idiomate, Verus ac Omnipotens laudabatur Deus, Trinus etiam in Personis, ac essentia unus, Pater, Filius, ac Spiritus Santus, qui vivit, & regnat in æternum. Amen.

Ubi ad Aram maximam pervenit, Reverendissimus Metropolitanus, Processione peracta, recitavit Orationem: *Exaudi quæsumus Domine*: prout habetur in Pontificale Romano; qua finita, in faldistorio iterum sedit, accepta Mitra, & Baculo, atque ad hunc

Digitized by Google

hunc modum Populum affatus est: *Maximas Deo Omnipotenti, bonorum omnium authori, rependo grates, ob ingens adeo beneficium, cum mihi, tum vobis, cunctoque fideli Populo hujus Diœcesis collatum, dum istam Synodum celebravimus tot tantisque obstaculis, ac impedimentis exantlatis, quibus totius boni hostis Diabolus, ut ipsam interturbaret sategit, excitatis toties contentionibus, discordiis, tricisque impediendi causa unionem Populi Christiani cum Ecclesia Catholica, eumque obfirmandi in erroribus, quibus, ut nostis, miserrime tenebatur. Quamobrem plurimas habeo gratias ipsi Deo Domino nostro, quod adeo ingenti lætitia, pace, omniumque concordia, prout exploratum est vobis, res fuerit perfecta; tanta pariter, ut scitis, Regum paganorum Idololatrarum, Reliquorumque fidei Catholicæ hostium rabie. Vos item gratissimi nobis estis, dilectissimi Fratres, Consacerdotes, Comministri, Coadiutoresque nostri; sicuti & vos dilecti filii Electi Procuratores Populorum, ceterique optimates, qui posthabitis & Itineris dificultate, & temporis molestiis, indignatione item Regum, quibus subdimini, ad Synodum venistis; quinimmo, ut strenui Christiani, salutisque percupidi, nostris obtemperando mandatis, omnia ea aspernantes, medelam vestris animabus perquisivistis; quæ quidem Deus remuneraturus est æterna beatitate, dum in puritate fidei, quam ad præscriptum hujus Synodi professuri estis, perseveraveritis, ritum insuper, moresque adamussim horum decretorum aptaveritis: plurimumque in Domino confidimus, eum vos omnes ad propria cum pace, ac incolumitate reducturum; ipse domos vestras prosperitate impleat familias vestras posterosque in æternum benedicat, quod per suam gratiam, & misericordiam vobis concedat. Amen.*

Alloquio ad finem perducto, stans Reverendissimus Metropolitanus, solennem benedictionem, uberrimis cuncto Populo impertitus est lacrymis; mox Archidiaconus elata voce dixit: *Recedamus in pace*; universaque Synodo respondente: *In nomine Christi. Amen.* impositus est finis Diœcesanæ Synodo die xxvi. Junii, Anno MDXCIX. in honorem, & laudem Domini Nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Absoluta itaque Synodo, singulis Vicariis Ecclesiarum per Reverendissimum Metropolitanum designatis, data fuerunt juxta decreta, altaris lapides ad hunc effectum à laudato Domino præconsecrati; qui enim apud Ecclesias erant in usu, legitima consecratione carebant; Pyxis item vasculis instructa, in quibus multiplex

sacri

sacri olei genus continebatur cum formula ipsis utendi, omnibus explicata: Libellus etiam pro administrandis Sacramentis, juxta Romanum Ritum, Chaldaico & Syriaco idiomate descriptum; alius insuper Doctrinam Christianam continens, vernaculo sermone nempe Malabarico exaratus, pro instituendis parvulis, & reliquo Populo; nec non superpelliceum pro administrandis Sacramentis, quod ad ea usque tempora non fuerat in usu: collata præterea fuerunt pro omnibus Ecclesiis corporalia, vestimenta, *frontalia*, & calices, alia demum altaris ministerio necessaria: quippe iis omnibus earum plures destituebantur. Lites etiam, aliaque ad Synodum delata, tam Populorum, quam particularium, decissa fuerunt atque judicata, per Reverendissimum Metropolitanum, ipsique electos viros adjunctos, qui litigiis compositis discessere: laudatus autem Metropolitanus denuo incœpit visitationem Ecclesiarum Diœcesis, procurandi causa ut Synodi decreta executioni mandarentur, quod ex voto successit. Quamobrem in unaquaque Ecclesia potiora, ac opportuniora decreta recitabantur; tradebantur ipsi etiam libri, Breviaria, & Missalia tam Ecclesiarum, quam particularium: & prohibiti libri a Synodo, partim ab erroribus severa castigatione repurgabantur, partim flammis tradebantur. His auspiciis possessionem Ecclesiarum suarum inibant Vicarii, acceptabantur etiam a Populo, qui de proprio ipsis assignabat proventus, quibus additis, quæ Reverendissimus Metropolitanus de suo præstabat, publicæ ollæ, ac scripturæ pro Ecclesiis conficiebantur: eligebantur præterea quatuor Œconomi; reserabantur capsulæ, ac fabricæ necessaria deputabantur: Cassanarii & Chamazii, qui Synodo abfuerant, fidei professionem emittebant: pro confessionibus deputandi, prævio examine, collata in scriptis facultate, aptiores, aliis amotis, prout ferebat Ecclesiarum conditio, eligebantur. Baptismate tingebantur parvuli, omnesque adolescentes, quotquot fuissent sacri lavacri expertes in vicis: e silvis quosque adduci, plerumque octennes decennesque jubebatur: sæpe incolæ pagorum fere omnes, Chrismate confirmabantur: ab excommunicatione absolvebantur quamplurimi, qui variis de causis, juxta loci consuetudinem ea ligabantur, præsertim ob homicidium, a quo nec in mortis articulo absolvebantur; & non raro per decem, viginti, ac plerumque triginta continenter annos, excommunicationi obstringebantur. Concionabatur quotidie Metropolitanus, idque per otium, Christianis intra Ecclesiam; Infidelibus vero præ ipsius foribus, dum curiositate ducebantur, tempore præcipue Baptismi, cum parvulos ad Ecclesiam congregabat,

Digitized by Google

illis verbis: *Ingredimini Sanctam Dei Ecclesiam &c.* a quibus verbis occasione sumpta, ad Ethnicos sermonem vertebat; quorum nonnulli, variis e regionibus Baptismati adstantes, Catechismo imbuti, diversis postea in locis, & ipsi baptismum suscipiebant. Pueris exponebatur doctrina Christiana vernaculo Malabarico sermone, qua doctrina perpauci reperiebantur instructi: unde decretum hoc fideliter servandum in posterum jubebatur, ut ea Pueris quotidie exponeretur, exarato libello, & unicuique Ecclesiæ donato; si qui demum id exigerent, matrimonio jungebantur: quibus omnibus, potiora Synodi Decreta ad praxim deducebantur, sequenti forma.

Adventanti Reverendissimo Metropolitano, universus Populus, ingenti lætitia obviam prodibat; excipiebatur plausibus pro gentium ritu, ac prout licebat; deducebatur exinde præeunte processione in Ecclesiam: pluribi per vias vel aulæa, aut tegetes, tum & arborum ramos substernebant, solitis deinde ceremoniis Benedictionis, absolutionisque peractis, dum aliud per tempus non liceret, accedebant cuncti, tam virilis, quam sequioris sexus singillatim, profunda humilitate, & observantia proni, laudati Metropolitani manum osculaturi, ipsique obedientiam præstaturi; summo postea mane ad Ecclesim una cum Clero ac Populo conveniebat, ubi sacrum celebrabat præmissa propalam Confessione ad Aram maximam; quod eatenus faciebat, quatenus doctrina de Sacramento Pœnitentiæ (plene quasi apud gentem desueto) prospiceret, eamque restitueret.

Sacrificio oblato, in sacrario aliove in loco congregabantur P. Franciscus Roz Societatis Jesu linguæ Chaldaicæ, & Syriacæ Professor in Collegio de Vaipicota, aliique Patres ad id deputati, adjuncti etiam nonnulli ex doctioribus Cassanariis, quo vi excommunicationis à Synodo latæ, libri deferebantur Syriaci, tum Ecclesiæ, tum particularium, quorum plures expurgabantur: vetiti autem per Synodum, Metropolitano tradebantur, flammis absumendi. Interea temporis pontificalia accipiebat vestimenta Metropolitanus, sedensque concionabatur, inculcans ea, quæ necessaria, erant ad fidem servandam, moresque recte instituendos: sub concionis finem, potiora Synodi Decreta elata voce legebantur: deinde omnes longo ordine dispositi, supplices incedebant, & circuibant Ecclesiam; quæ processio fiebat pro Defunctis. Aderat plerumque ingens Ethnicorum multitudo, rei ac præsertim vestimentorum Pontificalium novitate illecta, ac è januis, fenestris, ac cœmeteriis Ecclesiarum prospectabant: Absoluta Processione pro Defunctis, & exposita etiam doctrina de Purgatorio, necnon utilitate

Digitized by Google

litate pro illis orandi, sedens iterum, de Sacramento Chrismatis pro exigentia Populi, verba faciebat, Chrismate etiam nondum confirmatos, qui aderant, muniebat. Postea in Pontificali veste omnes nondum baptizatos parvulos, ac adolescentes Christianos, adultos item paganos pridie ad id convocatos, suis ipse manibus sacro fonte abluebat. Quos deinde introducens in Ecclesiam verbis iis: *Ingredimini Sanctam Dei Ecclesiam*, Infidelibus ipsam circumdantibus præ curiositate, concionabatur: & Naires quidem, ceterique, quamquam arcubus, sagittis, varioque armorum genere instructi, propria item ditione, absentibus etiam Lusitanis, placide ac sponte nedum audiebant de fide Domini Nostri Jesu Christi differentem, verum etiam contumelias irrisionesque suorum Idolorum, ac Sacrificulorum, necnon interminationem damnationis æternæ avide excipiebant. Absolutis his sacris functionibus, fidei professionem Ecclesiastici incolæ, si qui Synodo non interfuerant, coram Metropolitano, spectante Populo emittebant: & illico pueros puellasque vocabat, quibus contra sedem ac circum eam genuflexis, Chamaziorum aliquis vernaculo sermone, Doctrinam inchoabat, ipsamque repetebant omnes; unumquemque postea docebat modum muniendi se signo Crucis, & ad ipsos concionem teneræ ipsorum ætati congruam, non sine Parentum gaudio, habebat: erga dulcissimum JESU nomen (quod ipsi, ut pote Nestorianismo imbuti prætermittebant) venerationem promovebat & cultum: subinde adveniebat Vicarius, cui coram Populo propriæ committebantur Oves, quæ illum ut proprium Pastorem accipiebant: desponsi etiam maritali fœdere jungebantur; confessiones excipiebantur plurimorum, quos inter plurimi grandioris ætatis erant qui, Pœnitentiæ Sacramento nunquam fuerant expiati; Sacram Synaxim, e manu ipsius Metropolitani sumebant: postea pomeridianis horis conveniente Populo, proventus Vicario persolvendi præfigebantur, quod in Ollas, penes Ecclesias asservandas, exarabatur: eligebantur exinde Œconomi quatuor, quibus item Ollas Metropolitanus tradebat; capsulæ Ecclesiarum reserabantur, atque pecuniis inde extractis, necessariis rebus prospiciebatur: Metropolitanus, aliique Patres ad id numeris designati, prævium Confessariorum examen faciebant, & qui ex Cassanariis idonei comperiebantur, facultatem in scripto audiendi confessiones accipiebant: ad hæc expostulationes, quærelas, & causas Christianorum audiebat, una cum quatuor ex ipsis Christianis, qui e primoribus ad arbitrium partium seligebantur, per quos cuncta decidebantur, & pro regionis more definiebantur, quin ulterius provocatio, que-

rela, aut *processus*, super iis institueretur. Qui viginti ac triginta annos ante excommunicati erant, absolvebantur, pœnitentia, quæ culpis congrueret imposita; plures enim erant casus, à quibus inhumane prorsus, nec in mortis articulo absolutionem reis impertiebantur; cetera demum Ecclesiæ, ac Reipublicæ utilia, constituebantur. Ad quæ omnia perficienda operam contulerunt suam fervore, zeloque salutis animarum insignes, quinque Societatis Jesu Patres laudatum Metropolitanum comitantes, è quibus etiam duo Malabarico, & Chaldaico Idiomate pollebant: ii fuerunt, Pater Hieronymus Cotta, Pater Georgius de Crasto, Pater Franciscus Roz, Episcopus ad præsens ipsius Diœcesis dignissimus, Pater Antonius Toscano, Frater Joannes Maria, P. Frater Blasius à Sancta Maria Theologus ex Ordine D. Augustini, Illustrissimi Metropolitani à Confessionibus, Canonici tres Sedis Metropolitanæ Goensis, aliique duo Capellani laudati Domini, plurimi item Cassanarii Indigenæ, qui Chaldaice, ac Syriace divina celebrabant Officia, & quorum ope Illustrissimus Metropolitanus in multis utebatur. In progressu reductionis hujus Ecclesiæ ad Catholicam fidem, & obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, plurima animadversione digna contigere, quibus ostendebat Dominus quam gratum id operis sibi foret: in Visitatione præterea Ecclesiarum, nonnulla comperta fuere, permultum gloriam Dei, bonumque exemplum promoventia, quæ Deo auspice, alibi describentur, ad ipsius Domini gloriam, qui vivit, & regnat per secula seculorum. Amen.

EPISTOLA

Domini D. Andreæ Episcopi de Cochim, ad congregatam Synodum.

PLurimum, quantum arbitror Fratres, debetis Deo Optimo Maximo, quotquot Christiani Divi Thomæ vocitamini; equidem ejus Apostolo cooperante, præ aliis pluribus Ethnicis, quibus Oriens refertus erat, veritatis agnitionem lumenque accepistis, quo juxta Apostolum Petrum essetis *Gens Sancta, & Populus acquisitionis, quem Deus sibi elegit*. Nec crediderim, majores vestros, amplioribus apud Deum meritis præditos fuisse, præ aliis sibi coævis Infidelibus; nihilo tamen minus eos elegit, vosque pariter in illis; ceteros autem ipsorumque posteritatem præterivit; & plane

Digitized by Google

ne nulla alia de causa, nisi quia Patribus vestris, ac vobis, id quod reliquis, erat denegaturus beneficium, plagæ hujus incolis voluit conferre: ut autem huic muneri cumulum adderet, id etiam egit, ut non a quocumque obscuri paruique nominis homine ad fidem adduceremini, ut aliis evenit Christianis, verum ab uno e suis electis dilectisque Apostolis, ut vestra ist hæc Ecclesia, speciali titulo Apostolica appellari posset, ac privilegio, quod perpaucis obtigit, quodque dudum Græcorum Metropolis Constantinopolis, dum licuit, invidisset, præ aliis frueretur. At Diabolus humani generis infensissimus hostis, livoris plenus, ingentem, qua hæc Ecclesia potiebatur gloriam, non ferens, nihil non movit, ut errorum hæresumque zizania, super lætam Christi ejusque Apostoli Thomæ segetem seminaret. Igitur e regione Babylonis & Chaldææ, nonnullos per fidi Nestorii discipulos adscivit, quibus hanc Ecclesiam everteret. Nestorius autem is erat, quem Concilium Ephesi coactum ducentorum Præsulum, apud Asiam minorem, hæreticum declaraverat; id quod postea, in alio Concilio a sexcentis triginta Episcopis comprobatum fuit. Adeo præterea exitiosus sceleratusque evasit hæreticus ille, ut ultra pœnas suis in hac vita facinoribus promeritas, & ab hominibus inflictas, Deus ipse æternas, quas patitur, illi dederit hic prægustandas; ut non modo gradu fuerit, ac Episcopi Dignitate deturbatus, a laudatis Conciliis aliisque sequentibus condemnatus, deportatus etiam judicio Theodosii secundi in Ægypti solitudines, ipsiusque Imperatoris sententia ejus libri combusti; sed etiam lingua, quæ adeo blasphema protulerat, putrescere, ejus caro adhuc vivens vermibus arrodi, ac totum corpus tabescere, visum est, qua ratione è vita dejectus, animam Diabolo tradidit, ut referunt Evagrius illustris illius ævi Scriptor, Nicephorus, Cedrenus, aliique authores Græci.

Ductante itaque Dœmone scelesti illius discipulos in hanc Ecclesiam, ejus inter vos errores, nihil tale vobis præ sinceritate, & candore opinantibus, sparserunt, ut dicere licuisset viventi Thomæ ad vos, illud idem quod Paulus ad Ephesios, in quorum Civitate damnatus fuit postea Nestorius improbus: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*. Et jure quidem ac merito rapaces lupi appellari possunt, quos hic habuistis pastores, Hæretici; abjectæ quippe sordidæque indolis homines, non alio quam expilandi, corradendique studio ducebantur; ordines, ut nostis, fanonibus, (a) dispensationes fanonibus, absolutiones fanonibus; omnia demum Sacramenta, quæ-

(a) *Fanon* est monetæ genus apud Malabarenses: vide syllab. Voc.

quæcumque etiam sacra, sanonibus, conferebant: rem quidem abominandam & Deo, & Divo Petro Apostolorum Principi, qui non alia de causa Simonem illum Magum ab Ecclesia expulit, ut in Actis Apostolorum legitur, ac excommunicationis fulmine percusit. Quod itaque fratres mei, in vobis, atque in Pastoribus vestris è Babylone missis impletum vidimus, jam diu per Isaiam Deus pronuntiaverat: *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, & unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum*. Utque omnia paucis complectar, qualesnam poterant esse Episcopi, & Ecclesiæ Pastores, qui purum putumque lucrum sectabantur, qui ordinationes, & dispensationes; quæ denique Episcoporum sunt reliqua, non quidem Episcopatu, non Presbyteratu, non tandem Clericatu saltem initiati, sed meri Laici: quod postea fassi sunt, peragebant? Quam obsecro, Deus immortalis, dispensationem, quod Sacramentum, quam gratiam acciperet ille, qui a non Episcopo, immo à non Clerico, sed à puris Laicis, forsitan & Lascaribus, quorum habitu a suis adventabant, solvebatur, ordinabatur? Hi sunt opimi fructus, o fratres, quos vobis Babylon afferebat, illinc ad vos loco Sacerdotum, & Episcoporum hæretici, laici, barbarique mittebantur. Quid igitur commune potest esse Malabariæ cum Babylone? Aut quæ tandem conventio inter purissimam Christi doctrinam, quam vobis Magnus Apostolus Thomas prædicavit, & barbaras ineptias, quas Arabes, & Chaldæi è Babylone, atque ab ipsorum Doctore Apostata Nestorio, huc asportavere? Isti sunt, dicenti credite fratres, de quibus Paulus quadam Epistola ad Discipulum Titum scripserat, futuros *docentes quæ non oportet, & turpis lucri gratia*: quod quidem in præsentiarum accidit; ii enim, ut lucro simul honorique proprio consulant, quo indignissime potiuntur, vobis malis artibus persuadere conantur aliam fuisse doctrinam Divi Petri, aliam vero, quam vobis Divus Thomas prædicavit. Satius foret, si dicerent doctrinam Apostoli Petri, toto fuisse Cœlo diversam ab hæresibus, à Babylone huc disseminatis; ceterum illam ab ea, quam vos edocuit tradiditque Divus Thomas, in nihilo differre; quod etenim Thomas, id Petrus, id Christus, id ceteri edocuere Discipuli, quia ut ait Paulus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, atque adeo una est Ecclesia, cujus in Cœlo caput Christus est, in terris vero Petrus, & post eum Successores ipsius Romani Episcopi. Quod autem D. Petrus, ac ejus Successores singuli, sit in terris caput universalis Ecclesiæ, constat perspicue, nam id Christus Petro ante Passionem ex Matthæi

thæi XVI. promiserat, cum fide ejus probata, asseruit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Cœlorum*: quod Apostolorum Discipulorumve nemini, præterquam Petro dixerat. Et habetur etiam apud Joannem capite sui Evangelii ultimo, quod post Resurrectionem suam interrogavit Dominus Petrum, an se præ aliis amaret, & respondente Petro, probe esse sibi notum, quod plurimum eum diligeret, dixerit illi ter: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas*, quibus eum verbis Pastorem constituit universalem ovium suarum, & post ejus obitum, omnes Romanos Episcopos, qui ipsi in munere successere: harum vero ovium Christi unum est tantum ovile, & una Ecclesia: unde in Symbolo, quod ad Missam canitur, habemus: *Credo in unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; de qua etiam ipsius sponsus Jesus Christus in Canticis ajebat: *Una est columba mea, perfecta mea &c* & Joannes Cap.X. narrat, quod loquente Dei filio ad Discipulos suos de vocatione Gentilium ad fidem, dixerit illis: *Alias Oves habeo, quæ non sunt ex hoc Ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile & unus Pastor*: igitur ovile, in quo & Judæi & Gentiles in una congregati sunt fide, Ecclesia est Catholica, Pastor autem ille fuit D. Petrus, & ejus Successores Romani Episcopi, quorum quilibet ut Episcopus Romæ, Pastor est universalis, totius Ecclesiæ Dei. Quamobrem qui ei obedire detrectat, in numero non est ovium Christi, extra ovile errat Christi, Schismaticum se probat hæreticumque, quemadmodum ceteri, qui Ecclesiæ Romanæ adversantur; quæ quidem Ecclesia nec erravit, neque errabit circa fidem, ex promissione Christi dicentis Petro, ut scribit Lucas: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*: descisceré possunt a fide, quæcumque aliæ particulares Ecclesiæ, ut pluries vidimus; ceterum Ecclesiæ Romanæ, nec defecit, nec defectura est fides: quapropter fratres arctissime adhærescite huic firmissimæ columnæ, Ecclesiæ Romanæ; adversus quam juxta Domini sponsionem, portæ inferi prævalere non possunt, nimirum quæ fuerunt, ac modo sunt in orbe hæreses: maximas præterea grates Domino persolvite, quod vobis opportune fuerit opitulatus; Pastoremque ac Doctorem spiritualem dederit Dominum Archiepiscopum, qui propriam Sedem commodaque relinquens, tanti rem oneris in se suscepit, ut vestræ saluti prospiceret, atque ab erroribus, quibus tenebamini, hoc tempore eriperet. Id etiam pro certo, nullique dubietati exposito habeatis, illum unum esse ex Pastoribus, de quibus Deus per Hieremiam dixerat: *Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent*

Digitized by Google

eent vos scientia, & doctrina: errores ac ineptiæ huc usque pascua vobis fuerunt, Pastores item vestri vestros sanones, & nulla ratione salutem vestram quærebant; Pastor autem iste vestra non vult, immo sua pro vestra effundit salute, quo securius beatitatis semitam arripere possitis: atque hinc solum satis compertum vobis erit, quantum inter ipsum ac Pastores, quos hucusque habuistis, immo Lupos, quibus dixit Dominus: *venturos in vestimentis ovium*, intercedat discriminis. Errorum vestrorum hucusque aliquam excusationem prætendere, vobis fuerit integrum, nec enim ultra id quod Magistri vos docebant sapere poteratis; at nullam in posterum, coram Deo, aut hominibus prætexere licebit, nisi quales optamus, quibus cordi estis vos exhibueritis. Quam tradidit vobis doctrinam Dominus Archiepiscopus, ea est, quam omnes Indiæ tenent incolæ, cum Clericis & Religiosis ipsius: ipsam tota Lusitatania, Hispania tota, cuncti demum amplectuntur Christiani; ipsam nos Dei Filius edocuit, tradidit Thomas, tradidit Petrus, cuncti denique Apostoli, Discipulique Domini tradiderunt: si quis autem adversus hanc docuerit, sit, ut ait Paulus, anathema, excommunicatus, & separatus a fidelium congregatione & societate, eo quod ipse se à Christo, ejusque fide & gratia separavit. Deus vobis perfectam sui cognitionem conferat, ut vester in Domino frater peroptat. Datum Cochim XVIII. Junii, anni MDXCIX.

Frater in Domino F. Andreas Episc.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODI RESPONSUM.

Deus auxilietur nobis.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

D. ANDREÆ

Episcopo dignissimo de Cochim.

SYNODUS DIOECESANA

Christianorum Sancti Thomæ, Episcopatus Montensis, Diamper congregata: æternam felicitatem, & cuncta prospera in Domino.

QUas Synodo dedit literas, Illustriss. Dominatio Vestra, easdem coram Sacerdotibus Populoque congregatis, Rm̃us noster Metropolitanus recitari jussit; quarum totum introspicientes argumentum, ingenti in Domino gaudio cumulati sumus. Comperimus enim sanam doctrinam, quæ in iis continetur, eamdem prorsus esse, quam noster Metropolitanus è suggestu, per omnes Ecclesias edocuerat, quam Synodus ista explicaverat, quam demum Missionarii istius *Serræ* indesinenter inculcant; quamobrem novo robore in accepta fide catholica inde confirmamur; sicuti & in obedientia, quam Ecclesiæ Romanæ, nostræ Matri, ac Domino nostro Papæ Christi Vicario in terris, atque divi Petri Successori, præstitimus, ut ex actis constat Synodi, quæ Dominationi V. transmittimus, à nobis subscripta, ubi omnia valebit perspicere. Nec in eam à recto deviationem, in qua hucusque versati sumus, nos conjecerat aut animi pervicacia, aut fovendi schismatis quæsitum studium, sed vera causa ea fuit, quia jam dudum apud nos erat veræ doctrinæ lumen obtenebratum, & Pastores non salubri cibo, sed venenato nos pascebant, nempe malesana Nestorii doctrina, tum aliis pluribus erroribus, a quibus tandem, Deo propitio atque miserante, per nostrum Metropolitam in veram lucem emersimus. Eidem

Digitized by Google

dem causæ tribuendum est, quod initio, illius vocibus aures negavimus, quod ipsi magnopere molesti atque infesti fuimus, quodque ipsum non semel in discrimina conjecerimus; quorum omnium in dies magis magisque nos piget. Cum vero ille strenuo constantique animo concionibus institerit, quibus splendor, & claritas veritatis nobis illuxit, tandem auspice Deo, sincere atque ex animo eam amplexati sumus, ac in Synodo unanimiter, & communi omnium lætitia professi; unde res Ecclesiæ istius in rectum novumque ordinem redegimus, nostro Metropolitæ Mar Alexio omnium Magistro plene obtemperantes. Unum tamen est quo angimur, quod ipse quantocius in propriam sedem, Ecclesiarum visitatione peracta, digressurus, nos solatio atque auxilio destituet, ni ab Apostolica Sede, quem expectamus, Antistes advenerit, aut Dominatio V., proximæ Diœceseos Pastor, quod alii decessores egerunt (quorum beneficiis cumulati, eos grato animo memoramus) nobis, ac rebus nostris auxilio sit; & usque dum sedes vacat, nos, & Rectorem, quem noster Metropolita designaverit, eadem benignitate, & comitate qua proprias oves prosequitur, clementer excipiat. Et quia nos data honestavit Epistola, ab ea quodammodo audaciores facti, id etiam à Dominatione V. confidenter petimus, ut dum Presbyteri nostri, quod frequenter accidit, ad Urbem & Diœcesim Dom. V. se conferunt, tum ad spirituale ipsorum solatium, tum ad eorum indigentiam sublevandam, eosdem sacrum celebrare benigne sinat; quod quidem, parvo ab hinc tempore ipsis denegatum esse comperimus; idque ea de causa contigisse credimus, quia nos vetus, quod ejuravimus Schisma ab Ecclesia Romana disjungebat: at cum jam quæ ad fidem attinent, omnia pro voto cesserint, nihil est quo præpediri possit, id quod humiliter flagitamus, nempe quod Presbyteris, *qui illuc* accedant cum literis nostri Antistitis, ex quibus constet, *nullo eos* impedimento teneri, facultatem faciat celebrandi *Missas in illis* Ecclesiis, saltem Romanam Syriace redditam; *ita fiet ut* omnibus compertum sit, nos omnes tandem unum esse *in* Christo in una Ecclesia Catholica, & Schisma, quo Satanæ opera vexabamur à reliquiis Ecclesiis disjuncti, evanuisse; omnesque unam eamdemque Catholicam constituere Ecclesiam, quod & fides tradit, & Dominatio V. in sua gravissima Epistola, ut Pastor vigilantissimus, perspicue solideque nos edocet. Ac pro tanto bono, Deus nobis Dominationem V. incolumem per multos vitæ annos reddat, ad spiritualem suæ Ecclesiæ progressum, atque ovium, quas à Domino commendatas regit, proventum. Dat. Diamper in Synodo die 25. Junii anni 1599.

LI-

Digitized by Google

LITURGIA
MALABARICA
MENESSIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMONITIO

In Liturgiam Malabarico-Meneſſianam.

Omperti ſſimum apud omnes haberi debet, Sanctos Apoſtolos, Chriſti & verbo & exemplo edoctos, certum aliquem modum atque formam precum & obſecrationum præſcripſiſſe, quibus rite ſancteque uterentur, In communicatione fractionis panis, *eoſdemque ſubinde ipſorum proximos Succeſſores, in Eccleſia Hieroſolymitana, Antiochena, aliiſque, ampliorem in modum pro rerum temporumque opportunitate redegiſſe. Nec minus exploratum habetur, certos ritus atque ceremonias in illis ſacris actionibus peragendis, quibus ordine atque decore quodam ea perficerentur, adhibitas deinceps uſurpataſque fuiſſe; at vero hæc omnia, non illico, nec primis illis temporibus ſcripto fuere mandata, ſed ſolida conſtantique traditione, quæ omnem prorſus varietatem ac diſcrepantiam, circa rei ſubſtantiam excluderet, ore tenus ad omnes Chriſticolas derivata.*

Neſtoriani igitur, qui Edeſſa pulſi, in Syriam, Meſopotamiam, & Perſidem fuere primum diſperſi; quique poſteriori ævo, Tartaris atque Sinis, nominis Chriſti fidem (utinam ſinceram) annuntiantes, atque Indiam colluſtrando, religionis candorem, quem ab Apoſtolo Thoma acceperant Indi, miſere offuſcantes, in illas omnes Orientis regiones penetrarunt; iſti, inquam, Liturgiæ formam, quæ Eccleſiæ illi Edeſſenæ erat in uſu, & quam uti ab Apoſtolis traditam conſervabat; alias etiam, ab iis quos Magiſtros venerabantur, inſtitutas Liturgias, ſecum ad illas gentes advexerunt. Ea vero inter omnes alias eminet atque celebratur, quæ Liturgia Apoſtolorum *inſcribitur; notæ etiam ſunt Liturgiæ Theodori Interpretis, & Neſtorii, a quo nomen*

Digitized by Google

nomen sortiti sunt, qui usque ad præsens Nestoriani vocantur. Nec ultra tres istas Liturgias, alias extare Nestorianorum, præsidenter asserunt Renaudotius Tom. 2. pag. 566. *& le Brun* Tom. 3. pag. 206. *at quam vere, inferius constabit.*

Apud Christianos Nestorianos S. Thomæ nulla alia usitatior fuisse Liturgia videtur, quam ea, quæ agente Menessio ex Syriaco in Latinum conversa est, quum nostra Synodus celebraretur; ea est, quæ hic attexitur ad calcem Synodi, prout a Gouvea edita fuit, atque typis excusa Conimbriæ anno 1606. *post septem a Synodo annos; unde apparet, Indos Malabarenses, non aliam ista gratiorem accepisse à Nestorianis Liturgiam, præterquam ex tribus recensitis primam, quæ Apostolorum appellabatur; nisi dicamus, eam ipsam quoad potiorem sui partem, ante Nestorianorum appulsum jam pridem a fidei primordiis apud Indos viguisse; eo vel maxime, quod cum Thomas, qui Indis lumen fidei invexit, idem etiam in Edessam Adæum ablegaverit, verisimile est, eumdem quoad substantiam, sacræ actionis conficiendæ ritum, Ecclesiam Indicam & Edessenam ab ipsis acceptum retinuisse; Nestorianos autem, quibus, ut optime notat Renaudotius, neque Orthodoxi neque Jacobitæ umquam objecerunt, quod novam Liturgiæ formam invenerint (aut antiquam aperte, priori saltem tempore corruperint) ausos non fuisse, antiquissimam illam Liturgiam abrogare; quamquam sensim reliquas duas Theodori, & Nestorii, ut Synodus ostendit* Act. v. *in Ecclesiam Indicam introduxerint, immo & quartam Diodori, ut mox ostendimus.*

Prima igitur inscribitur: Liturgia aut Sacrum Sanctorum Apostolorum, *quo nomine veniunt juxta Nestorianos* Adæus *seu* Thadæus & Mares, *eo quia Apostolus Thadæus cum socio Mari, qui ab aliis vocatur* Agi, *Edessenis atque Mesopotamenis ad fidem conversis ipsorum prædicatione, hanc, ut illius Ecclesiæ ferebat traditio, celebrandæ Liturgiæ formam eos edocuerint. Quod aperte habetur in Codice cujus-*

cujusdam Presbyteri Babylonici, qui asservatur nunc in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Rothomagensis, cui hic præfigitur titulus: Missa Beatorum Apostolorum, composita, a Dom. Adæo, & Dom. Moareo Doctoribus filiorum Orientis; *& in Biblioth. Palatina Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis, extat Codex hujus Liturgiæ, cum hoc titulo*: Doctrina Adæi Apostoli, qui docuit & catechizavit Edessenos, & omnes Mesopotamenos. *Porro in prima* Moareo *pro* Mari, *subrepsisse credendum est. Liturgia Theodori hoc titulo insignitur*: Missa D. Theodori Interpretis, quæ celebratur à Dominica prima Annuntiationis, usque ad Dominicam Oschane (*id est Palmarum*). *Quæ autem Nestorii dicitur, ita inscribi solet*: Missa D. Nestorii, quæ celebratur quinquies per annum; in Epiphania, die festo D. Jo. Baptistæ, die festo Doctorum Græcorum, feria quarta Rogationum, (*a*) Ninive, & Paschate. *Quæ omnia comprobantur a nostra Synodo* Act. v. Dec. II. pag. 153. *nempe eas in usu fuisse; at certis tantum diebus anni*: In Missalibus hujus Episcopatus nonnullæ existunt Missæ, quæ Nestorium, aliæ quæ Theodorum, aliæ vero quæ Diodorum ipsius Magistros, Authores habent, quasque Cassanarii, certis diebus recitare jubentur. *Unde minus fidendum est Renaudotio, sicuti & in aliis rebus ad nostram Synodum attinentibus, quod scripserit* Tom 2. pag. 575. *ut in multis, ita & in hoc alucinatam Synodum, scripsisse; Diodori extare Liturgiam*: Quod (*ait*) nemo autor idoneus memoriæ prodidit; *at neque idoneus haberi debet auctor, qui adeo præsidenter loquitur. Itaque Abraham Ecchellensis; qui sane idoneus est auctor; in* Not. Catalog. Ebedjesu pag. 133., *ait, se legisse* Syriacam Liturgiam Diodori; *quod etiam probat non minus idoneus scriptor Assem.* Tom. 3. pag. 23. *qui invectivam Renaudotii in nostram Synodum exsibilat. Addimus ex ipso, non*

(*a*) Tempus indicatur triduani jejunii, quod appellant Jonæ aut Ninivitarum, quod exordium sumit decima octava die ante Quadragesimam: de quo vide *Synodum pag.* 226.

non solum ultra illas tres Renaudotii Liturgias extare eam, quæ Diodori est, verum etiam Liturgias Narsetis, Barsumæ, & Procli sub titulo; Sacrum Commemorationis, *sive* Sacra Commemoratio; *cassas autem conjecturas Renaudotii in discernendis Liturgiis (qui Maronitis nullam Liturgiam concedit) solide revincit P. Benedictus Soc. Jesu Maronita*, in Antirrhet. altero ad calcem 2.Tom.Oper. S.Ephræm p.40. *ubi pulchra de divisione Liturgiarum apud Syros adducit: tota item Dissertatione, jure merito nimia Renaudotii confidentia egregie vapulat.*

Quod attinet ad veram fidei Doctrinam, circa Eucharistiam, suspecti quidem a pluribus habiti sunt Malabarenses, uti & Nestorianorum reliqui; quasi transubstantiationem non crederent; immo in aliquibus ipsorum Liturgiis, sacra consecrationis verba desiderarentur. Synodus etiam nostra non admodum ipsis favisse videtur; tum quia Act. III. Dec.XIV. *ait, Malabarenses retinere* Librum Timothei Patriarchæ, & Librum Homiliarum, *aliosque, in quibus asseritur, in Eucharistia corpus Christi non existere, sed tantum ejus imaginem seu figuram; tum etiam, quia in sequenti præloquio Synodi ante Liturgiam Malabaricam, idem asseritur; atque memoratur Episcopus quidam Angamalensis, qui ut illis erroribus obviam iret, jussit in Liturgia verba scribi consecrationis, immo & addi:* Hoc est in veritate corpus meum &c. *At omnia facili negotio constabunt, & ejusmodi scrupulus e medio tolletur, si animadvertamus, alios fuisse circa Eucharistiam errores, ut ita dicamus, nativos ipsorum sistemati, aliosque adscitos. Errarunt certe; cum enim Deum assererent affective tantum Christo unitum, & Christum in Eucharistia vere præsentem esse, consequenter asserebant corpus tantum ibi esse suppositi humani, non suppositi Divini: at hoc idem mutationem elementorum ab eis admissam fuisse convincit, ipsamque transubstantiationem aperte supponit. Quod autem, ut notavit Josephus II. Patriarcha, in Liturgia Nestorianorum, verba Christi desi-*

de-

Digitized by Google

derentur, præcipue in prima Apostolorum; id sane in causa fuerit; vel quod antiqui ea verba supplerent ex aliis liturgiis; vel quia e memoriæ penu ea depromerent: id constat, in Liturgiis Theodori & Nestorii ea verba legi; ex quo evidenter sequitur, hac in re Nestorianos antiquos a ceteris Ecclesiis non discessisse. Nestoriani autem recentes ea verba non supplent, immo reticentia Liturgiarum muniuntur ut probent, solis Invocationis verbis, panem Eucharisticum transmutari. Privatus autem recentiorum error, publicæ antiquorum auctoritati nihil officit, sed potius ex illa emendandus est; ut recte monet Assem. Tom. 4. p. 304. *quod autem verba consecrationis à Nestorianis usurpata fuerint in suis Liturgiis, ineluctabiliter ab eodem convincitur. Diluendum manet autem, quod ab eorum pluribus, Timotheo præsertim dicatur, in Eucharistia figuram tantum Corporis Christi contineri; attamen quin eamus inficias, quod eorum aliqui subdolo sensu id affirmaverint, (quod regulam non constituit) duo nobis certissime constant: primum nihil tale in illo sensu, oculatissimum Assemanum in scriptis Timothei introspexisse; alterum est, quod cum illi alias, ut mox dicebamus, realem Christi præsentiam agnoverint, eo sensu, nec alio dicere poterant, ibi esse figuram corporis Christi, quo Ambrosius, aut auctor* Libri Sacram. lib. 4. cap. 3. *& alii id asseruerunt; nempe Corporis Christi mystici ex omnibus prædestinatis efformati; ubi omnes, cum erimus in Patria, capiti nostro Christo copulabimur; cujus rei Corpus Christi in Eucharistia perspicuam exhibet imaginem atque figuram; hanc rem in optimo lumine collocat Le Brunus* Tom. 3. pag. 193, & seqq.

Igitur Liturgia nostra, quæ etiam extat in Bibliotheca Patrum, & apud Renaudotium, & Le Brunum (mutila tamen apud istos atque omnino depravata, adeo ut durum sit credere ipsis asserentibus, se eam legisse) omnium optima haberi debet; per omnia enim præsefert sacrum illum antiquitatis characterem, qui imitationi dolosæ non facile subjacet,

nimirum simplicitatem; addimus eximiam pietatem, unctionem Spiritus Sancti, atque incomparabilem sinceritatem; adeo ut exceptis aliquibus benedictionibus, aliisque pauculis verbis, quæ recentioris videntur institutionis, nulli ipsam attente perlegenti constare non poterit, Apostolica sapere tempora, quoad reliquas potissimas Liturgiæ partes; quid quid miles gloriosus Renaudotius contra asserat, Tom. 2. p 580. *de nostra Malabarico-Menessiana Liturgia. Ut autem ex nostra Liturgia, integra species antiquæ, ut erat ante Menessii emendationem, habeatur, quod expetebant Crozæus, Renaudotius & Le Brunus; id effecimus, ut appositis ad oram verbis a Menessio expunctis, castigationes diverso charactere excuderentur; itaque si verbis in contextu notatis, substituantur, verba quæ in extrema ora collocantur, omnino fiet, ut antiqua Liturgia, representari valeat.*

MIS-

Digitized by Google

MISSA

Qua utuntur antiqui S. Thomæ Christiani Diœceseos Angamallensis ad montana Malabarica, Indiæ Orientalis, ab erroribus atque blasphemiis Nestorianorum, quibus scatebat, expurgata, per Illmum & Rmum D.D. Fr. Alexium de Menezes, Goensem Archiepiscopum, ac Indiæ Primatem, quum ablegatus fuit, ut eos Christianos obedientiæ S. Romanæ Ecclesiæ reduceret; de verbo ad verbum e Syriaco vel Suriano in latinum translata.

Nter plura, quæ cordi mentique fuerunt Rmo Archiepiscopo Goensi D. Fr. Alexio de Menezes, quum Synodum coegit Diœcesanam in Episcopatu Angamallensi *Serræ* Malabaricæ, apud Christianos Divi Thomæ, quos ab erroribus Nestorii revocavit, atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecit, nihil hac una re antiquius habuit, quam Liturgiam Syriacam, aut Surianam Missam, quæ Chaldaico idiomate in ea Ecclesia legebatur, ab erroribus repurgare; enim vero illa, sive instituta, sive multis a Nestorianis hæreticis aucta fuisset, plurimis erroribus atque blasphemiis deturpata erat; immo Nestorii, Theodori, Diodori, aliorumque Nestorianorum colebatur in ea memoria, ipsorumque intercessio, non secus ac Sanctorum aliorum implorabatur. Cumque præterea tam ipsi Christiani, quam ipsorum Præsules Chaldæi, qui e Babylone illuc mittebantur, summa rerum ignoratione laborarent, eo devenerunt stultitiæ, ut quilibet pro suo libito, etiam consecrationis formæ aut verba adjiceret, aut detraheret. Antistes autem quidam, qui rei Ecclesiasticæ, Divinarumque Scripturarum ampliori præ aliis eruditione pollebat, errores, qui formæ consecrationis subrepserant, sedulo expunxit, ne de veritate fidei erga Sacramentum dubium ullum suscitari posset; veram insuper consecrationis formam restituit, nonnulla etiam majoris explicationis gratia adjunxit verba, ut errorem, quo illi erant imbuti, nempe quod in Eucharistia figura tantum corporis Christi existeret, procul ab eorum animis propelleret, (ab istis enim hunc errorem, hæretici nostri ævi, qui omnes veteres in antiquis sectis damnatos errores, denuo resuscitarunt, desumsisse videntur) in forma igitur consecrationis pa-

nis, ita disposuit Archiepiscopus ille verba: *Hoc est IN VERITATE Corpus meum*; & in consecratione Calicis hæc alia: *Hic est IN VERITATE Calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in debitorum propitiationem, & in peccatorum remissionem, & hoc erit vobis pignus in sæcula sæculorum*, quæ quidem forma hactenus obtinuit. Veruntamen Rmus Archiepiscopus redundantia expunxit verba, atque formam consecrationis, qua utitur Ecclesia Catholica, uti in Missali Romano continentur, restitui curavit; plures etiam sacrilegos ritus; pleraque item ineptissima, quæ in defensionem hæresum, ac errorum illi Christiani usurpabant, abrogavit; ab omnibus ergo ejusmodi rebus Missam sedulo expurgavit, reliqua uti prius legebantur, illibata relinquens, quousque quid facto opus esset super iis, Sedes Apostolica & Summus Pontifex consultus decerneret. Castigationes vero in hanc Liturgiam a Synodo adhibitæ, earum saltem plures leguntur, *Act. V. Decr. X.* (a) *de Sancto Missæ Sacrificio*; & *Act. III. de rebus ad fidem spectantibus*, quo Lectores remittimus; interea ut avidæ ipsorum curiositati satisfiat, eamdem Missam, prout ad præsens legitur repurgatam, oculis subjicimus.

SACRUM

(a) Non avidius auri ramenta arriperet, ut hæc verba in defensionem Religionis suæ reformatæ excipit Crozæus *in Præfat. Hist. Ind.* ut antiquam esse ipsius doctrinam, quæ ab antiquissimis illis Christianis, ipso incaute asserente Gouvea desumpserunt Protestantes; at verba Gouveæ non significant institutionem; sed exemplum, ut cum dicimus, *adeo turpe est systema Protestantium: ut ab orco videatur acceptum*.

(b) Legendum nempe est; *Act. V. in Doctrina de Sancto Missæ Sacrificio, Decreto I.* vide superius in Synodo *pag.* 145.

Digitized by Google

SACRUM

BB. APOSTOLORUM.

Sacerdos indutus vestibus sacris cum Diacono, vel alio Ministro habente thuribulum cum incenso, continuo thuriferante accedens ad gradus Altaris in primo gradu constitutus, elevatis manibus, facta prius Altari reverentia, absolute dicit:

S. Gloria in excelsis Deo.

D. Amen.

S. Gloria in excelsis Deo.

D. Amen.

Et in terra pax & spes bona hominibus, Pater noster, qui es in Cælis, sanctificetur nomen tuum, Sanctus, Sanctus, Sanctus; tu Pater noster qui es in Cælis, pleni sunt Cæli & terra Majestatis gloriæ tuæ, & Angeli, & Homines clamant ad te Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu Pater noster qui es in Cælis, sanctificetur Nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in Terra, da nobis hodie panem necessitatis nostræ, & dimitte nobis debita, & peccata nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, (a) *quoniam tuum est regnum, virtus & gloria in sæcula sæculorum Amen.* *Sacerd. & Diac. simul.*

S. Robora Domine Deus noster infirmitatem nostram

(a) Immerito PP. Diamperitani *Act.3. Decr.2.* ut habetur *pag.82. Synodi* queruntur de Nestorianis, quasi ii Orationi Dominicæ apud Matthæum *cap.6.* ista verba addiderint: *Quoniam tuum est Regnum &c.* Hæc enim quæ vocatur *Formula Glorificationis*, antiquissima est in Ecclesiis Orientalibus, atque inde in Græcum T.N. contextum introducta, quasi terminus Orationis Dominicæ, quam Christus nos docuit; quod accurate adnotavit Arias Montanus *in Edit. Græco-Lat. ad hunc locum*; talis itaque additio ante Nestorium abs dubio facta est; Chrisostomus enim qui *anno* 390. Antiochiæ Homiliis vacabat, ipsius sensum enucleavit, quasi esset illius Capitis perioche, *Hom* 20. *sup. Matth.6.* Et antiquus Auctor Homiliarum, apud eundem Chrisostomum, idem præstat *Hom.16. in Matth.* Reperitur præterea in Liturgiis Syrorum, Coptorum, & Aethiopum.

Digitized by Google

ſtram benignitate tua, ut miniſtremus Sacramentis tuis ſanctis, quæ nobis data ſunt in naturæ noſtræ ſalutem, & innovationem, *per (a) amores Filii tui* dilectiſſimi, O rerum omnium Domine, Pater Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen.

S. Adoretur, & glorificetur, honoretur, & exaltetur, laudetur, & benedicatur in Cælo, & in Terra ſuper glorioſum nomen Trinitatis tuæ præclariſſimæ omni tempore, rerum omnium Domine Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen.

S. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in Monte Sancto tuo.

S. Qui ambulat abſque macula, & facit Juſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo, & non dolum per linguam ſuam.

D. Et non facit proximo ſuo, & munus non accipit contra proximum ſuum.

S. Et qui reprobat oculis ſuis irritatorem, & timentes Dominum glorificat.

D. Et jurat proximo ſuo, & non mentitur, & pecuniam ſuam non dat ad uſuram.

S. Et munus contra proximum innocentem non accipit, qui facit hæc Juſtus eſt, & non commovetur in æternum.

D. Glorificate eum in virtute ejus, glorificate eum in magnitudine Majeſtatis ejus.

S. Glorificate Dominum in ſanctitate ejus, glorificate eum in firmamento fortitudinis ejus.

D. Glorificate eum in voce tubæ, glorificate eum in citharis, & pſalteriis.

S. Glorificate eum in tympanis, & organis, glorificate eum in vaſis ſuavibus. D. Glo-

(a) Renaudotius *Litur. Tom. 2. p. 580.* aſſerit quod ubi Diamperitana verſio legit *Amores*, ſatius fore, interpretari, *Miſerationes*; & quamquam rideat verſionem Diamperitanam, fatetur tamen literæ tenaciorem eſſe præ aliis. Miſeratione tamen dignus eſt Renandotius, qui neſciebat quod ex eadem radice Syriaca *Rebem* fit quod eſt *Dilexit*: *Amavit*, & *Rahem*: *In viſceribus habuit*: *Miſertus eſt*; unde ſicut non male aliqui *miſerationes* vertunt; ita recte Diamperitani, *Amores* ſcripſerunt; nec in hoc extra orbitam aliquid aſſeruerunt; at quam fuerit Cenſor noſter linguarum orientalium peritus, ex paucis, quæ in Præfatione generali adnotavimus, dignoſci valet.

Digitized by Google

D. Glorificate eum in cymbalis bene sonantibus, glorificate eum in voce, & vociferatione, omni spiritu glorificamus Dominum.

S. Laudate Dominum omnes gentes, Laudate eum omnes populi.

D. Quoniam confirmata est super nos gratia ejus, vere Dominus est in æternum.

S. Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto, à sæculo, & usque in sæculum. Amen & Amen.

D. Mundis cogitationibus constitue me Domine coram Altari tuo.

S. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requiescet in monte sancto tuo, quam gloriosum, & decorum est Sanctuarium tuum: Deus omnium sanctificator rerum.

D. Pax nobiscum.

S. Coram throno super glorioso Majestatis tuæ, Domine mi, & excelsa supremaque Sede dominationis tuæ, & ara expiationis, quam fixit voluntas tua in loco habitationis gloriæ tuæ: Nos populus tuus, & oves pascuæ tuæ cum Seraphinorum millibus te laudantium, & decies Angelorum, & Archangelorum millibus tibi ministrantium, genua coram te flectimus, adoramus, & glorificamus semper, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in sæcula sæculorum.

D. Amen.

S. Nomini magno formidabili, sancto, laudabili, incomprehensibili Trinitatis tuæ super gloriosæ, Misericordiæ etiam tuæ, quam erga genus nostrum ostendisti, gratias referre debemus incessanter, adorationem quoque, & laudem tribuere; O rerum omnium Domine, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Amen.

S. Te Dominum omnium laudamus, & te Jesum Christum glorificamus, quoniam tu es suscitator corporum nostrorum, & Salvator optimus animarum nostrarum, lavi pure manus meas, & circumdedi Altare tuum Domine. *Sacerd. & Diac. simul iterum repetunt. Iterum repetit Sac.*

D. Te omnium Dominum laudamus, te Jesum Christum glorificamus, quoniam tu es suscitator corporum nostrorum, & salvator optimus animarum nostrarum.

Glo-

Digitized by Google

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto à seculo, & usque in seculum. Amen, & Amen.

Te Dominum omnium laudamus, te Jesum Christum glorificamus, quoniam tu es suscitator corporum nostrorum, & Salvator optimus animarum nostrarum: lavi pure manus meas, & circumdedi Altare tuum Domine.

Te omnium Dominum laudamus, te Jesum Christum glorificamus, quoniam tu es suscitator corporum nostrorum, & salvator optimus animarum nostrarum.

D. Pax nobiscum.

S. Tu es vere Dominus meus, & suscitator corporum nostrorum, & salvator bonus animarum nostrarum, & custos assiduus vitæ nostræ; teque omni tempore laudare, & glorificare debemus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,

D. Amen.

S. Domine Deus noster, quando spirabit in nobis odor suavissimus bonitatis, & charitatis tuæ, *& cum corpora (a) nostra* veritatis tuæ splendore fuerint illustrata, tunc occurremus dilectissimo Filio tuo, qui è Cœlo revelabitur, & in Ecclesia tua, quæ jam corona donata est, collaudabimus te incessanter, quoniam tu es Dominus & Creator omnium, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen, Afferte vocem vestram, & collaudate omnes populi Deum vivum.

S. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis miserere nobis; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

D. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis miserere nobis.

S. A seculo & usque in seculum. Amen, & Amen.

D. Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, miserere nobis.

Sacerd. versus Populum. Stemus nos omnes pulchre, & cum lætitia, & hilaritate

(a) Antiq. Malab. *Et cum animæ nostræ*. Hanc de emendatione hujus loci rationem reddit Synodus *Act. 5. Dec. 1 pag. 147.* nempe quia verba, quæ legebantur: *Animæ nostræ* videntur alludere ad errorem Chiliastarum: at vero cum ex contextu appareat, hic loqui & rogare Deum viventes pro semetipsis, ex illis verbis præcedentibus: *Quando spirabit in nobis*, non vero pro defunctis, omnis scrupulus deponi potuisset.

Digitized by Google

ritate petamus, & dicamus, Domine noster miserere nobis. *Populus; & si non adest, Diac.*

Domine noster miserere nobis.

D. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Salvatorem nostrum, nostræque salutis dispensatorem, & rerum omnium ducem, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Pro pace & unitate, totiusque mundi, & omnium Ecclesiarum consistentia, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Pro aeris salubritate, annique, ac proventuum ubertate, & totius orbis ornatu, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Pro (a) Sanctis Patribus nostris beatissimo Papa nostro N., & Episcopo hujus Metropolis N. & ministris ipsorum, ut prospera valetudine perfruantur, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Misericordem Deum, qui amore suo omnia gubernat te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Pietate divitem, & benignitate diffusum, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Essentia bonum, & omnium donorum largitorem te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. In Cœlo super gloriosum, & in terra super laudabilem, te rogamus.

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Naturam immortalem, lucemque splendidissimam inhabitantem, te rogamus: Salva omnes Christe Domine Deus noster gratia tua, & multiplica in nobis pacem & caritatem, & miserere nobis.

P p *Pop.* Do-

(a) Antiq. Malab. *Pro Sanctis Patribus nostris, Patriarcha nostro: Pastore universali totius Ecclesiæ Catholicæ, & Episcopo &c.* In his duobus locis vocabatur Patriarcha Babylonicus; *Pastor universalis*, &, *Totius Ecclesiæ Catholicæ*, quæ verba jure castigavit Synodus: enim vero nec titulus, nec res, sana fide aptari potest, ulli Patriarcharum, præterquam Romano; quod vel ipsi Nestoriani fatentur, apud Sobensem *in Epito. Can. Par. 9. cap. 1.* locum integrum legere poteris infra *in Dissertat. num. 132.*

Digitized by Google

Pop. Domine noster miserere nobis.

D. Oremus, pax nobiscum.

Oremus obsecremusque Dominum Deum omnium, ut audiat vocem orationum nostrarum, & auscultet preces nostras, & misereatur nostri.

Oremus & pro Ecclesia Sancta Catholica, quæ in toto terrarum Orbe dispersa est, ut pax illa, quæ est a Deo, in ea permaneat usque ad seculi consummationem

Oremus etiam, & pro Sanctis Patribus nostris Episcopis, ut absque macula & querela omnibus diebus vitæ suæ, in Capite Ecclesiarum suarum consistant: præcipue vero oportet nos orare *(a) pro incolumitate Patrum nostrorum Sanctorum Domini Nostri Papæ N*, & Domini nostri Episcopi hujus Metropolis; Oremus ut custodiat eos Dominus, ac conservet in Capite gregum suorum, ut pascant, & administrent, ac præparent Domino plebem perfectam, æmulatricem bonorum operum.

Oremus & pro Presbyteris, & Diaconis, qui ministerio hoc veritatis consistunt, ut corde optimo, & conscientia pura ministerium suum, coram Deo expleant.

Oremus etiam pro omni Congregatione Sancta, & sobria filiorum Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, ut scilicet cursum optimum Sanctitatis consumment, & spem ac promissionem a Domino, in regione vivorum recipiant.

Commemoremus autem *(b) Beatissimam Dominam Mariam Matrem Dei vivi, & Salvatoris, & Redemptoris nostri*; Oremus igitur ut Spiritus Sanctus, qui in ea habitavit, gratia sua nos sanctificet, & voluntatem suam in nobis adimpleat, & veritatem suam in nobis signet, omnibus diebus vitæ nostræ. Memoriam etiam veneremur Prophetarum, Apostolorum, ac Martyrum, Confessorumque: Oremus ut ipsorum precibus, ac Passionibus, quas sustinuerunt, faciat nobis Deus cum

(a) Antiq. Malabar. *Domini Patriarchæ totius Ecclesiæ Pastoris.*

(b) Antiq. Malab. *Beatissimam Mariam Virginem Matrem Christi, & Salvatoris.* Hic locus emendatur propter reticentiam tituli *Matris Dei*, quem Nestoriani Mariæ denegabant; unde hic, aliisque in locis adjungitur ille titulus, ut assuescerent illi Christiani, Deiparam debito ipsi gloriosissimo titulo honorare, eique priscam gloriam restituere.

Digitized by Google

cum eis, spem optimam ac salutem, efficiamur quoque digni eorum Commemorationibus benedictis, & vivis ac veris promissionibus in Regno Cœlorum.

Commemoremus quoque Patres nostros (a) *Sanctos & veritatis Doctores, Sanctum Cyrillum, S. Athanasium S. Basilium, S. Ephræm, S. Augustinum, S. Leonem S. Gregorium, omnesque Doctores, & Presbyteros, veritatis Doctores*: Oremus, ut ipsorum orationibus veritas pura & sincera doctrina, quam ipsi docuerunt, & professi sunt, in omni Ecclesia Sancta custodiatur, usque ad sæculi consummationem.

Recordemur etiam & Patrum & nostrorum fidelium, qui ex hoc seculo in ortodoxa fide transierunt, oremus inquam Dominum, ut illos absolvat, eorumque peccata, & prævaricationes dimittat, & efficiat eos dignos, ut cum justis & rectis, qui divinæ voluntati obtemperaverunt, lætentur in secula.

Pro hac etiam Provincia, & Civitate, & pro his, qui in ea degunt, præsertim vero, pro Congregatione hac; Oremus, ut Dominus noster per gratiam suam, avertat à nobis gladium, captivitatem, prædam, terræmotum, famem, ac pestem, & cetera, quæ animæ, & Corpori adversantur.

Pro his quoque, qui à vera fide aberraverunt, & laqueis Satanæ irretiti tenentur: Oremus, ut convertat Dominus Deus corda eorum, & agnoscant verum esse Deum Patrem verum, & filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum.

Oremus & pro infirmis, præcipue vero pro his, qui morbis difficillimis cruciantur, & à pessimis spiritibus tentantur: Oremus, ut Dominus Deus noster mittat eis Angelum sanctum amorum, & salutis, & visitet, sanet, adjuvetque eos, magnitudine gratiæ, & misericordiæ suæ.

Pro egenis etiam, orphanis, viduis, & afflictis, & his

(a) Antiq. Malabar. *Patres nostros, & veritatis Doctores, Dominum, & Sanctum Nestorium, S. Diodorum, Sanctum Theodorum, S. Ephræm, S. Abraham, S. Narcisum, omnes quoque Doctores, & Presbyteros, veritatis cultores.* Nonnisi perfricata prius fronte, hæreticis illis adjungerent Nestoriani, *S. Ephræmum* clarissimum, atque purissimum Ecclesiæ Orientalis lumen; de quo vide eruditissima Prolegomena Asseman. ipsius Operibus præfixa *Edition. Roman. anni* 1732.

Digitized by Google

his, qui persecutionem patiuntur: Oremus: Dominus gratia sua regat eos, ac nutriat, pietateque sua consoletur, & benignitate sua eos liberet ab inferentibus illis vim.

Orate, postulateque Deo omnium Domino amores, ut sitis illi Regnum, Sacerdotium, & populus sanctus: Clamate ad Dominum Deum fortem, toto corde vestro, & tota anima vestra, quoniam Deus Pater benignus, & misericors est, ac clemens, & non vult perire plasma suum, sed ut convertatur & vivat: super omnia vero decet & oportet nos orare, laudare, & adorare, glorificare, & honorare, ac exaltare unum Deum Patrem Dominum omnium, adoratione dignissimum, (a) *qui per Jesum Christum filium suum Dominum nostrum, fecit nobis spem bonam*, & salutem animabus nostris, ut scilicet ipse gratiam amoresque in nobis perficiat usque in finem. Amen.

Pop. Amen.

Dum hæc Diaconus recitat, Sacerdos in medio Altaris, accipit Patenam, & præbente thura Diacono, & tenente thuribulum ambabus manibus cum igne, immittit incensum in ignem in formam crucis, & Patenam thuris odore imbuit, dicens.

S. Domine Deus noster, odoriferam fac Patenam hanc, in modum patenæ Aaron Sacerdotis clarissimi, in tabernaculo fœderis, tu qui es creator, & Dominus radicum aromatum, suavissimum odorem spirantium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Deinceps velum, quo cooperit Calicem, dicens.

Domine Deus noster odoriferum fac velum hoc in modum palii, quo Elias Propheta veritatis operiebat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Calicem dicens.

Domine Deus noster odoriferum redde Calicem hunc, in modum Calicis Aaron Sacerdotis, in tabernaculo fœderis, tu qui es Creator radicum, & aromatum, suavissimum odorem spirantium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Mit-

(a) Antiq. Malab. *Qui per Christum fecit nobis spem bonam.*

Digitized by Google

Mittens vinum in Calicem dicit Sacerdos.

Misceatur (a) vinum in Calice Domini nostri Jesu Christi: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Infundens aquam dicit.

Venit unus ex militibus, & percusit lancea latus Domini nostri Jesu Christi, & continuo exivit sanguis, & aqua, & qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.

Rursus infundens vinum dicit.

Misceatur aqua vino, & vinum aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Sacerdos ponens Calicem coopertum super Altare versus Austrum, procedit versus Aquilonem ad cornu Evangelii, & sumit hostiam, ac superponit patenæ, & ambabus manibus elevans, procedit ad medium Altaris, & præparatum Calicem manu dextera accipiens, manus in formam Crucis complicatas super Aram extendens dicit.

S. Expectans expectavi Dominum (b) *panem sanctum, & Calicem pretiosum* super sanctum Altare, omnes offeramus, timore pariter, & honore, & cum Angelis clamemus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noster.

D. Edent Pauperes, & saturabuntur (c) *panem sanctum, & Calicem pretiosum super sanctum Altare* omnes offeramus timore pariter, & honore, & cum Angelis clamemus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.

Oremus: pax nobiscum.

Offe-

(a) Antiq. Malab. *Misceatur pretiosus Sanguis in Calice &c.*

(b) Antiq. Malab. *Corpus Christi, & Sanguinem ejus pretiosum.*

(c) Antiq. Malab. legebatur, *ut supra.*

De castigatione facta in iis tribus locis Liturgiæ Malabaricæ PP. Diamperitani duplicem reddunt causam, *Act. 4. pag. 148.* tum: *Ne verba illa, quibus vinum nondum consecratum vocatur pretiosus sanguis, præbeat occasionem errandi*, tum etiam: *Ne videantur* (verba) *alludere ad damnatum Græcorum morem, qui offerentes panem & vinum ante consecrationem, ea adorant, dicentes, se ita facere, propter id, in quod postea convertenda sunt.* Utraque tamen scrupulosius inventa est, quam par erat; nisi illorum temporum conditio, atque illorum Christianorum plena ab erroribus revocatio, ex quadam prudenti œconomia, Menesium, aliosque PP. ita agere compulerit. Quod enim vocetur *Sanguis* ante consecrationem vinum, modus loquendi visitatissimus est a priscis temporibus, quo Ecclesia dona oblata, in antecessum nomine vocat illius rei, in quam post pauca convertenda sunt; nec is est Orientalis Ecclesiæ peculiaris ritus, sed communis nostræ Ecclesiæ Occidentali, quæ præscribit similia verba in Missa, dum Sacerdos offert panem; nempe:

Digitized by Google

Sac. Silentio dicit.

Offeratur, & gloria immoletur Trinitati tuæ super gloriosæ in sæcula sæculorum, (a) *& Jesus Christus Dominus noster, Dei Filius, qui oblatus est* pro salute nostra, & præcepit nobis, ut sacrificemus in memoriam Passionis, Mortis, Sepulturæ, ac Resurrectionis ejus suscipiat sacrificium hoc, de manibus nostris per gratiam, & amores suos, in sæcula sæculorum.

Sacerdos superponens Altari oblata, silentio dicit.

S. Constituantur, & ordinentur Mysteria hæc super gloriosa, & sancta, vitam conferentia, & divina, super Altare Sanctum Christi, usque ad gloriosum e Cœlo ipsius Adventum, cui est laus, gloria, & adoratio modo, & omni tempore, & in sæcula sæculorum.

Elevans vocem dicit.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritus Sancto, super Altare sanctum fiat commemoratio (b) *Virginis Mariæ Matris*

Suscipe S. Pater, Omnipotens æterne Deus, hanc IMMACULATAM HOSTIAM; licet tunc panis ille, nec sit *immaculatus*, nec *Hostia*, aut victima Sacrificii; Tamen procul omni errandi periculo, ita vocatur, quia est res jam destinata conversioni & sacrificio; etenim, ut ait Amalarius, qui floruit initio Seculi IX. *Præfat. 2. in lib. de Offic. Eccl. Facit* (Sacerdos) *eam transire, per suam secretam orationem ad nomen HOSTIÆ, sive muneris, doni, vel Sacrificii, vel oblationis*. Immo illum panem vocat Corpus Christi Ecclesia nostra in oratione secreta Epiphaniæ, quæ in antiquo *Sacramentar. Gregorian.* legitur *pag.* 15. *Miss. Gothic. Cardin. Thomasii p.* 210. *Dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus, & myrrha profertur sed .... Jesus Christus Filius tuus*. Consonat *Missal. Gelasian.* ejusdem Cardinalis *pag.* 117. *Miss. Franc. Miss.* 22. *pag.* 428. *Liturg. Gall. pag.* 325., & Missal. Mozarab. in quo habetur; *Offerimus HOSTIAM quæ sola placere potest, cum sit ipse Deus &c.* Nec secunda ratio magis placet; ritus enim ille Græcorum damnatus non est; immo spectante Roma permittitur, ut semel & iterum in Græcorum Templo fieri vidi die S. Athanasio sacra; enim vero illa thurificatio panis, dum e Prothesi sive parvo altari asportatur in aram maximam, aliæque ceremoniæ, quæ in Liturgia Chrisostomi; quæ nihilo differt a Basiliana, præscribuntur; nullam præseferunt panis adorationem, aut cultum latreuticum, sed meram προσκύνησιν; quod si aliquis latriæ actus intercederet, non ad panem, sed ad Corpus Christi etiam non præsentis, tenderet, quod jam panis ille significat, atque repræsentat; sicuti audita voce *Sanctissimi Sacramenti*, reverentiam, & quidem latreuticam exhibemus, non voci, quæ significat Sacramentum, sed Eucharistiæ significatæ, etiam ibi non extanti: simili ergo, immo potiori jure id cultus exhiberi potest pani illi; tum quia Diaconi benedictionibus, atque precibus sanctificato, tum etiam (si scholasticis terminis, & vocibus uti licet) quia ille panis est *in fieri* Corpus Christi.

(a) Antiq. Malab. *Et Christus, qui oblatus est.*

(b) Antiq. Malab. *Virginis Mariæ Matris Christi.*

Digitized by Google

Matris ipsius Dei, & Domini Nostri Jesu Christi.

D. A sæculo, & usque in sæculum. Amen, & Amen.

(a) *Apostoli ipsius filii Dei*, & Amici Unigeniti orate, ut fiat pax in Creatura.

S. Dicat omnis Populus Amen, & Amen: Commemoratio tua Thoma Apostole, Pater noster sancte, super Altare Sanctum cum Justis, qui vicerunt, & Martyribus, qui Corona donati sunt.

D. Dominus fortis nobiscum, Pater noster nobiscum, Angelus noster, & adjutor noster Deus Jacob.

S. Pusilli cum majoribus, ecce spe bona dormierunt omnes fideles, qui humanitatis debitum persolverunt,

(b) *& per Resurrectionem tuam super gloriosam, suscitabis eos* ad gloriam tuam.

D. Effundite coram illo corda vestra, jejunio, oratione, & pœnitentia, (c) *placaverunt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.*

Operiens oblata Sacerdos dicit.

S. Amictus es lumine sicut vestimento, & extendisti Cœlum sicut cortinam, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Dum Sacerdos lavat manus dicit Diaconus.

D. Prece, & obsecratione Angelorum pacis, & amorum postulamus.

Pop. A te Domine.

D. Nocte, & die, & omnibus diebus vitæ nostræ, sempiternam pacem Ecclesiæ tuæ, & vitam absque peccatis postulamus.

Pop. A te Domine.

D. Peccatorum remissionem, & quæ vitæ nostræ emolumenta præbent, & Divinitatem suam placant postulamus.

Pop. A te Domine.

D. Misericordias Domini, & ejus benignitatem, & semper, & omni tempore postulamus.

Pop. A te Domine.

D. Nos, & animas nostras Patri, Filio, & Spiritui Sancto commendemus. *Pop.* Ti-

(a) Antiq. Malab. *Apostoli ipsius Filii.*

(b) Antiq. Malab. *Et resurrectione tua supergloriosa resuscitabis eos.*

(c) Antiq. Malab. *Placaverunt Christum, Patrem quoque, & Spiritum ejus.*

Digitized by Google

Pop. Tibi Domine Deus.

S. Rogamus, & obsecramus te Dominum Deum, fortem, perfice in nobis gratiam tuam, & per manus nostras dona tua effunde, amoresque tuos, & Deitatis tuæ benignitatem, & sint in propitiationem debitorum populi tui, & in remissionem peccatorum omnium ovium pascuæ tuæ, quas per gratiam, & amores tuos tibi elegisti: omnium Domine Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen.

D. Inclinate capita vestra in manus impositionem, & accipite benedictionem.

Sacerdos in silentio dicit.

Domine Deus fortis, tua est Ecclesia Sancta Catholica, (a) *quæ admirabili Christi filii tui passione empta est*: oves pascuæ tuæ, per gratiam autem Spiritus Sancti, qui est æqualis tibi in Deitate super gloriosa, ordines veri Sacerdotii conferuntur: tu vero Domine mi, per clementiam tuam effecisti dignam exiguitatem naturæ nostræ miseriæ, ut possimus homines, membra præclarissima fieri corporis magni, quod est Ecclesia Catholica, & ministerio tuo animabus credentibus, Spiritualia auxilia conferamus; tu ergo Domine mi, perfice in nobis gratiam tuam, & per manus nostras dona tua effunde; fiant quoque super nos amores tui, ac pietas Deitatis tuæ super Populum hunc, quem elegisti tibi.

Sat. elevat vocem. Da etiam Domine mi, benignitate tua, ut omnes nos, omnibus diebus vitæ nostræ, Deitati tuæ æqualiter placeamus, operibus, nimirum optimis Justitiæ, quæ super gloriosæ voluntati misericordiæ tuæ nos reddunt acceptos, & in hunc modum auxilio gratiæ tuæ digni efficiamur, ad offerendum tibi semper, carmen, honorem, & laudem, & adorationem, Domine omnium Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen: qui non suscepit Baptismum, discedat.

Chorus. Vere.

D. Qui non accepit vitæ Signaculum, discedat.

Chorus. Vere.

D. Qui

(a) Antiq. Malab. *Quæ admirabili Christi tui passione &c.*

Digitized by Google

D. Qui non suscepit illud discedat.

S. Ite audientes, & videte ostia.

Oremus, pax nobiscum.

S. Illumina Domine Deus noster, motus cogitationum nostrarum, ut auscultemus, & intelligamus vocem suavissimam præceptorum tuorum, vitam conferentium, ac divinorum: Da quoque nobis per gratiam tuam, & amores tuos, ut ex eis emolumentum discerpamus, caritatem nimirum, spem, & salutem, quæ animæ, corporique expediunt, & decantemus tibi semper laudem, absque cessatione omni tempore, Domine omnium Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Amen.

Te sapientissimum gubernatorem, & admirandum domesticorum tuorum curatorem, & gazophylatium magnum, ex quo omne bonum auxiliumque, pietate tua procedit: obsecramus, convertere Domine mi, & propitius esto nobis, misereque nobis semper sicut & soles Domine omnium Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. (a) *Pro Defuncti Sacerdos.*

D. Silete.

S. Paulus Apostolus Epistola: ad Corinthios Fratres mei; benedic, Domine mi.

D. Benedicat te Christus.

S. Scimus enim, quod & si domus nostra, quæ in terra est Corporis hujus dissolvatur, (b) (est tamen nobis ædificium à Deo, domus non manufacta in Cœlo in æternum, propter hoc enim etiam ingemiscimus, desiderioque æstuamus, ut induamur domo nostra, quæ è Cœlo est, nisi vero cum induti fuerimus, non nudi inveniamur, cum enim sumus modo in hac domo, prop-

Qq ter

(a) Hic apparet typorum error; nihil enim pro Defunctis, hoc loci recitari videtur.

(b) Quæ ista parenthesi comprehenduntur, desunt in *Liturgia Malabara* le Bruni *tom.* 3. *pag.* 226. legitur enim nullo sensu, in hunc modum: *Scimus enim quod etsi domus nostra, quæ in terra est corporis hujus, dissolvatur sive bonum sive malum &c.*, sensu plane ridiculo; nec dubitamus, le Brunum animadvertere potuisse (perspicacissimum hominem) plura etiam verba deesse illi contextui; qui aliàs plusquam linceis oculis, post solam prolationem verborum consecrationis, deesse adhuc corpus Christi; tempore autem quo fit Invocatio super oblata, & alibi Spiritum Sanctum, & præsentem jam se sistere Christum, acutissime præ aliis Occidentalis Ecclesiæ Viris perspexerat; at de hoc infra agemus, *Nota* 16. *Liturg.*

Digitized by Google

ter ipsius onus ingemiscimus, & nolumus ea spoliari, sed super indui, ut absorbeatur per vitam ejus immortalitas, & qui præparat nos ad hoc ipsum, Deus est, qui dedit nobis pignus Spiritus sui: Quoniam igitur scimus, persuasumque habemus, quod quandiu in hoc corpore habitamus, peregrinamur à Domino: Per fidem enim ipsam, non per visionem ambulamus, propter hoc speramus, desiderioque flagramus excedere è corpore, & apud Dominum nostrum esse, curamusque quod sive præsentes, sive absentes, ipsi simus placentes: omnes nos enim stabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque in Corpore suo quod fecit) sive bonum, sive malum, vivus est enim sermo ipsius Dei, & omnium operator, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullæ, & ossium, & judicans cogitationes, & intentiones Cordis, & non est Creatura abscondita à conspectu ejus, sed omnia nuda, & aperta sunt coram oculis ejus, cui reddemus rationem.

Sac. in medio Altaris stans.

D. Gloria Christo Domino.

Te splendorem (*a*) gloriæ ipsius Patris, & substantiæ genitoris tui imaginem, qui in Corpore humanitatis nostræ apparuisti, & illuminasti mentem nostram lumine Evangelii tui vitam elargientis, te, inquam, laudamus, & adoramus, & glorificamus omni tempore, Domine omnium Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

S. Sapientem me fac Domine doctrina tua sancta, & da mihi ut absque intermissione, & sine macula, ministrem coram te per custodiam mandatorum tuorum, vitam conferentium, divinorumque, Domine omnium Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

D. Silentium est, silete.

S. Pax nobiscum. (*b*)

D. Et

(*a*) Verba ista: *Te splendorem* usque ad illa: *Spiritus Sanctus*; quæ a Diacono dicuntur; a Sacerdote dici debere, indicat Liturgia le Bruni, hac scripta Rubrica: *Sacerdos in medio Altaris stans, aliquantulum inclinatus dicit: Te splendorem &c.*

(*b*) Hæ verba: *Pax nobiscum; & tecum & cum Spiritu meo*: desunt in Liturgia le Bruni.

Digitized by Google

D. Et tecum, & cum spiritu tuo.

S. Evangelium Sanctum Domini nostri Jesu Christi, prædicatio Joannis.

D. Gloria Christo Domino.

S. Benedic Domine mi.

D. Benedicat te Christus.

S. Dixit Jesus (*a*), amen amen dico vobis, non posse Filium facere quidquam a semetipso, nisi quod viderit Patrem facientem: quæ enim Pater facit, hæc etiam similiter filius facit: Pater enim dillegit Filium suum, & omne quod facit ostendit illi, ut vos miremini: Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat eos, sic etiam Filius quos vult vivificat; non enim Pater judicat quemque, sed omne Judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificat Patrem, qui misit illum. Amen amen dico vobis quod omnis qui audit Verbum meum, & credit in eum, qui me misit, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam. Amen amen dico vobis, venit hora & nunc est illa; quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audient vivent, sicut enim Pater vitam habet in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, & dedit ei potestatem, ut faciat etiam judicium: quod sit Filius hominis, in hoc nolite mirari, quoniam venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt (*b*) *audient vocem Filii Dei*, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, & qui mala egerunt, in resurrectionem judicii.

D. Gloria Christo Domino.

Credimus in unum (*c*) Deum Patrem Omnipotentem, *& cetera sicut in Romano Missali.* *Sacer. incipit & cum simul prosequitur.*

D. Oremus: pax nobiscum: orate in memoriam reducen-

(*a*) In Liturgia le Bruni ita legitur hæc Evangelii Joannis Periocha: *Dixit Jesus: Amen amen dico vobis, non posse Filium facere .... qui mala egerunt in resurrectionem judicii*; ex iis aliisque constat, quam mutilum ipse codicem ediderit, & nihilo accuratiorem Renaudotiano.

(*b*) Antiq. Malab. *Audient vocem ipsius.*

(*c*) Symbolum legebant Malabarenses, uti in Missali Romano habetur; iis exceptis; nempe quod prætermittebant verba illa: *Deum de Deo, lumen & lumine, Deum verum de Deo vero*; & ubi nos legimus: *Consubstantialem Patri*; illi habebant: *Filium essentiæ Patris*; Synodus autem, illa verba restituit, & ea alia suffecit.

Digitized by Google

centes Patres nostros (a) Catholicos, & omnes Presbyteros, & Diaconos, adolescentes, & Virgines, & omnes fideles, qui e vivis excesserunt, veraque fide mortui sunt. omnes etiam Patres nostros, & fratres, filios, & filias, Reges quoque fideles a Christo dilectos, & omnes Prophetas, & Apostolos, Martyres, & (b) *Confessores hujus loci, & Omnium Regionum: Oremus, inquam det nobis ut efficiamur socii eorum*, spe bona, & hæreditate vitæ regni cælestis: Insuper ut hæc oblatio suscipiatur confidenter, & per Dei Verbum, ac Spiritum Sanctum consecretur, ut sit nobis in auxilium, & salutem in vitam æternam in regno Cælesti (c) *per gratiam Dei, & Domini nostri Jesu Christi*.

Interim summissa voce Orat. Sacerdos dicens.

Sit tibi gloria inventor eorum, qui perierunt: Gloria tibi, dispersorum collector, & longinquorum reductor: Gloria tibi, qui aberrantes ad scientiam veritatis convertis: Gloria tibi Domine mi, qui vocasti me miserum pietate tua, & gratia tua accedere me ad te jussisti, & constituisti me tanquam insigne membrum in corpore magno Ecclesiæ Sanctæ, ut offeram tibi Sacrificium hoc unum Sanctum, & acceptabile, quod est memoria passionis, & mortis, sepulturæ, & resurrectionis Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, per quem placuit tibi omnium hominum peccata dimittere.

Odorat Sacerdos eos, qui à dextris Altaris stant, & dicit eis.

Benedicite Domini mei, & orato pro me, Patres mei, & fratres mei, & Magistri mei, ut consecretur oblatio hæc per manus meas.

Illi

(a) Verba illa: *Patres nostros Catholicos*, perspicue denotabant Patriarchas Babylonicos, qui *Catholici* vocabantur, atque tales erant titulo, non re; quorum memoriam Patres cohærenter expunxissent, nisi honesta illa nomenclatura, hoc in loco latitassent. Quod autem illa verba: *Corona donentur* expuncta sint; cautelæ tantum causa, id factum fuisse putamus; cum alias similis Sanctorum memoria, in aliis Liturgiis passim occurrat; nec aliquid de dogmate dilatæ Sanctis gloriæ, continere videntur; sed simpliciter secunda stola, id est corporis gloria, post universalem resurrectionem illis apprecatur; ut præcedentia verba perspicue indicabant, nempe: *Oremus inquam, ut resurrectione quæ est ex mortuis, a Deo corona &c.*

(b) Antiq. Malab. *Oremus inquam, ut Resurrectione quæ est ex mortuis, a Deo corona donentur.*

(c) Antiq. Malab. *Per gratiam Christi.*

Digitized by Google

Illi respondent eum Diacono.

Christus exaudiat orationes tuas, & suscipiat oblationem tuam, & splendidum faciat Sacerdotium tuum, & complaceat tibi in hoc Sacrificio quod tu offers pro te, pro nobis (a), *& pro universa Catholica Ecclesia, & omni-* *Pap. & Diac.*

(a) Antiq. Malab. *Et pro toto Orbe a minimo usque ad maximum.* Illa verba: *A minimo usque ad maximum*, expunxit Synodus, quia cum *Missa* (ait. *Act. V. pag.* 150.) *publica sit oratio pro Ecclesia, in illa non oramus pro Paganis, Hæreticis: sed pro fidelibus tantum Catholicis, qui sunt Ecclesiæ membra*: & propter eamdem rationem, sequentem locum etiam castigavit, addendo: *Regibus & Principibus CATHOLICIS*, quo Ethnicos, expertes publicæ deprecationis efficeret. Hinc irritatur Crozæus, & nasum corrugat le Brun *Tom.* 3. *Litur. pag.* 211. *editionis Italæ Veronen. an.* 1740. (quæ res in *Dissert.* 4. iterum subigetur) adversus Synodum, ac ipsius Præsidem Menessium, inscitiæ, & impietatis reum traducit, qui orare pro Regibus quicumque sint illi, atque cuicumque Religioni dediti, contra ea, quæ conceptis verbis Paulus jusserat, temere prorsus vetabant. At optimus Crozæus omnia confundit; atque eximius Theologus, non discernit orationem publicam, a privata; insignis Historiographus, non distinguit inter ritus disciplinæ Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis; egregius demum Medicaster, qui ut recensetur *in Synodo pag.* 183. *in Not.* inter lepram & tubera, ut cognosceret, constitutus Judex, a tuberibus steterat; hic inquam, membra Ecclesiæ viva, a membris corruptis, atque a corpore avulsis, discernere non valuit. Scimus itaque plenissime, Apostolum Paulum *Epist.* 1. *ad Timot. cap.* 2. scripsisse, debere *Fieri obsecrationes postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro REGIBUS, & omnibus qui in sublimitate sunt*: præscripsisse etiam Petrum *Epist.* 1. *cap.* 2. omnibus nobis: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis*: rursus eumdem Apostolum *eo loci v.* 17. dixisse: *Deum timete, Regem honorificate.* At ex adverso illi scire licuisset, Ecclesiam Romanam in suo perantiquo Canone, nullam facere consuevisse mentionem infidelium, sed pro solis orare *Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Nec ignorare debuisset, eadem cautela in suis officiis, processisse etiam Orientales ipsi; cum enim absoluto officio diceretur canticum appellatum *Basilicon*, sive Regale, orando pro Imperatoribus Christianis; quibus erant subjecti; quando illi sub Regibus Arabiæ & Persidis esse cœperunt, *Basilicon* pro Imperatore Christo, exclusis aliis, cantabant: vide Assem. *Tom.* 3. *p.* 529. Ceterum pia Mater Ecclesia, quæ institutore Deo, neminem vult perire, sed omnes salvos fieri, atque ad veritatis agnitionem venire, semel tantum in anno, nempe feria sexta parasceves, orat publice pro *Schismaticis, Hæreticis, Paganis, Infidelibus, & Judæis*; depresso autem adeo vocis tenore, ut nosci facile possit, id eo intendere, scilicet, nos pro illis secreto tantum orare oportere; immo speciales ut vocant *Collectas*, pro illis ab antiquo instituit, quæ uti primum in Missis saltem Pontificalibus recitabantur, ita nunc aliquando leguntur; & etiam in Belgio, teste Pougeto *Instit. Cathol. tom.* 2. *pag.* 653. *edit. Venetæ anni* 1742., in singulis Ecclesiis orthodoxis, additur quotidie in Missa Collecta pro vocatione Infidelium ad Fidem. Et ex Auctore *Libri* 1. *de vocat. Gentium. cap.* 12. *apud S. Leonem*, laudata Pauli ad Timotheum verba, ita expenduntur: *Quam le-*

Digitized by Google

omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ Fidei Cultoribus per gratiam, & amores tuos in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos adorat inclinatus coram Altari.

Etiam Domine Deus noster, ne respicias multitudinem, neque moleste ferat dominatio tua onus peccatorum nostrorum, sed per ineffabilem gratiam tuam consecra Sacrificium istud, & da in eo virtutem, & pote-

gem supplicationis, omnium Sacerdotum & fidelium devotio, concorditer tenet: supplicat ergo pro Hæreticis &c. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum: Et hoc quidem pientissime atque sedulo præstat Ecclesia; ita tamen ut suo & loco & tempore, & modo, discrete id peragat, ne ejusdem communionis aut religionis atque illi, esse videamur. Quod si enucleatius verba Pauli expendisset Crozæus, comperisset plane, non ibi præceptum pro Ethnicis tanquam pro fratribus orandi præscriptum fuisse, sed unice Paulum Judæos increpasse, qui ter singulis diebus in Synagogis suis, recentes illos Christianos maledicebant, ut videre est apud Calmet *in Epist. 1. Pauli ad Timot. cap. 2. v. 2.* & ut nosceretur, quam distaret ab hoc pravo ritu Synagogæ, ingenium Ecclesiæ Christi, præscripsit ut pro omnibus funderentur preces, & ut nemini diræ imprecarentur.

Sed age: explicetur contextus Pauli in sensu a Crozæo intento; quid inde, nisi quod suum sibi carum caput, incautus, ac imprudens ferit? Quod *cerebrum quoque omnem e capite emungit*? Quod (ex eodem Plauto *in Mostell. Actu 5. Scena 1.*) regeramus ipsi perversam Protestantium mentem?

Nam omnia malefacta vestra,
repperi radicitus.
Non radicitus quidem hercle,
verum etiam eradicitus.

Si enim Paulus jussit orare pro *Omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt*: perspicuum est, debere vos orare pro Papa nostro; *homo* enim est; etenim non semper agenda est fabula vestra lepida, de Joanna Papissa: est etiam in *sublimitate* constitutus. Clamat item Petrus: *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, sive Regi sive Ducibus &c. si ergo jubet, subjectos esse propter Deum, cuilibet e Principibus, Ducibus, cuilibet etiam creaturæ humanæ, prout sors tulerit; quo in loco Pontificem Romanum collatis? Inter Aves, an inter monstra? istis potius eum asseritis; at nec isto pacto, jure *aliquo* subjectionem denegaveritis; monstris enim, quod vos estis, monstrum imperare omnino condecebat, & monstro monstra obedire. Rescire itaque vellemus, an Acatholici in suis orgiis, cœtibus, aut cœnis, orent pro Papa? *Nos* enim *aliquando* in Liturgia, & continuo extra illam, pro acatholicorum salute oramus Deum. Rogamus item, an faciant Pontificis Romani memoriam? Veremur tamen maxime, ne ejus memoriam faciant, eo modo quo Judæi de novis Christianis, ter in die memoriam maledictis colebant. Verum plenissime Crozæus, toto opere suo de India, sin minus *obsecrationes, & orationes*, tamen *postulationes*, juxta vim Græcæ lectionis, perpetuo facit; id est *questus contra persequentes*, quo nomine crebro summa capita Ecclesiæ honestat; cui tamen reponimus ex Plauti *Menæchm. Act. 3 Scen. 2.*

Non tibi
Sanum est adolescens sinciput,
ut intelligo.

Digitized by Google

potestatem, ut possit peccata nostra plurima abolere: Cumque extremo tempore apparueris per humanitatem, quam ex genere nostro assumsisti, inveniamus coram te gratiam, & amores, & digni efficiamur laudare te, cum multitudine Angelorum.

Confitemur, & laudamus, Domine Deus noster, supereffusas gratiarum tuarum opes in nos: cum enim peccatores, ac debiles essemus, ob multitudinem tamen misericordiæ tuæ dignos nos effecisti dispensatione Sacramentorum Sanctorum Corporis, & Sanguinis (a) *Christi Filii tui*: Petimus ergo auxilium tuum, robur animarum nostrarum, ut charitate perfecta, & vera fide, donum tuum, quod apud nos est, administremus, offeramusque tibi carmen, honorem, laudem, & adorationem nunc, & in sæcula sæculorum. *Surgit & dicit.*

D. Amen. *Diac. & Chorus.*

S. Pax vobiscum.

D. Et tecum, & cum Spiritu tuo.

S. Præbeto pacem alterutrum.

Et pro omnibus Patriarchis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & pro his, qui vita functi ex hac Ecclesiæ Congregatione exierunt (b): *Et pro Beatissimo Papa Nostro*, proque mundi pace, & anni corona, ut scilicet benedicatur, & misericordia tua adimpleatur: Pro omni etiam germine, quod dignum reperitur, oblationem hanc, quæ in conspectu tuo est, suscipere; insuper & pro omnibus servis, & pro nobis omnibus, suscipiatur oblatio hæc in sæcula sæculorum.

Petamus, confiteamur, & obsecremus omnes Coraulice Dominum, state pulchri, & attendite his quæ aguntur tremendis mysteriis, quæ consecrantur; Sacerdos accersit ut oret, ut ejus intercessione pax multiplicetur in vobis; occulos vestros deorsum dimittite, & mentem vestram vigilanter curate in Cœlum levare; petite, & obsecramini hoc tempore, nemoque loqui audeat, & qui orat, corde oret, in

(a) Antiq. Malab. *Christi*.

(b) Hæc verba abs dubio suffecit Synodus, ut nomen Patriarchæ Babylonici non audiretur: antea enim tantum legebatur: *Qui vita functi ex hac Congregatione exierunt proque Mundi pace &c.*

Digitized by Google

in silentio, & timore permanenti: Pax nobiscum.

Interim orat. Sac. & dicit.

Domine Deus fortis imbecillitatem meam robora misericordia tua, & gratiæ tuæ auxilio dignum me fac, ut offeram tibi oblationem in emolumentum omnium hominum, & in laudem Trinitatis tuæ super gloriosæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in sæcula.

Discooperit mysteria & benedicit in censum & immittit in thuribulum & dicit Sac.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, & Charitas Dei Patris, Communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus nobis, nunc, & in sæcula sæculorum.

D. Amen.

S. Sursum sint mentes vestræ.

D. Apud te Deum Abraham, Isaac, & Israel, Regem supergloriosum.

S. Oblatio Deo omnium Domino offertur.

D. Dignum & justum est: pax nobiscum.

S. Domine Deus fortis da nobis facierum revelationem coram te, ut confidenter perficiamus ministerium istud vivum, & Sanctum conscientiis mundis, & ab omni labe, malitia, æmulatione, & dolo ac amaritudine alienis, & semina in nobis Domine mi, Caritatem, & animorum unitatem ad invicem, & Ecclesiam Sanctam tuam Catholicam, hic & ubique terrarum, ab omni nocumento, culpa, ac perturbatione custodi per gratiam, & amores tuos in sæcula.

Cantores dicunt. Sac. interim orat.

Benedic Domine mi.

Omnium ore glorificetur, & omnibus linguis laudetur, & ab omnibus creaturis adoretur & exaltetur nomen adorandum, & super gloriosum Trinitatis præclarissimæ, Patris, & filii, Spiritus Sancti, qui bonitate sua sæculum creavit, & omnes in eo habitantes, & filios hominum pietate sua salvavit, & fecit mortalibus misericordiam magnam, Majestatem tuam, Domine mi, adorant, ac venerantur millia millium superiorum. & decies millia decies millium Angelorum Sanctorum, & exercitus spirituum ignis nomen tuum glorificant. Et cum Cherubinis Sanctis, & Seraphinis, magnitudini tuæ adorationem offerunt, & clamant, absque intermissione glorificant, & dicunt alter ad alterum.

Diac. & Cler.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus fortis, pleni

Digitized by Google

pleni sunt Cæli & terra Carminibus ejus : Hosanna in excelsis, Hosanna filio David. Benedictus qui venit, & venturus est, in nomine Domini : Hosanna in excelsis.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus fortis, pleni sunt Cœli, & terra Carminibus ejus, & essentia subsistentiæ ejus, & splendore pulchritudinis super gloriosæ ipsius, ita ut Cœlum & terram, ego impleam, dicit Dominus : Sanctus tu Deus Pater veritatis, à quo omnis Paternitas in Cœlo, & in terra nominatur : Sanctus & Filius tuus unigenitus, Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia facta sunt : Sanctus etiam Spiritus veritatis omnium causa, per quem omnes Sanctificantur : væ mihi, væ mihi : obstupesco enim, quoniam vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum viderunt oculi mei. Quam terribilis est locus iste hodie, in quo facie ad faciem visus est Dominus, & nunc Domine fiat misericordia tua super nos, & purifica saniem nostram, & sanctifica labia nostra, & commisce voces imbecillitatis nostræ Seraphinorum laudibus, & Archangelorum, qui decantant amori tuo gloriam ; homines enim Corporeos Spiritibus sociasti. Cum his igitur Cœlestibus exercitibus, etiam nos servi tui miseri, debiles, & inutiles laudamus te Dominum meum ; quoniam fecisti nobiscum misericordiam maximam, cui rependere gratiam nequimus : indutus es enim humanitate nostra, ut Deitate tua vivificares nos, & exaltasti humilitatem nostram, & erexisti casum nostrum, & dimisisti nobis debita nostra, & justificasti nos peccata nostra delens, illuminasti scientiam nostram, & inimicos nostros Domine Deus noster, reos esse demonstrasti, & ob super effusos amores gratiæ tuæ, exiguitati imbecillæ naturæ nostræ victoriam tribuisti : Pro omnibus igitur auxiliis, & misericordiis nobis exhibitis offeramus tibi carmen, honorem, & laudem, ac adorationem, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Sac. prosequitur.

D. Amen : Orate mentibus vestris : Pax nobiscum.

S. Domine Deus exercituum audi vocem clamoris mei, nunc in Conpectu tuo, & ausculta Domine mi, & audi gemitus meos, atque suspiria, quibus etiam Domi-

Signat his verbis super oblata.

minatione tua ingemisco, suscipeque preces mei peccatoris: hac enim hora, qua Patri tuo Sacrificium offertur, rogo gratiam tuam, miserere omnium creaturarum, dimitte debitoribus, reduc errantes, solare afflictos, perturbatis pacem dato, infirmos sana, spiritu tribulatos audi, & lenimen illis impertire, eleemosynas justitiam operantium perfice, & propter nomen Sanctum tuum propitius esto, & mihi peccatori per gratiam tuam.

Gratiam Domine Deus exercituum: suscipiatur oblatio hæc, pro omni Ecclesia Catholica, & pro Sacerdotibus, & *Principibus* (a) *Catholicis*, pro pauperibus quoque oppressis, lugentibus, ac miseris, & pro fidelibus defunctis, & pro omnibus illis, qui orationem imbecillitatis meæ spectant, & pro peccatis meis. Etiam Domine Deus meus secundum amores tuos, & multitudinem misericordiæ tuæ populum tuum visita, & meam infelicitatem, & quidem non secundum peccata nostra, & iniquitates meas, sed digni efficiamur remissione peccatorum nostrorum, per Sanctum Corpus, quod fide suscipiemus, per gratiam, quæ est à te. Amen.

Sac. profunde inclinatus orat. Tu Domine mi, propter plurimos amores tuos, suscipe commemorationem optimam, & acceptabilem Patrum, qui justi, & recti fuerunt, & tibi placuerunt, recordationis Corporis, & Sanguinis (b) *Christi filii tui*, quod super Altare purum ac Sanctum offeremus tibi, sicut edocuisti nos, & fac nobiscum, pacem, & tranquillitatem tuam omnibus diebus sæculi; Etiam Domine Deus noster, fac nobiscum pacem, ut cognoscant omnes habitatores terræ, quia tu es Deus, Pater solus veritatis, tu misisti dilectissimum Filium tuum, & ipse Dominus Deus noster venit, & docuit nos omnem sanctitatem, ac munditiem Prophetarum, & Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, Episcoporum, & Doctorum, Presbyterorum, & Diaconorum, & Omnium filiorum Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, qui signo vitæ, Baptismo nimirum Sancto signati

(a) Antiq. Malab. *Regibus*, & *Principibus*, tantum.

(b) Antiq. Malab. *Christi tui*.

Digitized by Google

ti sunt. Nos igitur Domine mi, servi tui debiles, & inutiles, qui in nomine tuo congregati, hoc tempore stamus coram te, & traditione Sancta exemplum didicimus à te, cum exultatione, & gaudio glorificamus, exaltamus, & venerantes memoriam, sacrificamus mysterium hoc magnum, ac formidabile, Sanctum, & Divinum, passionis & mortis, sepulturæ, & Resurrectionis Domini nostri Salvatoris Jesu Christi. Veniat ergo, Domine mi, Spiritus tuus Sanctus, & requiescat super oblationem hanc servorum tuorum, & sanctificet eam, ut sit nobis, Domine mi, in debitorum solutionem, & peccatorum remissionem, & in maximam spem resurrectionis ex mortuis, & vitam novam in Regno Cœlesti cum omnibus, qui placuerunt; Insuper & pro omni admirabili dispensatione tua, quæ erga nos facta est, laudemus, & glorificemus te, absque cessatione in Ecclesia tua, sanguine Filii tui redemta, apertoque ore, ac facie revelata, offeremus tibi carmen, & honorem, laudem, & adorationem, nomini tuo vivo, sancto, & vivificanti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. *Elevat vocem.*

D. Amen.

S. Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem amorum tuorum dele peccata mea: Multiplicare lavare me ab iniquitate mea, & à peccatis meis munda me, quoniam delicta mea ego scio, & peccata mea coram me sunt in omni tempore: tibi soli peccavi, & mala coram te feci, ut justificeris in verbo tuo, & vincas in judiciis tuis. Quoniam autem veritatem voluisti, & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi, asperge me Hisopo, & munda me; & super nivem dealbabor, reple me suavitate, ac lætitia tua; & delectabuntur ossa mea humiliata: averte faciem tuam à peccatis meis, & omnia illa delicta mea dele; cor mundum crea in me Deus, & Spiritum præparatum innova intra me: ne proiicias me à conspectu tuo, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me, sed redde mihi suavitatem tuam, & salutem tuam, & Spiritus tuus gloriosus stabiliat me, ut doceam iniquos viam tuam, & peccatores ad te convertantur. Ad te levavi oculos meos habitator cœli, *Sac. prænotat & dicit.*

sicut oculi servorum ad Dominos suos, & sicut oculi Ancillæ ad Dominam suam.

Sint oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec tu miserearis nostri, miserere nobis, miserere nobis, Domine, extende manum tuam, & salvet me dextera tua, Domine, permaneant super me, Domine, amores tui in sæculum, & opera manum tuarum ne derelinquas.

Surgens dicit. Christus Pax Superiorum, & quies magna inferorum, stabilire Domine, pace & quiete tua, quatuor orbis regiones, præcipue vero Ecclesiam tuam Sanctam Catholicam, & destrue bella, ac prælia à finibus terræ, & disperde gentes, quæ bella volunt, & pacifica benignitate Divinitatis tuæ, Sacerdotium & regnum ad invicem, ut sit nobis secura habitatio cum omni sobrietate, ac pietate; relaxa quoque debita, & peccata vita functorum, per misericordiam & amores tuos in sæcula.

Sac. bene dicit incensum, & mittens in thuribulum dicit. Offeramus carmen Trinitati tuæ super gloriosæ, omni tempore, & in sæcula, suavem fac Domine Deus noster odorem animarum nostrarum, suavi odore benignitatis Charitatis tuæ, & munda nos per eam, ab inquinamentis peccati.

Et incensat ter oblata, dicens etiam ter. Domine Deus noster præbeat nobis accessum clementiæ misericordiæ tuæ ad Sacramenta hæc super gloriosa, sancta vivificantia; & divina, quoniam nos non sumus digni.

Osculatur & ter Altare dicens. In veritate non sumus digni.

Summens ambabus manibus hostiam dicit. Gloria nomini tuo Sancto, adoratioque Divinitati tuæ, omni tempore Domine Jesu Christe, panis vivus, vitam præstans, qui descendisti de Cœlo, & universum mundum vivificas, qui vero hunc panem comedunt non morientur, & qui vera fide illum suscipiunt, liberantur, & sanctificantur per illum, mundanturque, & vivunt in æternum. Dominus noster Jesus Christus in illa nocte, qua tradebatur, accepit panem hunc Sanctum in Sanctas, ac puras manus suas, & elevavit oculos suos in Cœlum, & gratias egit Deo Patri, omnium rerum creatori, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & dixit, accipite & comedite ex hoc pane omnes vos.

HOC

Digitized by Google

HOC EST ENIM CORPUS MEUM

Prolatis verbis Consecrationis, statim Hostiam consecratam genuflexo adorat, surgens (a) ostendit Populo, reponit super Altare; iterum adorat, tunc elevans aliquantulum Calicem, dicit.

Similiter post quam cœnavit, accepit hunc Calicem manibus suis puris, & gratias egit, & benedixit, & dedit Discipulis suis dicens: accipite & bibite omnes vos ex hoc Calice, quotiescumque enim comederitis panem hunc, & biberitis hunc Calicem, mei memoriam recoletis.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, (b) NOVI, ET ÆTERNI TESTAMENTI MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS, ET PROMULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. *Refert Verba Consecrationis.*

Pro-

(a) Hanc elevationem Hostiæ & sequentem Calicis, non faciebant Malabarenses. Traducuntur etiam PP. Diamperitani, quod elevationem Hostiæ, & Calicis, hoc loco faciendam præscripserint, contra antiquum Ecclesiarum usum, præcipue Orientalis, cum sub finem tantum Canonis, Hostia cum Calice elevaretur. In eo tamen quid mali est? Ingeminandum igitur nobis erit, quod pluries diximus, Menessium intendisse ex præscripto summi Pontificis, quantum fas esset, Ecclesiam illam, ut antiquos omnes errores fuisset exuta, latinis ritibus exornaret. Itaque in eo omnes conveniunt Liturgiæ, corpus Christi elevandum esse ante communionem. In Liturgia Coptica, elevat Sacerdos Hostiam ad illa verba: *Sancta Sanctis*: ubi notat Vanslebius *ex Ritual. Patriarchæ Amba-Gabrielis, Histor. Alexand. p.127.* eam elevari a Sacerdote, ambabus manibus, quantum brachiis possit: & ex alia Liturgia Arabica habet, multo tempore ipsum, Hostiam elevatam sustinere; ac interea temporis, omnes manere prostratos, Diaconos vero Cruces & Candelabra, elevata genere. Immo & in Liturgia Armenorum le Brun, *tom 3. pag.91.* statim post verba Christi, præscribitur bina elevatio Hostiæ, iis verbis, *Oblata Sacerdos propellat*; & post pauca; *Sacerdos elevat iterum Sacramentum*. Quod autem prior ista elevatio, quæ continuo fit post verba consecrationis, recentioris sit usus, ut aliqui putant, non est ad rem. Porro Joan. Stephanus Durantus *lib.2. cap.40. De ritib. Eccl. Cath.* Eucharistiam post consecrationem in altum tollere, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, consuetum fuisse contendit. Illud constat, hunc ritum elevationis, statim post consecrationem, ab antiquissimo Missali Mozarabico præscribi; & licet aliqui asserant, hanc fuisse additionem factam eo loci, ab eximio Cardinale Ximenio, illis non credimus, nisi id probent, quibus onus probandi incumbit. Plura habet Benedictus Papa XIV. fel. reg. *De Sacrif. Miss. Par.4. sect.2. num.305.*, & pro more suo, accuratissima; adisis etiam, opus Dominici Georgii, *Romæ editum hoc anno 1744. Tom.3. pag.71. & 106.*

(b) Antiq. Malab. *Novi testamenti, qui pro vobis.* Emendationes, quas Synodus in his duobus locis verborum Christi instituit, eo collimant, ut iisdem verbis uterentur illi Presbyteri Indi, quibus Ecclesia Occidentalis utebatur; Nestoriani autem illi, es-

Digitized by Google

Prolatis verbis Consecrationis, deponit Calicem super Corporale; genu flexo adorat, surgit & ostendit Populo, & ponens super Altare dicit.

(a) *Hoc erit nobis pignus usque ad consummationem seculi*, gloria tibi Domine mi, gloria tibi Domine mi, gloria tibi Domine mi, propter ineffabile donum tuum.

Dum Sacerdos elevat Corpus & Sanguinem, Diaconus cum Choro alternatim decantat.

D. Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi, Ego sum panis, qui ex superis descendi, dixit Salvator noster in mysterio discipulis suis; omnis qui in charitate accedit, & suscipit me, vivet in me in æternum, & hæreditate acquirit regnum.

Chorus. Ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus, Cherubim, & Seraphim, & Archangeli cum timore, & tremore coram Altare stant, & Sacerdotem intuentur, quando frangit, & dividit Corpus Christi in delictorum propitiationem.

D. Aperite mihi portas justitiæ benignus, cujus ostium apertum est pœnitentibus, & peccatores ad se, ut accedant, vocat: Aperi nobis, Domine mi, januam amorum tuorum, ut ingrediamur, dieque, nocteque tibi laudem decantemus.

Chorus. Pone Domine custodiam ori meo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

(b) *Sacerdos quando Sanctum Altare ingreditur, manus suas pure protendit in Cœlum, & consecrat Corpus, & Sanguinem Christi.*

D. Mi-

sentialia consecrationis verba retinebant; & quamquam in aliquibus eorum Liturgiis desiderentur Christi expressa verba, id factum esse autumat Assem. *tom.4. ubi & Eucharist.* eo quod memoria a cunctis Sacerdotibus tenerentur, vel certè ex aliis suppleri debebant.

(a) Hæc verba dicebantur in ipsa consecratione, quasi essent a Christo cum aliis prolata, & post ea: *In remissionem peccatorum*, prosequebatur Sacerdos: *Hoc erit vobis pignus, in secula seculorum*.

(b) Antiq. Malab. *Sacerdos quando sanctum Altare ingreditur, manus suas, pure protendit in Cœlum, & invitat Spiritum, qui de superis descendit, & consecrat corpus & sanguinem Christi*. Invocatio Spiritus Sancti, in omnibus Liturgiis reperitur, aut ante aut post verba Christi; in aliquibus etiam, ante & post, legitur. Synodus nostra aliquantulum immutavit verba invocationis, ne putarent Christiani illi, Sacerdotem non habere vim consecrandi, sola Christi verba proferendo, atque adeo necessum esse, denuo invocare Spiritum Sanctum, ut quam crede-

Digitized by Google

D. Misericors propitius esto nobis, & miserere nostri, & non despicias nos in tempore afflictionis, quoniam nocte ac die in te speramus, & sperantes in te non confundentur.

Cho-

bant fieri transmutatio elementorum. Et quidem erga homines terroribus fœdatos, cautela nulla redundabat. Hic fatemur, agendum esset adversus Renaudotium, le Brunum, Tourœum, aliosque paucos eruditis adscitos; qui ex orientalium præcipue rerum eruditione, acriter contendunt, in Concilio Florentino definitum tanquam de fide non fuisse, solis Christi verbis exclusa invocatione, transmutari elementa; atque idcirco contendunt, consecrationem suspensam manere, quousque accedant invocationis verba. Veruntamen cum hic nec sit locus, nec otium, & aliunde de hac re, plenissimæ duæ legantur Dissertationes, a Clarissimis Viris, P. Petro Benedicto Maronita Soc. Jesu *ad calcem tom. 2. Syro-Latini S. Ephrem*; altera jam pridem *anno scilicet* 1731. Mediolani edita, a P. Josepho Augustino Orsi, ad præsens in Urbe Indicis a secretis Ord. Prædicat. eo remittimus, qui plura eruditione solida firmata, velint. Nos interim nostram Symbolam ipsis conferendo, tria brevissime reponimus: primum ex Liturgia Armena, qua maxime innititur le Brun; eo quod ibi non nisi post invocationem ferebitur: *Et demum perficitur corpus Christi*, ut ipse habet *tom. 3. pag. 122.*) ex ipsa inquam, contrarium conficitur, adeo liquido, ut nec ipse le Brunus inficias iverit. Etenim *pag. 91.* post verba Christi *Hic est* (vel *hoc est*) *sanguis &c.* habet rubrica continuo, quod *Sacerdos, accipiens* (oblata) *ambabus manibus, ante propellat*; quid sit autem illud *propellere* dissimulavit le Brunus; at non ita rubrica post pauca, quæ præcipit: *Sacerdos elevat iterum ambabus manibus, sanctum Sacramentum*; ea tibi illud propellere fuit *levare* prius; & quod majus est, vocantur oblata *Sanctum Sacramentum*; iis positis cum *pag. 127.* dicat ipse, id certo constare, Ecclesiam numquam præscripsisse Hostiæ elevationem aut adorationem, nisi post verba Institutionis, & Invocationis; aut quod idem est, non nisi corpore Christi ibi præsente; perspicue fit, solis Christi verbis, nec expectata elevatione, elementa panis & vini transmutari; obtendet ille Liturgiam Armenam esse corruptam? Nos contra putamus, illius potius animum esse corruptum adversus eos, quos Scholasticos appellat; id etiam confidenter asserimus, corruptam eo loci Armenicam Liturgiam, novo illo additamento, & ridiculo commento, nullibi antea viso; assignetur alias, ulla Liturgia antiqua, ubi id legatur. Alterum est, rem istam non inter adiaphora numerari posse, post Concilium Florentinum; cum Eugenius IV. & PP. Latini, prædictam quæstionem ad fidem pertinere existimaverint, & quod caput est, ipsi PP. Græci, Ecclesias Orientales, idem quod Latina tenuisse, professi sint, nisi asseratur cum Renaudotio ap. P. Benedictum *in Dissert. pag. 28.* Græcos Florentinos suæ Liturgiæ sensum minime fuisse assecutos: quod autem conceptis verbis res non legatur definita, illud est in causa, teste Card. S. Sabinæ, quod Græci declarationem tantum vivæ vocis voluerunt, non vero deffinitionem scripto mandatam; *Dixerunt, quod hoc non erat necessarium; immo si poneretur, Ecclesia eorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuissent aliud*; vide plura in laudata Dissert. P. Orsi, *pag. 169.* At prius rem declaratam fuisse ab Ecclesia Romana, ideoque novam deffinitionem non condidisse, aperte consequi videtur, ex eo quod Card. Bona, atque major auctorum pars tenet; nempe elevationem Hostiæ statim post verba Christi, tem-

Digitized by Google

Chorus. Dicat omnis populus Amen, & Amen: Ignem in ignito carbone, Isaias osculatus est, & labia ejus exusta non sunt, sed iniquitas ejus remissa est; Ignem in ipso pane suscipiunt mortales, & ipsorum Corpora custodit, & delicta eorum exurit.

D. A sæ-

pore damnatæ hæresis Berengarii, labente nimirum seculo XI. fieri ordinatum fuisse; jam nemo ullus erit, qui dubitet, hanc Hostiæ elevationem, quo a fideli populo adoraretur, atque in illis circunstantiis temporis, quo Berengarius obstinate asserebat, non verum Christi corpus, sed hujus tantum figuram, in Hostia existere; non temere, sed consultissimæ præscriptam fuisse, & quasi ritum omnino oppositum hæresi Berengarianæ, ut in similibus semper consuevit facere S. Mater Ecclesia: dicebat autem Berengarius, ut legitur ap. Harduin. *in Collect. tom. 6. col.* 1585. consecrationem fieri; *Per sacram orationem & verba Christi*. Si igitur Ecclesiæ animus non fuit, hoc ritu declarare, adversus novatorem Berengarium, suam mentem esse, semperque fuisse, in Hostia, statim & continuo post prolationem verborum Christi, ejus corpus præsentem adesse, nec alia ad id desiderari verba invocationis, nec preces aliquæ; irritum atque inutile omnino fuisset, illum ritum præscribere; immo periculosum foret vel id permittere; adorationem nempe Hostiæ præstare, si in ancipiti adhuc versaretur apud Ecclesiam, an verbis solis Christi, an illis & subsequentibus precibus, elementa in Corpus Christi transmutarentur.

Tertium tandem est, nec parvi momenti; quod si semel liceat, pauculis verbis afficubi observatis, sensu detorto a communi Doctorum, doctiorumque via, novum sensum condere, actum est de sacra Theologia, & dogmatibus; præterea jam quidquid libet, unicuique pro suo ingenio comminisci licebit. Quod ut perspicuum fiat, uti sumserunt Renaudotius & le Brunus, illa Liturgiarum Orientalium verba: Exempli causa, e Liturgia Armenica, longe post Christi verba, illa ex invocatione: *Emitte* (a) *super hæc proposita dona, consempiternum & coæternalem sanctum Spiritum tuum ... ut panem hunc & vinum hoc benedictum, corpus & sanguinem, re ipsa faciat D. N. Salvatoris J. C. mutando illa, per Spiritum S. tuum*; ut ex iis probarent, per hanc invocationem fieri consecrationem; ita nos æquo jure excerpere possemus illa verba Liturgiæ Romanæ: *Jube hæc* (dona) *perferri per manus S. Angeli tui, in sublime altare tuum*; & exinde de ingeniolo nobis plaudentes, audacter conficere; quod nisi Sacerdos ipse, aliique fideles; cito citius ante præfata verba, communicent, non recipiunt corpus Christi verum, sed speciem & figuram tantum; eo quia ut verba illa sonant, statim Angelus arripit Corpus Christi, & ex altari nostro in sublime altare Dei, ut moris est Angelorum, celerrime perfert. Quod quidem verum ne esset an non, parum curaremus, dum esset novum, nec definitum esset in Concilio Florentino contrarium. Atque hæc eadem regessit Græcorum quidam in eodem Concilio Latinis: *Sicut vos dicitis, jube hæc perferri, ita nos dicimus, emitte Spiritum, qui faciat hunc panem corpus Christi*: quasi diceret; si verba invocationis nostræ, accipitis ut sonant, eodem modo verba illa vestri Canonis accipiemus, sensu prorsus absurdo; si autem talis non est sensus verborum vestræ Missæ; neque absurdus reputari debet sensus verborum nostræ Invocationis. Ut ergo ejusmodi exilitates propellantur, nec tenui verborum filo tanti Theologi hæreant: communi tantum Doctorum sententiæ atque receptissimæ, inhærere illi debuissent; nec præsen-

Digitized by Google

D. A sæculo usque in sæculum: Altare est ignis in igne, ignis involuit illud: Caveant Sacerdotes à terrifico, & formidabili igne, ne cadant in eum, & comburantur in sæcula.

Accedimus Domine mi fide veritatis nominis tui ad hæc Sancta Mysteria, ac pietate tua frangimus, & misericordiam tua signamus, Corpus, & Sanguinem Salvatoris nostri Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Sacerdos trahens hostiam per medium dicit.

Sacerdos partem Hostiæ, quam manu sinistra tenet, imponit patenæ, aliam vero Sanguine intingit, usque ad medium, dicens.

Signetur Sanguis pretiosus, Corpore Sancto, Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Et Particula (a) Sanguine inducta signat alteram partem, & superponit patenæ dicens.

Signetur Corpus Sanctum Sanguine propitiationis Domini nostri Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

S f *Et*

tia Christi fraudatos, nos prædicare, usque ad invocationem; quæ in aliquibus Liturgiis nimium post consecrationis verba, expectatur; aut saltem solamen, pro ingenio suo adinvenirent aliquod, ut populo tandiu expectanti, & quasi apud se dicenti: *Veni Domine & noli tardare*, reponeret nomine Christi Sacerdos; *Ecce venio cito*. Hoc unum pro certo haberi posse videtur, quod ejusmodi auctores, sicuti nomen Acatholici fugiunt, non enim asserunt verba Christi; historice tantum recitari; ita nomen Novatoris avide expetant; ut autem verba Liturgica ab illis trahantur, & torqueantur, etiam majori conatu; quod intendunt sistema circa consecrationem, solide statui ex illis non poterit; si vero in re Theologica, non *veritatem*, sed meram *verisimilitudinem* aucupantur: tunc fausta demum nostra tempora acclamanda erunt, quæ pares prioribus Mundi Theologis nimirum Poetis novissimos istos nobis pepererunt: cum non secus ac illi Theologiam poeticis modulis, atque ingenio evolvant; *verisimile* tantum in volutandis SS. PP. libris, atque tabulis exquirentes, licet a vero longe distet inventum, ut festive Poetam depingit Plautus *in Pseudolo Act. 1. Scena. 4.*

Poeta tabulas cum cepit sibi,
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen;
Facit illud verisimile, quod mendacium est.

(a) In antiqua Liturgia hoc loco præscriptum erat, quod Sacerdos teneus dextera manu particulam sanguine imbutam, dextri pollicis ungue, aliam hostiæ partem finderet; præcepit autem Synodus hujusmodi ritum aboleri *Act. V. Decret. III. p. 154.* Hujus abrogati ritus rationem aperuit Synodus, in Decreto mox laudato; nempe ne id facere necessarium esset, crederent Nestoriani illi (quod vehementer suspicabatur Synodus) ut corpus Christi cum ipsius sanguine misceretur; atque adeo ad hunc finem, fissuram illam fieri

Et conjungens ambas particulas ad invicem dicit.

Prædestinata sunt consecrata, perfecta absoluta, & conjuncta ad invicem mysteria hæc supergloriosa, sancta & vivificantia, & divina, in nomine venerabili, & præclaro Trinitatis super gloriosæ, ut sint nobis Domine mi, in propitiationem delictorum, & in spem magnam resurrectionis ex mortuis, & innovationem vitæ in Regno Cœlesti.

S. Gloria tibi Domine mi, quoniam creasti me per gratiam tuam; Gloria tibi Domine mi, Gloria tibi Domine mi, quoniam vocasti me per misericordiam tuam. Gloria tibi Domine mi, quoniam posuisti me, mediatorem donorum tuorum, & pro omni dispensatione, quæ erga imbecillitatem meam facta est: ascendat ad te carmen, & honor, & laus, & adoratio nunc, & in sæcula sæculorum.

Elevans vocem in tono Evangelii dicit. Signat se ipsum.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei Patris, & Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

D. Amen.

D. Omnes nos timore pariter, & honore accedamus ad mysterium Corporis, & Sanguinis pretiosi Salvatoris nostri, cordeque mundo, & fide vera in memoriam reducamus Passionem, & Resurrectionem ipsius, eamque perspicaciter intelligamus: propter nos enim (a) *Unigenitus Dei mortale Corpus ex filiis hominum, & Spiritualem, rationalem, immortalemque animam suscepit*, & in præceptis suis, quæ vitam conferunt, & lege sua Sancta, ab errore ad veritatis cognitionem nos

debere, ut corpus & sanguinis, inter se penetrarentur aut miscerentur; ceterum intinctionem illam recte fieri, immo præscriptam legi in omnibus Liturgiis tam Orientalibus, quam Romanis, nemo ullus qui non truncus, aut stipes sit, vel qui Sacro nunquam attente adfuerit, nescire posset; ut in *Not. ad Dec.* 3. *Act.* 5. dicebamus. Resorbeat ergo sibi le Brunus, quæ evomit verba adversus nostram Synodum *Tom.* 3. *Liturg. p.* 213. ubi exscripto Decreto illo, continuo exclamat: *En terrificam censuram in usum aut consuetudinem, quæ a Nestorianismo non profluxit, quamque nos etiam tenemur*: Synodus enim, non usum, sed abusum illius ritus damnavit; ut ineptæ opinationi, de divisione corporis a sanguine Christi, quam occasione illius fissuræ, ante effusionem sanguinis faciendæ, fovere illi potuissent, aditum omnem caute præcluderet.

(a) Antiq. Melab. *Unigenitus Dei mortale carpus, & spiritualem rationem, immortalemque animam, ex filiis hominum suscepit.*

Digitized by Google

nos reduxit, & post omnem dispensationem, quam pro nobis operatus est, naturæ nostræ primitias in Cruce, in Sacrificium obtulit, & à mortuis resurrexit, in Cælumque ascendit, & tradidit nobis Sacramenta sua Sancta, quibus recordaremur omnis gratiæ, quam erga nos ostendit. Nos igitur charitate profusa, & humili voluntate, donum vitæ æternæ suscipiamus, & & oratione pura, & vehementi dolore peccatorum nostrorum, participes efficiamur mysteriorum Sanctorum Ecclesiæ, & spe pœnitentiæ ab iniquitatibus nostris convertamur, & pro peccatis nostris doleamus: Insuper amores, & misericordiam postulemus, rogemusque Deum omnium Dominum, & conservis nostris debita dimittamus.

Chor. Propitiare peccatis, & delictis servorum tuorum.

D. Mundemus conscientias nostras à divisione, & contentionibus.

Chor. Domine propitiare peccatis, & delictis Servorum tuorum.

D. Sint animæ nostræ perpolitæ, & ab omni odio, & inimicitia alienæ.

Chor. Domine propitiare delictis, & peccatis servorum tuorum.

D. Suscipiamus Sanctitatem, & Sancto Spiritu conservemur.

Chor. Domine propitiare peccatis, & delictis servorum tuorum.

D. Mentium nostrarum unanimitate, & pace ad invicem, ipsorum mysteriorum societatem suscipiamus.

Chor. Domine propitiare peccatis, & delictis servorum tuorum.

D. Et sit nobis Domine in Resurrectionem corporum nostrorum, & animarum nostrarum salutem, & vitam sæculi sæculorum Amen.

S. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, & super exaltatum, & super gloriosum est nomen tuum in sæcula, quoniam non secundum peccata nostra fecisti nobis, neque secundum iniquitatem nostram retribuisti nobis, sed secundum multitudinem amorum tuorum liberasti nos à potestate tenebrarum, & vocasti nos ad regnum filii tui dilectissimi Domini nostri Jesu *Interim dicit Sac.*

Christi, per quem denudasti, & in nihilum reduxisti potestatem tenebrarum, & vitam incorruptibilem nobis es elargitus, & nunc etiam Domine qui dignum me fecisti, ita ut constitueres me, coram altari tuo mundo, & Sancto ad offerendum tibi Sacrificium hoc vivum, & Sanctum, dignos nos etiam effice pietate tua, ut omni munditia, & Sanctitate, donum hoc suscipiamus, & non sit nobis in Judicium, & vindictam, sed in amores, pietatem, & peccatorum remissionem, & ex mortuis resurrectionem, & in vitam æternam, ita ut simus omnes plenissimi testes gloriæ tuæ, & templa munda honoris tui, & Sacræ Basilicæ inhabitaculum tuum, ut postquam adhæserimus Corpori, & Sanguini Christi tui cum omnibus Sanctis tuis, luce fulgeamus in revelatione ejus super gloriosa, & præcelsa: tibi enim, eique & Spiritui Sancto gloria, & honor, & laus, & adoratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Dele Domine mi peccata, & delicta servorum tuorum, & sanctifica labia nostra, canticis Spiritus Sancti, ut divinitati tuæ præcelsæ cum omnibus Sanctis tuis, fructus gloriæ, & laudis conferamus: effice etiam nos dignos, Domine Deus noster, ut semper absque macula, stemus in conspectu tuo, corde mundo & facie revelata, & confidentia illa, quæ per amores tuos nobis collata est, omnes simul invocemus te, & hoc modo dicamus.

Pater noster qui es in Cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo Amen.

S. Etiam Domine Deus virtutum, Deus noster optime, & Pater noster viscerum, plene obsecramus, postulamus, rogamusque clementiam bonitatis tuæ; ne Domine mi inducas nos in tentationem, sed salva, & libera nos à malo, & ab exercitu ipsius, (*a*) quoniam tuum est regnum, & virtus, gloria, & potestas, impe-

(*a*) De hac *glorificationis formula* post orationem Dominicam. Vide supra *Not.* 1. *hujus Liturg.*

Digitized by Google

perium, & fortitudo in Cœlo, & in terra nunc, & in sæcula sæculorum.

D. Amen.

S. Pax vobiscum.

D. Et tecum, & cum Spiritu tuo.

S. Sanctum Sanctis decet, Domine mi in consummationem.

D. Unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus, gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

Accedens Diaconus ad Altare, Sacerdos aprehendit (a) manum ejus dexteram, & infert in patenam dicens. *Diac. adorat Sacramentum dicens.*

D. Gloria Domini nostri.

S. Sit tecum, & nobiscum in regno Cœlesti, gloria Deo vivo.

D. Glorificate Deum vivum.

Chor. Gloria ipsi, & Ecclesiæ tuæ, amores, & misericordia ejus. Amen.

Domine Deus meus non sum dignus, nec vere est justum, ut ego sumam Corpus tuum, & Sanguinem propitiationis, nec ut tangam ea, sed verbum tuum sanctificet animam meam, & sanet corpus meum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Dum hæc Sacerdos dicit, decantat Diaconus.

D. Suscipiatur hæc oblatio sursum, in excelsis cum ea, quam Abel, Noe, & Abraham obtulerunt in regnum Cœleste.

Donum gratiæ ipsius Salvatoris nostri Iesu Christi perficiatur per amorem, in omnibus nobis. *Post sumtionem Corporis dicit Sac.*

D. In

(a) Ex hac rubrica, cujus sensus alioquin clarissime apparet, Cassanarii Malabarenses ducebantur, ut manum cujuslibet secularis hominis Liturgiæ ministrantis, in Patenam inferrent; ut re ipsa præstabant. Synodus autem, ut obviam iret illi consuetudini, eam tanquam abusum proscripsit, afferendo; solis Subdiaconis aliisque in majoribus ordinibus constitutis, licere sacra vasa in altari contrectare; tum ex præscripto antiquorum canonum, tum etiam quia id perspicue innuit rubrica, illis verbis; *Sacerdos apprehendit manum ejus* (Diaconi) *dexteram, & infert in patenam*; vide in Synodo *Dec.5. pag.151.* Quod autem in hac re adeo clara, erraverint Malabarenses, atque ex illa rubrica, in eum prolapsi fuerint abusum, justam atque plenam pro Synodo, contra clarissimos illius obloquutores, Apologiam adornat atque contexit; ne nimium cautelæ, in tot aliis rebus, quas mutavit, præscripsit, aut abrogavit, ipsam redundanter adhibuisse, ambabus inflatis buccis, deinceps deprædicent.

Digitized by Google

D. In sæcula sæculorum Amen.

Sumens sanguinem dicit post communionem.

S. Sanguis propitiationis Domini nostri Jesu Christi nutriat animam meam, & corpus meum, in hoc sæculo, & infuturo.

D. *Fratres (a) mei suscipite Corpus ipsius filii Dei* dicit Ecclesia, & bibite ipsius Calicem.

D. Conforta Domine noster manus, quæ extensæ sunt, ut sanctum acciperent, dignas eas effice ut diebus omnibus Divinitati tuæ, fructus conferant, & omnia, quæ decantarunt tibi laudem intra Sanctuarium digna per te efficiantur, ut semper laudent te: Insuper & aures, quæ vocem carminum tuorum audierunt, ne quæso audiant, Domine mi vocem clamoris, & jurgii: Oculi etiam, qui viderunt pietatem tuam magnam, videant quoque tuam benedictam spem: linguæ, quæ Sanctus clamarunt, composite veritatem loquantur; Pedes, qui in ipsa Ecclesia ambularunt in lucis regione fac eos ambulare: Corpora, quæ corpus tuum vivum degustarunt, vitæ novitatæ reparentur: Super Congregationem quoque nostram, quæ Divinitatem tuam adorat, auxilia tua multiplicentur, & nobiscum permaneat, charitas tua magna, & per te ad persolvendam gloriam abundemus, & aperi ostium precibus omnium nostrorum. Nos omnes igitur, qui per donum gratiæ Spiritus Sancti accessimus, & digni effecti sumus, & socii in sumtione ministeriorum horum præclarissimorum, Sanctorum, divinorum, vitamque conferentium, laudemus omnes simul, & exultemus Deo largitori ipsorum.

S. Ipsi gloria propter ineffabile ejus donum.

Sac. etiam:

Decens, justum, & dignum est, Domine, ut omnibus temporibus, & diebus, & horis laudemus, adoremus, & glorificemus terrificum nomen majestatis tuæ, quoniam per gratiam, & amores tuos, Domine mi, naturam imbecillem filiorum hominum, mortalium, dignam effecisti, ut cum spiritibus nomen tuum sanctificent, & Mysteriorum doni tui efficiamur participes, & dulcedine sermonum tuorum vitam conferentium, & divinorum delectentur, & voces laudis Divinitatis tuæ

(a) Antiq. Malab. *Fratres mei suscipite corpus ipsius Filii.*

Digitized by Google

tuæ excelsæ offerant semper, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Alia gratiarum actio.

Christus Deus noster, & Dominus noster, & Rex noster, & Salvator noster, & suscitator noster, qui per gratiam suam dignos nos fecit, ut sumeremus Corpus suum, & Sanguinem pretiosum, qui sanctificat omnes, ipse det nobis placere illi verbis, operibus, & cogitationibus nostris, ut sit nobis hoc Sacramentum, quod sumsimus, & sumemus pignus remissionis debitorum nostrorum, & peccatorum, speique magnæ resurrectionis ex mortuis, & innovationis vitæ in Regno Cœlesti, cum omnibus, qui ei placuerunt per gratiam, & amores suos in sæcula Amen.

Pater noster, qui es in Cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen. *Et dicunt omnes.*

Sacerdos versus Populum benedicit, dicens.

Ille, qui benedicit nos omni benedictione in Cœlis (a) *per Filium suum*, & invitavit nos ad Regnum, & suavitatem æternam.

Et Apostolicæ Congregationi, fecerat promissionem, & etiam in veritate signavit verbum, ut non sit in illo dubitatio.

Dicetis vere, vere dico, & in veritate verba mea signo: omnis, qui manducat Corpus meum vivificans, & vivit Sanguinem meum Calicis salutaris.

Dimitto omnia illius debita, & omnia illius peccata deleo, & ad regnum voco illum, & ab afflictionibus liberet vos, & ab scandalis vos salvet.

Benedicat semina agrorum vestrorum, benedicat fructus arborum vestrarum, & multiplicet, & benedicat substantiam vestram, & per charitatem suam longam vitam tribuat vobis.

Deus Dominus hominum, benedicat hanc Congregationem, & det virtutem imbecillo, quia ecce à principio incipit.

Per

(a) Antiq. Malab. *Per Filium humanitatis.*

Per signum vivum Christi (*a*) *benedicatur Cathedra gloriosa Romana*, ut oriatur, & splendeat in illa Justitia.

Pater splendore plenus, Pastor & (*b*) *Dominus gregis Christi Papa N. plenus sobrietate, una cum bono Doctore Episcopo nostro N.* custodiatur à malo.

Benedic Presbyteros Sanctos, & Clericos, & Ministros: liberentur à periculis, & à dœmoniis, & hominibus pessimis.

Antiquis vero dierum, & senibus senectute præclaris, faciat Dominus illis optimum finem, & ad regnum vocet eos.

Statura quoque pulchros adolescentes, possidentes fortitudinem, faciat illos crescere, in splendore & Castitate eos adimpleat.

Natura etiam fragilis mulierum, virgines etiam, & nuptæ custodiantur à casu, & à laqueis, & scandalis.

Sedens in Cœlo Dominus det nobis pacem quietam, & pacem bonam, & dulcem, ut gaudeamus die ac nocte.

Det vobis placata tempora, ut sitis semper gaudentes, & non turbulenti, & inquieti, sed per Charitatem diligentes.

Et quoniam Congregati estis hodie, ad celebritatem oblationis hujus: Crux Regis Cœlestis custodiat vos.

Suscipiat Dominus oblationem vestram, & sacrificia vestra, & orationes vestras, & quiescat Spiritus ejus super eleemosynas vestras, & intret petitio vestra in conspectu ejus. (*c*) *Illustris in Congregatione Sanctorum Sanctissimus Apostolus Thomas Sanctitas Sanctitatum*, custodiat vos à plagis, & à dœmoniis, & hominibus pessimis.

Oret quoque super hanc turbam, pauperem & miseram, & afflictam: sunt enim discipuli hujus Sancti, ut sic à plagis liberi fiant.

Præterea illi, qui modeste laboraverunt, & in simplicitate servierunt in hoc mundo, in justitia custodiantur à malo. Et

(*a*) Antiq. Malab. *Benedicatur Cathedra gloriosa Catholicorum Orientalium.*

(*b*) Antiq. Malab. *Dominus totius gregis Episcopus, plenus sobrietate, custodiatur a malo.*

(*c*) Antiq. Malab. *Illustris in Congregatione Sanctorum, Religiosus Hormisda, Sanctitas Sanctitatum.*

Digitized by Google

Et qui in nobis sunt extranei, & à domo sua longinqui, Rex sæculi sæculorum in pace faciat illos reverti.

Hoc Festum sit Sanctum super vos, o populi humilis, & Dominus sit stabiliens, & ad bona consiliarius.

Modo & nunc, & omni tempore, & occasione, noctibus quoque & diebus, & usque in sæcula sæculorum.

Benedictio in diebus Solennibus:

Carmen, & adorationem nunc offeramus Deo, Sancto Filio(*a*), *qui factus est homo, & operuit Divinitatem suam, humilitate nostra*.

Et in humanitate nostra sustinuit passionem per manus populi mali, ut liberaret Adamum rationalem, & converteret filios ejus ab errore.

Benedic Domine Congregationem nostram debilem, corpore simul, & anima, facque nos socios illius Congregationis Angelorum Cœlestium absque macula.

Benedic & nunc Sacerdotes, & remove ab illis omnes casus infestos, & eorum voces admitte Sanctificationibus Justorum splendentium sicut sol.

Benedic terram, quæ Bellorum infestatione à Regibus conturbatur, & pacifica eos per signum Crucis luminis Sancti.

Benedic Ecclesiam tuam, (*b*) *quæ patitur infestationes à pessimo Dæmone*, libera illam, quæ ad ostium tuum pulsat mane, & vespere simul.

Et circunda illam gladio acuto per charitatem tuam sanctificantem, ut psallat tibi gloriam distinctam, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

(*c*) *Benedic dextera tua, Domine Jesu Christe, Congregationem hanc* illustrem, ut splendeat donis Spiritus Sancti, in modum Solis clarissimi.

Benedic, Domine mi, virtute tua gloriosa Congregationem nostram, & amplifica illam omni pompa, & da illi lætum tempus, & habitaculum quietum, & abundans.

(*a*) Antiq. Malab. *Qui factus est homo, & operuit speciem suam in Filio Hominis.*

(*b*) Antiq. Malab. *Quæ patitur, & in ovili pessimi Dæmonis, ecce comprehenditur.*

(*c*) Antiq. Malab. *Benedic dextera tua Christe, Congregationem hanc.*

Digitized by Google

Benedic, Domine mi, Congregationem nostram nobilem, dextera tua, Rex vivens, & effunde super illam benedictionem tuam Domine, in longitudinem temporum, & annorum.

Benedic dextera tua, Domine noster, Congregationem nostram, omni Spiritu, & benedictione, & libera eam ab omnibus malis, & remove ab illa flagellum.

Benedic & custodi, Salvator noster, invitatos, ab omni nocumento, & lætifica eos omnibus bonis nomine tuo vivo, liberator noster.

Benedic, Domine noster, Antistites nostros, & gubernatores nostros, & Doctores nostros, & (a) *Salva Reges nostros fideles, & Duces nostros Catholicos*, & reduc ad nos judices nostros, servos tuos.

Benedic etiam, Domine mi, pueros nostros, & eos, qui nos docent, & erudiunt, & sapientes fac doctrina tua infantes nostros, & illustres fac senes, & adolescentes nostros.

Benedic & parce defunctis, & dimitte debita, & peccata nostra, & protege nos sub pennis tuis, & revela faciem tuam, & libera nos.

Benedic Infirmos, & Orphanos, & miserere afflictis, calumniam sustinentibus, & responde turbatis, & miseris, & veni in auxilium eorum, & ne negligas.

Et da nobis, Domine, tempora sana, ut vivamus coram te absque labe, & inveniamus gratiam, & amores coram throno tuo Dominator sæculorum.

Benedic dextera tua, & adjuva Congregationem nostram hanc, & custodi etiam illam ab adversario, qui circundat eam, fortitudine tua, magna quæ non minuitur.

Et fac nos dignos per amores tuos in illo die, quo signum tuum orietur è Cœlis super justos, qui passi sunt æstum, & vigilias, & jejunium.

Et egrediemur in occursum tuum cum jubilo, & ingrediemur tecum in lætitiam, & tibi sancto, & excelso psallemus gloriam interminabilem.

Vos quoque o Congregatio redemta, populo sancte, & præclare, qui adfuistis hodie, sicut decet (b) *coram ipso Jesu Domino Deo salvatore*. Susci-

(a) Antiq. Malab. *Salva Reges nostros & Duces nostros.*

(b) Antiq. Malab. *Coram ipso Jesu Salvatore.*

Digitized by Google

Suscipiat Dominus oblationes nostras, & det duplicem mercedem vestram, & dignos vos efficiat promissionibus suis, quas promisit vobis in Evangelio suo.

Scilicet semper dico vobis, qui comedit Corpus meum vivificans, (a) *& bibit ex Sanguine meo Sanctificante, habet vitam æternam.*

Et eritis signati, & protecti ab omnibus infestationibus signo Crucis, nunc, & post omne nunc, & in omni tempore, & in sæcula sæculorum. Amen.

Alia benedictio in diebus ferialibus.

Causa, quæ benedixit nos omnibus benedictionibus per Filium suum vivum, qui propter salutem nostram se ipsum inclinavit è Cœlis Cœlorum, & assumsit Corpus nostrum, & dedit nobis Corpus suum Jesus Dominus, & Sanguinem suum Venerabilem, Sanguine nostro miscuit, mysterium propitiationis.

Revelavit in nobis virtutem suam, & ostendit gloriam suam, & figuravit in nobis imaginem suam, & mundavit, & sanctificavit nos virtute abscondita, & amovit à nobis dubietatem in hac promissione, quod omnis scilicet, qui comedit corpus meum, & corde puro bibit Sanguinem meum, ipse manet in me, & ego in illo, & suscitabo illum in die novissimo, non judicabitur omnino, sicut peccator, & exaltabo illum super aera, sicut Justum, & faciam illum hæredem regni Cœlestis, quod non dissolvitur.

Seminate Confessionem ejus in cordibus vestris sic illustrem, & fidem ejus, quæ non abolitur, in animabus vestris, & virtus, quæ in Apostolis habitavit, habitet in vobis, & adjuvet vos, in abscondito.

Narrationes pessimas afflictionis, & detractionis, ne audiatis, & ab omnibus scandalis det vobis statim redemtionem, & dies bonorum occurrat vobis, per virtutem excelsi, & virtutem donorum suorum effundat super nos usque ad perfectionem.

Christus, qui Sanguine suo emit oves suas, & passus est calumniam, ipse liberet nos ab adversario, & à captivitate: Pastores quoque virtute sua custodiat,

 quia

(a) Antiq. Malab. *Et bibit ex sanguine meo sanctificante, liberabitur ab inferno per me.*

quia non habent finem, ut pascant oves suas in modum filii Jonæ, & Tarcensis.

Presbyteri, qui in domo Sanctitatis pulchre Sacerdotio funguntur, & sunt Sacerdotes præclari, digni efficiantur illo convivio pleno gaudii, ut coram illo pulchre ministrare possint in loco suo excelso, pro mysterio, quo ministrarunt in hoc sæculo, absque intermissione, & cunctatione.

Senes illustres, qui in Ecclesia senuerunt, & ingressi sunt annos, confortet eos Dominus super virgam pacis, & requiei, & adolescentes, qui in vobis ornatu præclaro incedunt, ut virtute placeant Domino.

Os puerorum vestrorum benedicat vos in gloria, in vocibus dulcibus etiam feminæ vestræ per verecundiam inculpabilem: Oratio vestra sicut Danielis Justi Prophetæ sit, ingrediatur coram eo, ut det solutionem iniquitatibus vestris.

Resurrectionem faciant defunctis vestris, in die novissimo; & dignos faciat illos regno incorruptibili Spiritus Sanctus, quem induistis per aquam, quo accepistis gradum excelsum adoptionis filiorum.

Pax, & requies, & charitas, & spes bona, & pura sit inter vos, & in domibus vestris usque ad consummationem: (a) *Gloria illi ex omni ore, Jesu Domino Deo* super donum ejus ineffabile linguis creatis, nunc, & post omne nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

Benedictio in Missa pro Defunctis.

Exaudi, Domine mi, vocem orationis nostræ, & intret in conspectu tuo deprecatio nostra, & suscipe Sacrificia, & oblationes nostras, & propitius esto delictis defunctorum nostrorum, sicut oblatio prima, quam obtulit Abel incæptor, & Noe simplex, & innocens, & Abraham fidelis in Domino.

Et Job, qui sustinuit afflictionem, & Elias Propheta veritatis, & Apostoli in medio Cœnaculi, & sicut minuta illius Viduæ, sic Domine mi, in misericordia tua suscipe oblationem servi tui, & dignum fac illum thalamo regni, cum omnibus justis, qui placuerunt tibi,

(a) Antiq. Malab: *Gloria illi ex omni ore Jesu Domino.*

Digitized by Google

tibi, suscipe, Domine noster, Sacrificium ejus, & propitius esto, & dimitte debita illius, & dele omnes iniquitates ejus, & omnium sociorum ejus.

Et dignum fac, Domine misericors, hunc servum tuum pauperem thalamo illo spirituali, cum justis filiis dexteræ.

Assigna illi ab hac die; quietem simul, & memoriam, & suavitatem illam stabilem, in loco glorioso, & beato.

Et tibi retribuit Confessionem, & gloriam, & honorem, & adorationem uni Naturæ Tribus Personis sine intermissione.

Et omnes, qui laboraverunt in hoc opere, parvis & magnis hujus diei, & qui loquuntur in hac Congregatione, digni fiant remissione in misericordia.

Benedic Domine mi benedictionibus hanc Congregationem in æqualitate, & domum, & homines, & omnes nos in unitate, nunc & semper. Amen.

LAUS DEO.

Que

Digitized by Google

Quæ in hac Missa Suriana correcta fuerunt, reperientur in Decretis primo, secundo, & tertio sessionis quintæ Synodi de Diamper.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.
DE APOSTOLATU
SANCTI THOMÆ.

Apostoli Thomæ cultus apud omnes Orientis Regiones celeberrimus. I. *Prædicavit in India improprie dicta.* II. *Etiam Magis & Persis.* III. *Carmanis & Germanis Orientalibus.* IV. *Præter eam Indiam improprie dictam, in veram & propriam Indiam Fidei lumen invexit.* V. *Id plurimis Auctorum Ecclesiasticorum testimoniis fulcitur.* VI : VII. *Eadem traditio nuperis illarum Regionum notitiis, post adventum Lusitanorum roboratur.* VIII. *Aliis monumentis in Coromandele inventis eadem comprobatur.* IX. *Sinarum etiam amplissimas Regiones, ac in Urbem Cambale aut Cathay, D. Thomas penetravit.* X. *Tartariam, utrumque Thibetum, atque gentes finitimas illustrasse, ut verisimilius affirmatur.* XI. *Sicuti quod in Americam Meridionalem transierit.* XII. *Momenta contraria ex Tillemontio, aliisque petita, objiciuntur ac enervantur.* XIII: XIV: XV. *Non imbelle argumentum oppugnantium, facili negotio, evoluta æquivocatione nominis Indiæ, exsufflatur.* XVI : XVII: XVIII: XIX: XX : XXI. *Nec de India solum verum etiam de Æthiopia, Gymnosophistis, & Presbyt. Joanne, confuse loquuntur Auctores.* XXII. *Origo æquivocationis detegitur, atque exinde sinceritas traditionis de Apostolatu Indico Thomæ, plene stabilitur.* XXIII, & XXIV. *Thomam discipulum Manichæi, aut alium Thomam Cana, Indorum Apostolos extitisse fatue asseritur.* XXV : XXVI : XXVII : & XXVIII.

I.
Postoli Thomæ memoria, atque cultus, adeò celebris inter omnes Populos, atque Nationes evaserat, initio Seculi quinti; ut non solum Ecclesia Occidentalis, verum etiam Orientalis, præcipuè Græca, immo etiam Nationes Barbaræ, ejus festum celebraverint; quodque mirum magis, plurisque habendum est, etiam Ariani, qui Divinitatem, & consubstantialitatem Verbi denegando, unitatem Ecclesiæ disciderant, in celebranda Apostoli Thomæ memoria (a) conveniebant.

Nec

(a) Auctor Hom. 32. inter alia Chrysostom. *Tom. 6. Hom. 32.* ad Sepulchrum D. Thomæ, Edessæ habita, ut videtur, *anno* 402., quæ certe Chrysostomi non est; tum quia ille nunquam in Edessam venit; tum etiam quia stylum Chrysostomi, nec minimum sapit.

Digitized by Google

Nec alia de causa id factum esse arbitramur, quod tot Nationes, & moribus, & legibus, immo & Religione dissimiles in colendo Thoma conspir averint, nisi quia vel omnes, vel earum plurimæ, ab eo prædicationis Evangelicæ beneficium acceperint. In hoc vero cultu, Indiam ceteris omnibus Regionibus præstitisse, universis compertum est; cum ad præsens adhuc perseverent in illis plagis Christiani, Sancti Thomæ nuncupati, qui hoc nomine gloriantur a Christianis Latinis, discriminari.

Hinc de origine horum Christianorum, ac unde, & à quo Fidem Christi acceperint, in præsenti disquirere, non tantùm opportunum, verum etiam suscepti operis, ac instituti necessarium argumentum reputamus; atque adeo inquirere, an id Sancti Thomæ Apostolatui (ut ipsorum nomen præseferre videtur) tribuendum sit? Quod postquam statutum fuerit, gradum faciemus ad inquirendum de Martyrio, de Sepulcro; ac demum de variis corporis ejusdem translationibus: quod sequenti Dissertatione præstabimus.

II. Et principio quidem; nisi cum severis criticis id omne denegemus, cujus nobis demonstratio non suppetit; omnino asserendum est, cum aliis non præjudicatæ opinionis, Sanctum Thomam Apostolatus sui munus obiisse, non tantum in India vulgariter priscis illis (quod ajunt) temporibus usurpata, verumetiam in India sic presse, & proprie nuncupata, quæ ab Indo, & Gange, usque ad partem adversam Insulæ Taprobanæ, sive Ceilan, protenditur; in aliis etiam plagis doctrinam Evangelicam promulgasse.

Igitur quantum attinet ad Indiam impropriè dictam, omnes in eamdem eunt sententiam; nimirum Sanctum Thomam Indis prædicasse; cum etenim ab ævo Origenis constans viguerit traditio inter Fideles, quod facta distributione Terrarum, atque Nationum inter Apostolos, Thomæ obtigerint Parthorum plagæ: & aliunde cum Anonymo Œcumenii, & Hippolyto apud Florentinium *Indic. Apost. pag.* 146. & *Tillemontium tom.* 1. *Histor. Eccles. ubi de S. Thoma*; Ecclesia doceat *S. Thomam in* varias Provincias profectum, non solum Parthis, *sed etiam Medis*, Persis, Hyrcanis, & Bactris fidei Christianæ præcepta tradidisse: dicendum est, Indis Evangelium prædicasse; *Quia* (ut ajunt) *antiqui Patres sub Indiæ nomine, non Regionem, quæ proprie India diceretur, sed quoscumque longinquos Populos, præcipue Æthiopes, Parthosque conterminos, Indos vocare consueverunt*. Atque illam hujus rei afferunt rationem; quod nimirum veteres, parum versati in notitia earum Provinciarum, quæ non parebant Romanis, quascumque Regiones, sive ad Orientem, sive ad Meridiem sitas, nomine Indiarum comprehendebant; sicuti, & quaslibet versus septentrionem, extrà dominium Romanorum, nomine Scythiæ appellabant: atque propterea invaluisse eam opinionem, quod Sanctus Thomas Indis prædicaverit, eo quia extrà Regiones illas Romanis subjectas, nempe Parthis, & aliis fidem annunciaverit.

Ceterum cum Apostoli fere omnes, etsi varias Regiones peragraverint, ad aliquam tamen potissimum missi dicantur: ideo ad Parthos fuisse

Digitized by Google

fuisse præcipue missum S. Thomam, asseruit Origenes *lib.3. in Gen. apud Eusebium lib.3. cap.1.* Æthiopes quoque illustrasse, auctor est Chrysostomus *Hom. in SS. duodecim Apostolos: Thomas Baptismate Æthiopes dealbat*. Persidem Thomæ attribuit etiam Fortunatus *lib.5. Carm.1.*

Bellica Persidis Thomæ subjecta vigori;
Fortior efficitur victa Tiara Deo.

III. Sophronius, aut qui e Græcis addidit elogia quædam, ad Hieronymum, sicuti & auctor operis imperfecti, sub Chrysostomi nomine, scribunt, Thomam non solum Parthos, Medos, Persas, Germanos, Hircanos, & Bactros, ut laudatus Œcumenii Anonymus asseruit, prædicatione collustrasse, sed etiam tres Magos, qui Christum recens natum adoraverunt, & Baptismate abluisse, & sibi socios prædicationis assumsisse. At dum Anonymus eos vocat *Margos*, & Sophronius; non de tribus tantum, sed de aliquo Populo videtur loqui, unde in eam ivit sententiam Florentinius, quod Margi essent iidem, ac Populi Medi, (*a*) sequutus Stephanum de Urbibus, & Herodotum; aut certe gens alia hoc nomine appellata. Verum Cosmas Indico-pleustes, Auctor Seculi VI. atque in Regionibus Orientalibus versatissimus, hæc de Magorum Imperio habet *Topograph. Christian. lib.2. pag.147.* editionis P. Montfaucon. Parisien. *anno* 1707. apud Rigaud. *Persarum Regnum non ex Persis ortum habet*, (loquitur de Imperio Persarum Seculo VI.) *neque priscorum Regum successionem servat: sed ex alieno Principatu jam insurrexit, id est ex Magis: quod* (Magorum Imperium in Perside) *ideo mea quidem sententia, secundas post Romanos obtinet, quia Magi quod Christum adoratum venerint, aliquam hinc dignitatem adepti sunt*. Unde ex istius sententia, Magorum Regio eadem videtur esse ac Persarum; in Perside autem, ait idem Cosmas post pauca, Thaddæum Apostolum prædicasse; quod quidem non pugnat cum prædicatione Thomæ: plures enim Apostoli, maxime in transcursu Apostolatus sui, in una eademque Regione Christum annunciaverunt; sicuti & Joannes Evangelista prædicavit Parthis; immo prima ipsius Epistola citatur ab Augustino, & aliis, ut notavit Tillemont. *tom.1. pag.336.* sub titulo; *Epistola Joannis ad Parthos*: ast ex hoc nullus de Thomæ prædicatione apud Parthos, contendere ausus est.

IV. Quod autem superius dictum est, ex auctoritate Anonymi Œcumenii, qui emumerando Regiones, in quibus Thomas prædicavit, loco Καρμάνοις, ut alii scripsere, ille habet Γερμάνοις *Germanis*; certe Carmanos, gentem vicinam Persis agnoscit Bochart. *Geog. Sac. Col.113.* Qui autem fuerint Germani illi, non ita notum. Bochartus, ut probabile habet, ex Ægypto in Germaniam, Coloniam deduxisse priscos Ægyptios quamobrem, pro gente Ægyptiaca habendos esse Germanos illos. Præterea, cum in Syria legatur *Germanicia* Urbs, quæ mutato nomine vocabatur ævo Imperatoris Andronici Palæologi *Thelesaura*, ut in ipsius expositione habetur *in Append. ad opus Geographicum* Emman. Schelstrate *num.XXV.* & de qua Theodoretus *lib.2. cap.25.* dicit esse sitam in finibus Syrorum,

(*a*) Margi sunt Incolæ *Margianæ*, qui male pro Magis ab illis Scriptoribus habiti sunt.

Digitized by Google

& censeri in Euphratensi Provincia, fortasse istam Provinciam prædicationi Thomæ addendam judicavit, dum asseruit Anonymus, ipsum fidei lumine Germanos illustrasse. Noris *Historia Pelag. lib.2. cap.4. col.297.* & etiam Hierocles Grammaticus sextam Urbem Provinciæ Euphratensis, Germaniciam appellat, *in Append.* Schelestr. *Catal.XVIII.* Verisimile etiam putamus, eo nomine *Hermanos*, mutato in G. illo H. aspirato significari; itaque Germanos, aut Hermanos vocabant, Indos Gymnosophistas; de quo tamen infra redibit sermo: ex quibus novum robur accipit prædicatio Thomæ apud veros Indos, eo quod Germanis istis prædicaverit (*a*).

Omnes Nationes hucusque ab aliis recensitas enumerat, loquendo de Apostolatu Thomæ, Dorotheus Episcopus Tyri, qui floruit sub Constantino Magno, in sua *Synopsi de XII. Apostolis* inserta in Bibliot. PP. *tom.2. col.181. editionis Parisiensis apud Sonnium anno* 1575. nempe Parthos, Medos, Persas, Germanos, Hyrcanos, Bactros, Magos, atque Indos (& quidem Calaminenses) apud quos omnes munus Evangelicum Thomam exercuisse testatur.

Igitur ex præjactis id tanquam constanter verum concludimus, S. Thomam prædicasse Evangelium Indis, improprie ita appellatis.

V. Manet autem adhuc totius summa quæstionis; utrum scilicet præter eam Indiam (*b*), ultra D. Thomas in veram Indiam, a flumine Indo pro-

(*a*) P. le Quien. *tom.2. col.1273.* Tillemont. *tom.1.* & Basnag. *Annal. tom.1. pag.564.* restituunt locum Oecumenii, legendo *Carmanis*, nec dissentit Assemanus *Dissert. de Nestor. pag.25.* utcunque res se habeat, Thomam etiam prædicasse Carmanis certum videtur, cum Carmania ita sita sit, ut ad occasum habeat Persidem propriam, ad orientem vero Indiam veram, & Gedrosiam. Vide Asseman. laudata *Dissert. pag 734.* & Morerium *edition. Venetæ anni* 1743. *ap. Pitteri*. Ceterum id etiam constat, Germaniciam olim appellatam esse *Marbas*, quæ postea a Germanico Cæsare, nomen *Germanicia* sortita est. Cum autem in Assyria, quam S. Thomam collustrasse compertissimum est, regio extet dicta *Beth-Garme*, quam etiam vocabant *German*, teste Agathia, *lib.4. pag.136.* nulli dubium esse debet, utramque lectionem *Carmanis* & *Germanis* sustinendam esse, cum utrasque regiones illas Apostolus Thomas, fidem edocuerit.

(*b*) Antiqui diviserunt Indiam in citeriorem & ulteriorem, seu in Indiam extra, & intra Gangem: juxta Orientales autem dividitur in Sindiam & Indiam, nec ultra Gangem progreditur. Sindia, quam ipsi *Send*, seu *Sind* vocant, a flumine Indo, quem antiqui *Sindum* appellabant ex Plinio *lib.6. cap.20.* significat omnes regiones, quæ eis Indum sunt ad occasum, & trans ipsum ad ortum; terminatur vero ad ortum, *India* proprie dicta, quæ reliquas omnes regiones tam citra, quam ultra Gangem complectitur: & ad occasum terminatur Provinciis Kerman, Makran, & Segestan, quæ ad Persidem spectant; ad Meridiem, Oceano; ad Boream Turchestania, antiquis *Indo-Scythia*, & recensioribus *Turch-Hend*.

India propria, quæ etiam dicitur *Hind*, *Hend*, & *Hindostan*, terminatur ab occasu Sindia, a meridie Oceano; ab ortu Sina vel China, & a Septentrione Tartaria magna. *Vide* Herbelot *pag.804.* & Calmetum *in Dictionario*.

India etiam dicta fuit ab aliquibus Arabia; præsertim Felix, quæ ab antiquis etiam dicebatur Æthiopia & Homeritarum regio: & de hac India intelligendi sunt, qui dicunt, Bartholomæum, Matthæum, & Thaddæum *indis* prædicasse; & hac Indiæ voce, & quia utraque dividitur in citeriorem & ulteriorem: & tandem quia etiam ipsæ inter se comparatæ, sunt ulteriores, & citeriores, allucinati sunt Basnagius, Tillemontius, aliique, ut Thomam ab India vera eliminarent, ut proxime dicemus.

Digitized by Google

proprie vocatam, penetraverit? In qua perpensis, recto criterio momentis omnibus, ut probabilius asserendum fore censemus, S. Thomam prædicasse in vera India.

Et principio quidem id ostendit ineluctabiliter, traditio de ipsius Thomæ prædicatione in India proprie dicta, per tria priora sæcula, de qua testimonium facit in primis Anonymus OEcumenii per hæc verba: *Thomas Apostolus, veluti traditio majorum amplectitur, Parthis &c. obdormivit autem in Civitate Calamina Indiæ*. Adstipulatur Dorotheus Episcopus Tyri, sub Constantino Magno, in laudata *Synopsi de XII. Apostolis*, ubi hæc habet: *Thomas quemadmodum traditio habet, Parthis, Medis, ac Persis prædicavit: obiit autem Calaminæ Civitate Indiæ*. Ne vero putetur aut traditionem, de qua testatur, confuse loqui de India in lata significatione, ipsum non discrevisse veram Indiam, ab alia improprie dicta, duo observare liceat: primum, eum expresse meminisse *Calaminæ*, quæ in sola vera India extabat: secundum, adeo ipsi notam fuisse veram Indiam, ut paulo antea sermonem faciens de prædicatione Bartholomæi, de quo etiam ferebatur, Indis prædicasse, sub his terminis suam mentem aperuerit: *Prædicavit* (Bartholomæus) *Indis, quos Felices vocant*; quod intelligi debet de Arabia dicta Felice: unde luce clarius apparet, traditionem de Apostolatu Thomæ in Indiis, aut in India, non de impropria (quo nomine, ut postea videbimus, veniunt plures Nationes Orientales) sed de vera India intelligendam esse. Et licet me non lateat, Tillemontium, ex Bollandistis *ad diem 19. Aprilis pag.619.* non recte sentire de laudata Dorothei Synopsi, quasi esset ingenui, nobilisque Patris degener fœtus; non id vim traditionis nostræ enervat; quandoquidem ipsa, plures alios præter Dorotheum assertores habet, atque ejusdem rei contestes; quæ est unica regula, qua uti possumus in secernendis veris narrationibus à falsis, cum apocrypha, aut interpolata quæcumque leguntur: atque propterea ex eadem regula non contestationis aliorum, inter falsa amandamus plura, quæ in ipsa Synopsi leguntur; Unde non sine delectu nostram traditionem de prædicatione Thomæ in India, è Dorotheana Synopsi excerpentes, in medium proferimus.

Confirmat hanc traditionem Theodoretus *lib.9. de verit. Evang.* ubi postquam dixit, Thomam Parthos, Persas, atque Medos lustrasse, addit *Bracmanos, Indos, aliasque Nationes finitimas*, fidem ab ipso suscepisse: ubi aperte distinguit Persas, Medos &c. qui etiam Indi a pluribus vocabantur, a Brachmanis, & Indis; qui ad Indiam proprie dictam pertinent. *Brachmanes* etenim ita vocantur a vocabulo apud Indos vulgato, *Brahde* quod est *scire*; juxta interpretationem approbatam à P. Francisco Roz Archiepiscopo Cranganorensi *anno* 1615. & Romæ per Indicos Missionarios collatam *anno* 1724. coram Em. Ansidej per Summ. Pont. designato, pro rebus Indiæ discutiendis.

VI. Consonant Theodoreto plures, nempe *Nicephor. lib.2. cap.40*; qui non solum ad veram Indiam pervenisse, ait, verum etiam ad Insulam Taprobanam, antiquis Sieledivam, ad Australem Indiæ Plagam stam penetrasse D. Thomam, Nazianzenus *lib.2. adv. Arianos*, Thomæ Indiam, ait, ob-

tigisse; & *Orat.*25. recensens Regiones, quas Apostoli fortiti sunt, ait: *Thomæ cum India*. Insuper S. Paulinus *Carm.*27. alias 25. canit.

Parthia Matthæum complectitur, India Thomam.

Ambros. *in Psal.*45. ait, *Thomæ India patuit*. Hieron. *Epist.*148. scribit: *Cum Thoma in India Christus Dominus erat*. Accedit Gaudentius Brixien. sive auctor *Serm. de Dedicat. Ecclesiæ*. qui ait, eum apud Indos consummasse Martyrium. Ne tamen aliqui in illam præjudicatam opinionem de India impropria impingentes statuant, hos Patres non loqui de vera India, utpote illis parum cognita (quod de uno, aut altero ex Occidentalibus sustineri utcumque posset, non vero de Orientalibus Patribus) unum seligo Hieron. in *Epist. XIII. ad Rusticum Monach.* inter familiares, edita à Cl. V. Josepho Catalani, ita loquentem de Negociatoribus, Maris discrimina subeuntibus, cumque iis comparantem eos, qui pro Deo tuto laborant: *Felix cursus est, si post sex menses, supradictæ Urbis* (loquitur de Urbe ad Mare Rubrum) *Portum teneant, à quo se incipit aperire Oceanus, per quem vix anno perpetuo ad Indiam pervenitur, ut ad Gangem Fluvium &c.* Perpendant etiam ii, qui vix circinum, manu semel pro dimetiendis parasangis alicujus Chartæ geographicæ apprehenderunt, an notum Hieronymo fuerit, ubi vera India jaceret? Certè Mare rubrum in media impropria India inclusum est; de hac profecto non diceret ad illam, vix integro anno perveniri posse; immo si ipse dimensus esset spatium, ab eo loco ubi Oceanus aperitur, usque ad Gangem, tempus impendendum in itinere non potuisset exactius præfinire; neque ostia Gangetica in India impropria collocasse credendum est. Igitur veram, ac propriam Indiam(*a*) asseruerunt superiori in loco Hieronymus, & Nicephorus Apostolatui Thomæ; addo, ipsum Tillemontium fateri *Not.*4. *pag.*613. Nicephorum de vera India loqui, cum de Brachmanis sermonem faciat, & consequenter ceteros, qui eodem modo loquuntur.

VII. Suffragantur Martyrologia, & Menologia; siquidem in Mart. Florentinii legitur bis; nempe *XII. Kal. Jan. & V. Kal. Jul. Translatio Corporis S. Thomæ Apostoli, qui translatus est ex India: Translatio Corporis S. Thomæ Apostoli, qui passus est in India*: Menologium Basilii Imperatoris, *Prid. Non. Octob. Post Domini Jesu Christi Assumtionem, cum Apostolorum singuli in eam, quæ sorte obvenerat Regionem, profecti docerent, obtigit, & Thomæ Indorum Regio*. Menologium etiam Græcorum Card. Sirleti ad diem 6. *Octobris* hæc habet: *Hic* (Thomas) *cum Medis, Parthis, Persis, & Indis Dei verbum prædicasset &c.* Idem confirmant ii omnes, qui eum Calaminæ mortuum esse scribunt, uti Dorotheus, Hippolytus, Anonymus apud OEcumenium, Sophronius *c.* 8. *pag.*265. Brev. Rom. in Festo S. Thomæ præter Nationes totiès recensitas, Indiam addit, atque locum Martyrii Calaminam designat. Hagiologium etiam Florentinii M.S. ante sexcentos annos exaratum; quod in re, adeo

(*a*) Kircherius *in Sina Illustrat. cap.*79. tenet, Thomæ iter in Indiam, & Concilium ibi celebratum; quod tamen putat Asseman. *Dissert. de Syr. Nestor. pag.*30. non Thomæ Apostolo, sed Thomæ Nestorianorum Episcopo *anno* 1590. tribuendum esse,

Digitized by Google

adeo à pluribus jam contestata, indubiæ auctoritatis haberi debet, etsi cetera sint Florentinio ipsi suspecta; ubi etiam habetur, Thomam e Mandrinopoli, quæ Urbs est Phrygiæ, in Indiam superiorem fuisse progressum. (a)

Cui consonant demum cum notitia Bollandiana apud Florentinium Martyrologium Romanum, Beda, Usuardus, Ado, & antiquum Calendarium Frontonis: quibus adjungimus vetustissimum Corbejense Calendarium laudatum à Martene *Tom. IV. de Ritib. lib.4. c.2. num. 26. In India translatio S. Thomæ Apostoli*. Breviarium etiam Syriacum apud Kircherium in Sina illustrata expressè habet: *Per S. Thomam error, & Idololatria dissipata sunt apud Indos*. Demùm apud ipsum Florentinium testantur Semedus, Trigaultius, & Martinus Martinius, ex vetusto lapide apud Sinas, & Breviario Chaldaico, haberi quæcumque D. Thomas apud Indos, Æthiopes, & Persas pro fide egit. Nec prætermittendus M. Paulus Venetus *Hist. Orient. lib.3.cap.27.* qui referens traditionem Indorum Malabarensium de D. Thoma, ait, ab illis vocari *Avarijam*, hoc est *Sanctum Virum*.

VIII. Quod si iis omnibus vetustis Monumentis, idem uniformiter contenstantibus, addere velimus nova documenta eamdem rem illustrantia, summam confecisse meritò arbitrabimur. Igitur à Seculo decimoquinto, quo tempore Lusitanis patuit Indiæ commercium; *anno* 1498. ut ait Antonius Gouvea Augustinensis *In Itin. Menes. lib. 1. cap. 2.* vel juxtà Raynaldum *anno* 1490. inventa sunt, tam ad oras Indiæ Occidentales in Malabaria, quam ad oppositas Orientales Coromandelis, certa Monumenta, antiquam traditionem de prædicatione S. Thomæ in illis Regionibus plurimum roborantia; & in Malabarica Regione quidem, inventi sunt Christiani illi D. Thomæ appellati, qui ex antiqua immemorabili traditione illius Ecclesiæ, ita nominantur, quia Sancto Thomæ fidei Christianæ, quam inter Paganos Indicos per tot secula conservabant primordia, se debere memorant: ut contestantur prælibati auctores; ac insuper Maffeus *lib.8. Hist. Ind.* & variis in locis *Synodus Diamper.* ad quam S. Thomæ Ecclesiæ Cassanarii, & Populi, id communi consensione attestantes, convenerunt: immò ut constat ex actis Concilii, & ex Historia ipsius, quam Synodo præmisimus, potissima ratio, qua illi Christiani Papæ Romano parere mordicus detrectabant, ea erat, quod cum Ecclesia illa Indica, à D. Thoma Apostolo fundata esset, ac instituta, cui etiam ipse legem Christi edixerat, & quam ab eo vocitabant *legem S. Thomæ*, non esse cur *legi D. Petri* (ita vocabant fidem Ecclesiæ Romanæ) postponenda esset, ac ullo pacto rejicienda aut permutanda, cum æque rectam fidem, & dogmata prædicasse, atque docuisse in India D. Thomam, sicuti in Latinis Regionibus D. Petrum, plane credendum esset: unde conficiebant; id unum oportere, ut unaquæque Regio fidem, & Doctrinam illius Apostoli sibi conservandam statueret, à quo Religionis Christianæ vetusta institutione esset informata; neque eam

(a) Thomæ prædicationem in India vera, plurimis auctoribus Syris comprobatam exhibet Assemanus loco mox laudato, quo lectorem remittimus.

Digitized by Google

eam pro alia ullo modo desereret. Romanis proinde Romanam, Indis D. Thomæ legem convenire. Cui ergo nullius videatur ponderis hoc argumentum, desumtum ex antiquissima illarum gentium traditione, eidem planè incumbet onus demonstrandi institutorem, auctoremque, à quo eam haurire cœperint; ævum etiam assignandi, quo traditio illa fuerit incognita.

IX. Altera prædictæ traditionis stabiliendæ ratio desumitur ex Monumentis ad oras Coromandelis, apud Meliaporem repertis tempore Joannis III. Lusitaniæ Regis, ubi diruta antiqua Calamina, & Indorum indigenarum lingua, demutato *Calaminæ* nomine fortè in *Meliaporis*, inventæ sunt Reliquiæ S. Thomæ cum lanceæ cuspide, quodam vase fictili, atque Viatorii baculi parte. Plura de iis habent Maffeus *lib.2 & 12.* Ossorius *Lib.3. Hist. Ind.* qui ulterius addit, inventionem Crucis D. Thomæ, excelso prope Meliaporem in loco repertæ, atque in arcu, quo ipsa muniebatur, aut in circuitu ipsius Crucis in tabula lapidea, inscriptis literis, significari ejusdem Thomæ accessum ad eam Regionem, prædicationem, ac Martyrium ibidem loci constantissime pro Christo toleratum; quæ proinde Urbs in honorem ipsius Apostoli, appellata est à Lusitanis usque ad præsens, *Civitas D. Thomæ*. Qua notitia eo lubentius utor, quò Tillemontius (ipsius Thomæ in narrationibus facti historici imitator incredulus) examen totius rei, atque Apostolatus Indici D. Thomæ relinquit *Not. 4. sup. D. Thom.* iis, quibus compertum est, quid eo loci inventum fuerit, quique rectas, solidasque consequentias exinde elicere sciant. Unde juxtà ipsius mentem, standum est Lusitanis, atque prælaudatis Maffeo, Ossorio, & Gouveæ; è quibus etiam nos aptas consequentias deducere conabimur infrà, ubi de loco Martyrii agendum erit.

Porrò perpensis omnibus hucusque adductis pro D. Thomæ Apostolatu Indico, ac etiam iis, quæ pro contraria opinione militare videbantur, a Viris, & eruditione Ecclesiastica instructissimis, & in expendendis actis Sanctorum sagacissimis, hujusmodi visa sunt, ut nostram fere omnes tenuerint sententiam. Atque inter primos Florentinius, auctor in hac re versatus, quam qui versatissimus, loco superius laudato, ita mentem suam aperit: *Nihil tamen certiùs apud Sanctos Patres invenio, quàm D. Thomam Indis Evangelium vulgasse*. Natalis Alexander *Histor. Eccles. Seculo I. cap. 8. tom. 4. pag. 32. Edit. Venetæ Lazaroni anno* 1741. qui inter alios a Thoma conversos enumerat *Brachmanes, & Indos*. Ambrosius Gardebosc Carmelitanus *Hist. Eccles. lib.2. Dissert. 7. Quæst. I.* hanc resolutionem ponit: *S. Thomas Apostolus in Indiis proprie dictis Evangelium prædicavit, ibique pro Christo interfectus est*. V. Cl. Assemanus Bibliothecæ Vaticanæ ad præsens Præfectus, cujus eruditissimas Ecclesiasticas elucubrationes, nisi id ipsius modestia gravate ferret, simul cum Auctore, hoc in loco plurimum commendaremus, tum ob peritiam Orientalium Linguarum; tum etiam propter ipsius eruditionem circa traditiones, & ritus Orientales: hic itaque, nostram tenens sententiam *Dissert. De Syr. Nestorian. pag. 25.* hæc habet verba: *De priori*

Digitized by Google

priori India,(Asiatica & vera) *quæ ultra Persidem sita est antiquos loquutos fuisse, quum Thomam Indorum Apostolum vocant; tum ex iis constat, quæ de Parthia ab omnibus affirmantur; tum ex iis, quæ vetustissimi scriptores de Persis, Medis, Carmanis, aliisque Indiæ orientalis finitimis Populis tradunt*. Quæ quidem optima conjectura est. Quis enim sibi suadeat, Apostolum, qui finitimas regiones, & gentes lustravit, solos Indos, ad quos pronum erat iter, solos, inquam, reliquisse.

X. Cardinalis Gotti *Tom.5. Verit. Relig. Christ. c. 6.* §. 2. ait, etiam posita prædicatione alterius Thomæ Manichæi in India; sententiam Patrum de prædicatione Indica Apostoli Thomæ adhuc sustinendam esse: *Me hoc non movet*: (ait scilicet, ut contraria via incedat) Iis omnibus præivit Haythonus Monachus, Nepos Regis Armeniæ in *Hist. Orient. c. 6.* quam Salconus jussu Clementis V. anno 1307. edidit, ubi de India ait: *in ipso Regno prædicavit B. Thomas Apostolus fidem Christi, & multas convertit Provincias, atque Gentes*. Cui consonat M. Paul. Venetus. ibidem *lib.3. cap.24.* qui in Indiam perrexit *anno 1269.* & traditionem de prædicatione, & Sepulcro Divi Thomæ apud eas gentes invenisse contestatur.

Ultra has omnes recensitas Nationes fidei Vexillum in alias etiam intulisse Thomam, plures asserunt: ut in *Historia prævia* diximus *cap.1.* §.2. cum Gouvea *Itin. Menes.* qui apud Christianos S. Thomæ eam invaluisse ait traditionem; quod nempe à Meliapore solvens Sinarum Navibus prætervectus Apostolus, ad Sinas (*a*) pervenerit, & ad Urbem *Camballe*, vel *Bamballe*; Et quidem ex antiquis Monumentis Episcopatus Angamalensis apparet ex Gouvea *lib.1. Itin. Menes. cap.1.* ab antiquissimis temporibus prædicatum fuisse Sinis Evangelium. Alii non ad Camballe, sed ad Catayum pervenisse autumant; quæ Regio in laudatis Monumentis appellatur *Sina*, aut *Massina*, atque ad Septentrionem jacet, Sinis, Tartarisque finitima. At alii rursus volunt Camballe fuisse in Regione Abysinorum, quorum Imperator à Lusitanis vocari cœpit Presbyter Joannes, ut ait Barros *Lib.4. Asiæ Decad.3. c.1.* alii demum ad Thibetum parvum illis Navibus deportatum fuisse affirmant.

Ceterum ex Breviario Syriaco apud Eminentiss. Gotti *Tom. 5. de verit. Rel. c.6.* §.2. *n.3.* habetur, Thomam Sinis prædicasse: *Per Sanctum Thomam error, & Idololatria dissipati sunt apud Indos. Per Sanctum Thomam Sinæ, & Aethiopes in agnitionem veritatis conversi sunt*. Insuper con-

(*a*) Sobensis *Epitom. Canon. part.3. cap.1.* & Amrus *in Vitis Patriarch. Nestor.* Thomam Sinis prædicasse asserunt. Accedit Trigautius, excer. tis testimoniis a Breviario Malabarensi, laudato a Card. Gotto. At Asseman. Dissert. *De Syris Nestor.* omnia componi posse ait, si dicatur, illa verba, *Per S. Thomam Sinæ &c.* intelligi ita, ut eo agente, & mittente suos Discipulos ad Sinas, isti fidem acceperint; non quod Thomas per se ipsum prædicaverit Sinis: monumenta autem, quæ afferuntur, cum sint posteriora quatuor ad minus seculis, nihil probant. Ipsi manus victas daremus, nisi illa verba: *Per S. Thomam*; commodius explicarentur ex nostra opinione, ut litera sonat: deinde quod similiter dici posse:, ex eo neque Thomam per se ipsum Indis prædicasse: tandem quia monumenta, quamvis posteriora, fidem faciunt anterioris traditionis.

Digitized by Google

oonfirmatur id narratione duorum Arabum in Itinerariis Parisiis editis, ubi asseritur, Sinarum Reges aliquid de Christo, & Apostolis audivisse, & ut apparet à D. Thoma, quandoquidem ipsi in itinere offenderunt *Beth Thomam*, idest *domum* vel *Ecclesiam D. Thomæ*. Anno *etiam* 1628. in Urbe Siam-Fu Provinciæ Kiamsi reperta fuit inscriptio, ubi legebatur vita Salvatoris, & prædicatio Evangelii à priscis Patribus. (*a*) Et quantumvis ex Card. Gotti id non videatur evincere prædicationem Thomæ, aut alterius Apostolorum apud illas gentes, eo quod illa inscriptio annum præseferat Christi 780. nihilominùs ex infra dicendis, probabile D. Thomæ iter Sinicum id non labefactat.

Igitur Camballe, quam Urbem non licuit reperire Gouveæ, & aliis, (*b*) invenitur ex *Peregrinatione* B. Odorici Ord. Min. ab ipso descripta, qui obiit *A. D.* 1331. & habetur apud Bolland. ad *D. XIV. Jan.* ubi scribit: *Inde veni ad illam nobilem Civitatem Camballech, quæ vetus est, & antiqua in Provincia Chatay. Hanc ceperunt Tartari: ego Fr. Odoricus Mansi ibi tribus annis*. Hæc à Paulo Veneto *lib.2. cap 9. & seq.* vocatur *Cambalu*. Quam hoc tempore Pekinum esse, & Sedem Sinensium Imperatorum aut Regum arbitratur Trigaut. *Lib.4. de Christ. expedit. apud Sin. cap.3.* At in Cambalech Templum antea erexerat Joannes de Monte Corvino Ord. Min. *anno* 1299. ex Vvadingo; qui etiam Archiepiscopus Camballensis creatus fuit *anno* 1307. Immo & hodie extat *Sambale*, aut *Cambale* in Imperio Mogolis.

XI. Quæ omnia comprobare videntur traditionem Ecclesiæ Indicæ Angamalensis de prædicatione Thomæ apud Sinas; cui traditioni si adjungitur inscripto Sinica, de gestis ibi a Patribus, quamvis ex hac sola, ut bene Gotti, id non evincatur, tamen ex ista, ut traditione roborata, prædicatio Sinica D. Thomæ gravi conjectura fulcitur (*c*). Ex quo etiam fit, ut ipsis incumbat onus probandi, non ab Apostolo Thoma, sed ab alio Apostolo ibi prædicatum fuisse Evangelium: acta enim seu gesta Apostolorum aperte insinuant eorum apud omnes gentes prædicationem; quamobrem jure meritoque censemus, Apostolos ipsos (excepta *Africa*) in potissimas Orbis Terrarum Regiones, fidei lumen invexisse, ut mox dicemus.

Et quidem non solum apud Sinas, verum etiam in Tartaria, Thibeto utroque, atque aliis Regionibus, lucem Evangelii priscis irradiasse temporibus, compertum est, ex Haythono, Marco Paulo Veneto, qui Im-

(*a*) De hac inscriptione late ac erudite disserit Asseman. *Dissert. & Syr. Nest. a pag.* 588. omnino videndus.

(*b*) Urbs *Camballe*, & regio *Massin*, regiones sunt ejusdem Regni Sinæ; *Cambale* aut *Cambalu* erat Sinæ Metropolis: *Massin* vero vel *Masina*, aliis nominibus *Mangi Macin*, seu *Matsin*, est altera pars meridionalis ejusdem Regni Sinæ. Turcæ Persæ, & Arabes illis duobus nominibus significant Sinam septentrionalem, & meridionalem; sicuti aliis duobus *Jagiug & Magiug* id est Gog, & Magog; integram Tartariam exprimunt. Igitur quæ Sinis est *Pekin*, Tartaris est, *Cambalu*.

(*c*) Neque contendimus, totam peragrasse Sinam, aut Tartariam Apostolum Thomam; sufficit nobis ut vere dici possit, eas ipsemet regiones per semetipsum illustrasse, illum in unam aut alteram utriusque Regni Civitatem profectum esse; uti sonat traditio Malabarensium.

Digitized by Google

Imperatori Tartarorum per septemdecim annos inservivit *anno circiter* 1256., nec non ex Joanne de Plano Carpi, Ord. Min., cujus verba refert Bellovacensis in Fragmento ad speculum *Hist. Nat. ad lib.* 32. *c.* 9. cum ipse fuisset cum aliis Missionariis Ordinis Prædicat. ab Innoc. III. ad Tartarorum Imperatorem, qui loquendo de Bello Tartarorum contra Kythaos, (qui ex Haythono, & M. Paulo Veneto sunt indigenæ Catay, aut Kythay) ita scribit: *Kytai homines habent vitas Patrum, & domos, in quibus erant temporibus suis, ad modum Ecclesiarum factas; Quosdam etiam Sanctos habere se dicunt; & unum Deum colunt. Christum Jesum Dominum venerantur, & credunt vitam æternam, sed non baptizantur. Scripturam nostram* (dixerat jam eos habere vetus & novum Testamentum) *honorant, ac revereuntur*. Et tandem quoad prædicationem Sinicam D. Thomæ, quamquam Urbem *Sinam* inter alias Indiæ locet Ortelius in Nomenclat. Ptolem. quam etiam illustrare potuit Thomas, tamen plura prædicationis ejusdem monumenta apud Sinas reperiri refert Augustinensis Joannes Gonzalez de Mendoza *Hist. de Rep. Sinar. Barcinonæ edita* anno 1586.

XII. Denique in Americam Meridionalem transisse Thomam, probabile videtur, ex eo quod Brasilienses plura memorabant de Divo Thoma, quem *Zoma* vocant, mutato *Th.* in *Z.* quando illæ Plagæ innotuerunt, ut habet Stapleton. *ex Ep. Emman. Nobrega, e Brasilia scripta an.* 1552. *ad calcem tom.* 4. *in Evang. ubi de tribus Thomis*. Idem ex *Hist. Ind. Leonardi* colligere licet ex variis momentis, quæ adducit circa Americam Septentrionalem, ubi plura de Cruce multis in locis; quam tanquam *Deum pluviæ* Indi venerabantur: qui labores soli Thomæ tribuendi sunt, asserente ex Chrysologo, *in Ros. Aur.* Sylvestro, quod *hic solus Apostolus universum Orbem terrarum percurrerit*; potissimum etiam ex eo, quod nulli alteri id attribuatur; & aliunde ab ipsis Apostolis per totum Orbem putamus jam tunc prædicatum fuisse Evangelium, uti sincerius, ac juxta proprium sensum verborum Christi: *prædicate Evangelium omni Creaturæ* (*a*); & Evangelista (*b*). *Ipsi profecti prædicaverunt ubique*, neque id per Synecdochen accipimus, ut alii, scilicet maximam partem pro toto. Inquirenti autem, quomodo tunc Apostoli in partes Americanas (*c*) penetrare potuerint, reponit ex Torniel. *in Annal. ad ann.* 1931. *num.* 45. Cl. Pagius, ad *Annum Christi* 44. plures tunc fuisse vias nobis nunc occultas; aut breve fretum; nec forsan ad id defuisse Angelorum ministerium, ut non defuit, *Act.* 16. *v.* 9. (*d*) Sola Africa (*e*) ex-

(*a*) Marc. *cap.* 16. *v.* 14.

(*b*) Ibidem *v.* 20.

(*c*) Profecto comperta fuit antiquis America, nomine terræ Athlanticæ, ex Platone, Aristotele, & Seneca, apud Jo. Metellum *in Præfat. ad Histor. Osorii de Reb. Emmanuelis*: & Marineus Siculus refert, in veterius Hispaniolæ fodinis, repertum fuisse aureum nummum cum effigie & inscriptione Aug. Cæs. quo Sum. Pontifex donatus fuit.

(*d*) Angelus in specie viri Macedonis induxit Paulum, ut prætermissa Bithynia, ad Macedoniam pergeret, dicens, *Transiens in Macedoniam adjuva nos*: ductantibus enim Angelis, atque ipsorum ministerio Apostolos creditur orbem collustrasse.

(*e*) Optime id, eo loci Pagius ex Aug. aliisque asserere posset, si loquatur de Africa tempore Hadriani, quo circa *annum* 120. ad fidem conversa est per Viros Apostolicos.

Digitized by Google

excipitur ibi, quæ a Successoribus Apostolorum fidei lumen accepit.

XIII. Quæ statuta superius fuerunt circa S. Thomæ Apostolatum in vera India, pluribus oppugnari posse videntur, & hæc in præsenti diluenda sunt, insinuatis, atque alio remissis iis, quæ eum oblique impetunt. Et primo.

Ex eo quod ipsius corpus non fuit sepultum in India, cum jam ad exitum seculi 4. ex Rufino *lib.* 11. *cap.* 6. Corpus D. Thomæ in Edessa Urbe Mesopotamiæ quiesceret. Socrates etiam meminit Ecclesiæ, ibi Divo Thomæ dicatæ, quod illis temporibus non fiebat, nisi ibidem illius Sancti Reliquiæ conderentur; quod etiam comprobatur ex oratione in ea Ecclesia habita, ac superius inter scripta Chrysostomi laudata, qua testatur ejus Auctor, Corpus D. Thomæ integrum ibi reperiri. Sed nec juvat dicere, partem Corporis eo fuisse ex India translatam; tum quia id insolitum erat primis seculis, nempe reliquias, aut Corpora Sanctorum dividere, tum etiam quia integrum servabatur Edessæ: non ergo Divum Thomam veram Indiam lustrasse credendum est. Secundo, quia ipsius Apostolatus, atque certaminis locus assignatur Urbs *Calamina*, antiquis, & Geographis, & Historicis incognita, tantumque nota nuperrimis Scriptoribus; quæ quidem res ex ipsa, quam præsefert, novitate, de falsitate non levem ingerit suspicionem.

Ceterum ista non magni ponderis sunt, ut inferius agendo de Martyrio Apostoli fusius dicemus, & interea respondemus, eam fuisse partem Corporis tantum, quæ Edessæ venerabatur; nec id insolitum in Ecclesia Orientali, (quidquid sit de Occidentali, & Romana) Corpora Sanctorum, & dividere, & suffurari. Quid quod licet Urbs *Calamina* nusquam extitisse daretur, tamen locus, qui nomen *Calamina* (a) præseferret, apud Meliaporem, ut verosimilius asseritur.

Quæ autem oppugnare videntur prædicationem Thomæ in vera India, eamque traditionem enervare, ea sunt, quæ apud Tillemontium post alios leguntur, *tom.* 1. *Hist. Eccles. Art. de S. Thoma*, & in *Notis*: nimirum primo: quod ea, quæ de Thomæ prædicatione habentur, desumta videantur ex Apocrypho Libro Abdiæ Babylonici de *Historia certaminis Apostolici*, & quæ a M. P. August. *Epist. adversus Adimantum cap.* 17. in-

à Roma missos; & ut comprehendit ex Notitia Imperii, quam noster Panvinius tribuit Hadriano Imperatori, illas sex Provincias; nempe Provinciam Proconsularem *Africæ*, ubi Carthago: *Numidiam* Consularem: *Bizacium* Consularem: *Tripolitanam* Præsidialem: *Mauritaniam Sitifensem* & *Cæsariensem* utramque Præsidialem; ceterum si sermo sit de Africa in tota sua latitudine, ut nos accipimus, nullus est locus eam excipiendi, ab ea universali, quod per Apostolos prædicatum sit Evangelium *ubique*, testimoniis etenim priscorum comperimus, in Alexandria Ægypti, & Æthiopia, ipsos Apostolos prædicasse.

(b) Ut Indis abjudicet Crozæus, Apostolatum S. Thomæ, ejusque Corpus, *Calaminam* nullibi terrarum extitisse, uti Tillemontius contendit; eo tantum discrimine quod iste *Calamonem* sufficiendum putat pro Calamina: Crozæus vero *pag.* 286. *Hist. Ind.* locum in Guinea a Lusitanis, vocatum *Castel Mina*. Quæ conjectatio, fastidium peperit ipsi La Martiniere, Philippi V. Hispan. Regis, Geographo, qui ait: *Je suis fache, que cette conjecture, si de raisonable, ait echape a un Bibliothecaire savant, tel qu'est M. de la Croze*: vide la Martinier. verbo *Calamina*.

inter Apocryphos Manichæorum libros recenseturin quibus eadem fabula narratur, de homine, qui in pœnam colaphi D. Thomæ impacti ex imprecatione Apostoli, a Leone discerptus fuerit, vel a regio cane manus fuerit avulsa in pœnam patrati facinoris, & ad locum convivii ab ipso deportata, ut cum aliis scribit Gouveanus *lib.1. Itin. Menesf. cap.1.* & nos cum eo *cap.1. §.1. Hist. Prævia ad Synod. Diamp.* asseruimus. At neque majorem auctoritatem conciliat huic rei, quod a Nicephoro Calixto *lib.2. Hist. cap.40.* asseratur prædicatio ista Thomæ ad Indos, & quidem proprie ita vocatos Brachmanes nempe, atquè Taprobanenses; tum quia ex auctoritate Abdiæ ea retulisse videtur; tum etiam quia Nicephori auctoritas hodie floccipenditur: unde non est, quod iis nixa fundamentis prædicatio Indica Thomæ, solide possit stabiliri.

XIV. Plurima ad hæc reponere valemus: & quidem primo cum Florentinio agendo de prædicatione D. Thomæ, & translationibus Corporis ipsius, tam de Abdiæ, quam de Hagiologio MS. suo, dicente. *Tamen possunt inter apocrypha etiam sinceriora latere*; atque hac regula ducti critici, omnes non prætermittunt laudare, & Abdiam, & Nicephorum, aliosque hujusmodi, dum ad rem suam faciunt: unde eodem jure utentes, eosdem pro Indica D. Thomæ prædicatione in medium producimus; non quia in iis firmitatem nostræ traditionis collocemus, sed ut traditionem ipsam, quæ in supra recensitis Patribus habetur, ejusmodi fuisse dicamus, ut vel ipsi (ut ajunt) impostores, eam obscurare non potuerint; immo talem vim habuisse, ut etiam ab impostoribus asserta, reliqui Auctores eos impugnantes, hanc partem intactam, ut sinceram prætermiserint, nec adversus eam insurrexerint. Deinde dicimus, tam Abdiam, quam Auctores apocryphos citatos ex Manichæis a P. August. in laudata Epistola ad Adimantum, quantum attinet ad ea, quæ afferunt de prædicatione Thomæ, audiendos esse, quia ipse impostor, & fictus Abdias in ipso libri initio affirmat, se ea, quæ habet de D. Thomæ gestis ex libro quodam antiquiori, in quem incidit, omissis supervacaneis exscripsisse: ubi ipse, quasi oblitus muneris impostoris, quod obibat, nova pro veteribus obtrudendo inhac re antiquiores Codices legisse fatetur, in quibus ea habebantur: necest cur dicatur in hoc denuo dupliciter impostorem egisse; sicuti enim plures critici cum Bollando die 26. Martii pag. 77. respondent, ut defendant Patres, asserentes, Parentes Deiparæ fuisse Joachim, & Annam nominatos; etiamsi ipsi id asserant ex spurio quodam libello Jacobi Theadelphi, aut ex Seleuco impostore; nimirum nihil officere eorum testimonia conservatæ illi traditioni; *Nec omnia dicantur, Auctores isti finxisse*: ita nos de Abdia respondemus.

XV. Quod attinet ad Scripturas citatas ab Augustino, quo nomine Vossius opinatur designari librum Abdiæ, sese opponunt Auctores *Bibliot. Magnæ Eccles. editæ Colon. Allob. apud Perachonium anno* 1734. ex eo quod Augustini ævo, diuque antea plura præter Abdiam fabulosa, & scripta, & tradita de Apostolis circumferebantur; inter alia Evangelium Thomæ, & qui idem est cum illo juxta Calmetum in *Dissert. in Evangelia apocrypha num.* 31. Liber Evangelii de Infantia Salvatoris;

alia insuper, quæ etsi antea sincera, à Manichæis tamen corrupta jam fuerant: ceterum iis sicut non est cur fidere possimus; quoad ea, quæ de Matrimonii detestatione, aut duplici rerum principio asseruntur, quia in istis Dogmatibus errabant, atque ut ea defenderent, vitiabant scripta quælibet; ita non est cur in aliis, quorum falsificatio illius Sectæ non intererat, sicuti est, quod D. Thomas hic, aut alibi prædicaverit, ipsis assentiri non possimus; & ita revera se gerit Augustinus in laudata Epistola cum istis Scripturis apocryphis, agentibus de eo, quod D. Thomas maledixerit homini, qui eum palma percusserat; illa enim admittit, ut contra Manichæos inferat, diligi posse homines, ab eo etiam, qui in eos vindictam sumit, dicendo: *Sed quia & tibi* (in Scripturis apocryphis) *tacitum non est, quo animo factum sit* (ab Apostolo Thoma) *videtur dilectio vindicantis*: Sic etiam nos iis utimur, quia & ibi tacitum non est, quid Thomas in sua prædicatione egerit. Ob eamdem rationem citamus Nicephorum, & etiam, ut morem geramus ipsi Tillemontio, qui eum, quem hic rejicit, alibi ut fautorem revocat: ut videre est in *Notis ad S. Joannem Evangelistam Not.* 18. *& in Not.* 5. *ad Thomam nostrum*: & in *Not.* 2. *ad S. Bartholomæum* pro istius Indica prædicatione, non veretur citare ipsum *Abdiam lib.* 8. *pag.* 96. immo, & Nicephorum; ut vagam Indiam, nec certam Bartholomæi prædicationi assignet. Nimirum eo sunt ingenio animati plerique etiam e nobilioribus Criticis, ut unum, eumdemque Auctorem dum ipsorum opinioni favet, sincerum, cum vero adversatur, corruptum, depravatumque conclament.

XVI. Alterum, & quod majus negotium facessere posset, opponitur ex Florentinio (qui alias pro Indica stat prædicatione Thomæ) à Tillemontio, tam in Articulo D. Thomæ, quam in Notis *in Not.* 4. quem sequitur Sandinus *Histor. Apostol. pag.* 167. videlicet, quod tametsi dicatur à Patribus, D. Thomam in India, atque Aethiopia Evangelium prædicasse, non inde confici, eum extra Parthorum Imperium fidei Vexillum intulisse, propterea quod, ut ait laudatus Florentinius in Martyrologium Hieronymianum; *Antiqui Patres sub Indiæ nomine, non Regionem, quæ proprie India diceretur, sed quoscumque longinquos Populos, præcipue Aethiopes, Parthosque confinimos, Indos vocare consueverunt; ut ad Epiphanium annotavit etiam Petavius*. Addit de suo Tillemontius, quasi paraphrasim illis verbis adornando: *Ex iis* (loquitur de testimoniis SS. Patrum, & antiquorum) *non est cur asserere possimus, Thomam extra Parthorum ditionem prædicasse, notum enim est omnibus, quod antiqui fere nulla cognitione instructi aliarum Regionum, quæ extra Imperium erant Romanorum, frequenter vocabant Indiam, & Aethiopiam, remotas quascumque Regiones ad Orientem, & Meridiem existentes*.

XVII. Hæc tamen impugnatio, paucioribus constat verbis, quam æquivocationibus: præterquamquod falso imponit (ut videtur) Sancto Epiphanio, ejusque commentatori eruditissimo Petavio, quasi veram Indiam non agnoverint. Et quidem ab hoc extremo exordium sumendo, Epiphanius in *Ancorat. num.* 115. ubi de Orbis partitione post Cataclysmum,

Digitized by Google

mum, inter Regiones ad liberos Semi pertinentes, septimo loco enumerat Indos, deinde Arabes, Hyrcanos, Assyrios, Carmanos, Lydos, Mesopotamitas, Hebræos, Bactrianos, Adiabenos, Saracenos, Scythas, Chaldæos, Parthos &c. Deinde inter liberos Chami ponit Aethiopes, Trogloditas, Aegyptios, Phœnices, Marmaridas, Macedones, Auxomitas (alias Abysinos), & horum regiones extendit ab Aegypto usque ad Oceanum. Ulterius Japheto assignat inter alios, Medos, Armenos, Sarmatas, Scythas, Latinos, qui & Romani, & Tyrrhenos, Gallos denique, Britannos, Hispanos. Et ista quidem adeò exactè describit, supputatque, ut subjungat, quod si quandoque duobus Dominis una eademque Regio attribuatur, ne ex hoc aliqua suboriatur confusio, ea de causa id factum fuerit; nimirum, aut quia communi utriusque limite continebatur; sive quia ex una ad aliam propagatæ erant Coloniæ; vel tandem, quod Chamus aliquam ad alios attinentem Regionem usurpaverat; unde in duorum ditione, eam recensere oportuit. Quis igitur umquam persuaderi possit, Epiphanium (saltem) accuratissime recensentem, atque adeo distincte distribuentem Orbis Regiones, Indos cum aliis Nationibus confudisse? Aut dum Indos recenset, sub eo nomine non Regionem, quæ proprie India diceretur, sed Aethiopes, & Parthos conterminos, ea voce designasse? Eo vel maxime, quod Parthos uni, alteri vero Aethiopes adjudicat. Qui ergo rationem non unam tantum reddit, cur ipse quandoque duobus eandem Regionem attribuat, utique patefacere non omisisset, quam ob causam Indos vocaret Aethiopes, aut Parthos, aut quoscumque alios: unde proculdubio tenendum est, illum vocasse Parthos Parthos, atque Indos Indos.

XVIII. Quod autem attinet ad Petavium; opus fuit nobis omnes animadversiones in Epiphanium percurrere; sed licet exacte, quantum per tempus licuit, id egerimus, ne unum quidem ex citatis verbis deprehendimus; solum verba hæc legebamus in Nota 25. ad Epiphanium de Hæresibus: *Indorum appellatio à majoribus nostris, ad remotos omnes ab Orbe nostro Populos est translata*: ita legitur in *Edit. Parisiensi Sonnii anno* 1622. *tom.* 2. *in Animadversionibus ad Epiph. pag.* 60. E quo loco etiam obiter lecto, clare apparere potuisset, nomen Indiæ non adeo fuisse vagum, quin aliquam determinatam Regionem significaret, & à qua ad alios Populos ea vox *translata* fuerit, ut ipse fatetur Petavius. Agebat enim ibi hic Auctor de terra Cetim, & quærebat quinam Citiæi dicerentur; ipse autem asserebat, probabile sibi videri, eo nomine venire Cilicas, Cyprios, Macedones, Romanos, atque Italos, ita vocatos à Syris, eo quod omnes isti per sibi vicinos Citiæos, atque notissimos, ad se aditum haberent: *Hoc ipsum Citiæorum nomen plerisque Græciæ Populis accomodaverint, quemadmodum Indorum appellatio à majoribus nostris &c.* Plura hujusmodi rei citare possumus exempla, ubi nomenclatura unius Nationis, alteri aliqua ex causa tribuitur, quæ nota sunt; & quidem Petavius ipse ibidem in *Not. aut num.* 84. *ait*: *Christiani à Turcis, vulgo Franci; & Mahometani, à nostris Turcæ nominantur*: Vincentius etiam Bellovac. in *Fragm.* ad *Lib.* 30. *Spec. Hist. cap.* 87. *Edit. Rein. Reinecii*

cii tom. 2. Tartari (ait) *& Orientales quoslibet Christianos vocabant Francos*: Unde ex iis id unum inferre debuissent, nimirum esse veram Indiam, Regionem, quæ ita antonomastice nominatur; etiamsi aliæ sub eo nomine venirent; sicuti nomine Franciæ sine addito, etsi omnes Europæi ita vocentur, soli veniunt Franci, & sola propria Francia intelligitur. Ex iis omnibus non apparet quomodo, nisi Petavio imponant illi Critici, afferere potuerint ex ipso, quod antiqui Patres sub Indiæ nomine, non Regionem, *quæ proprie India diceretur*, sed quoscumque longinquos Populos, præcipue Aethiopes, Parthosque conterminos Indos vocare consueverint? Ibi enim primo antiquos Patres non nominat; deinde non denegat *Indiæ propriæ* nomen Indiæ, nec de Aethiopibus, aut Parthis mentionem ullam facit; id unum ait, ex India proprie tali, vocem translatam fuisse à majoribus (quicumque illi fuerint, aut qualescumque sive Patres, sive Historici profani) ad significandos remotos Populos ab Orbe nostro; quod quidem potiori jure, quam de aliis, de Sinensibus ac Tartaris dici potest, qui Seres ab antiquis vocantur; ex quo novum argumentum desumi potest, ad prædicationem Sinicam D. Thomæ confirmandam.

XIX. At neque in eo tantum peccatum est; sed insuper Tillemontius, ejusque exscriptor Sandinus, locum Florentinii non bene intelligentis Petavium, in sensum contrarium ab eo, quem Florentinius ipse intendebat, detorserunt. Etenim ibi Florentinius, ut amplius *prædicationem* Indicam Thomæ stabiliat, & obscura dilucidet, ait: *Quod autem cum Hippolyto, & Anonymo Ecclesia doceat, Sanctum Parthis, Medis &c. vitæ præcepta tradidisse, & cum ipsis Indiam non recenseat; pugnare non existimo; nam antiqui Patres sub Indiæ nomine &c.* Et quæ sequuntur. Quasi inferre vellet nihilominùs in India prædicasse. Isti autem inferunt, ex eo quod apud illas gentes prædicaverit, quod in India non prædicavit. Hæc autem aliaque absurda accidere necessum est, cum Auctores raptim leguntur, ut Petavius à Florentinio; & cum non citatur locus determinatus, in quo res leguntur, ut etiam fecit; quandò denique Scriptores non consulunt fontes; ut non fecere Tillemontius, nec Sandinus. Unde ut hoc in loco id aliis non contingat, & ut res Petavio, & Epiphanio constet, saltem dum illa verba in illis quæruntur, emendandus esset locus Florentinii, apponendo particulas *tantum*, & *etiam*, & legatur: *Antiqui Patres sub Indiæ nomine, non Regionem tantum, quæ India diceretur, sed etiam quoscumque &c.* & hunc putamus fuisse sensum à Florentinio intentum. Ex hoc autem id unum conficitur, quod etsi plures ex antiquis sive Patribus, sive Historiographis non meminerint Indiæ (sicut nec meminit Ecclesia) dum de prædicatione Thomæ loquuntur, adhuc asserendum fore, ipsum Indis prædicasse.

XX. Quodsi deinde adversantis Cl. Tillemontii sententiam expendamus, quod nempe extra Parthorum Ditionem haudquaquam Thomas prædicaverit, evanidam prorsus eam æstimabimus perpendentes, in iis rationum momentis, quæ pro sua sententia affert, non semel allucinatum fuisse. Omnia ille ad hæc argumenta revocavit; primò quia antiqui no-

Digitized by Google

notitia carebant earum Regionum, quæ erant extra Imperium Romanum: secundo veluti consectarie, quod Indiam, & Aethiopiam, quascumque indiscriminatim ad Orientem, & meridiem constitutas Nationes appellarent, & consequenter Parthos: Utrumque autem argumentum falsum ostendemus; deinde æquivocationis radice patefacta, rem determinabimus.

Et quidem, ut falsitatis revincatur primum, sufficit in medium producere, qui ex antiquis, & Indiam, & alias Nationes, ut interse diversas agnoverunt; & quamquam non diffiteamur, vocem Indiæ latissimam significationem sortitam fuisse, attamen ex hoc ipso fit, non debere, neque posse accipi pro determinata aliqua Regione e. g. Parthorum, ut contendit Tillemontius, aut si pro aliqua accipienda sit, id tantum convenire posse illi Regioni, quæ propriori modo nomen Indiæ participet, ut est India ad Gangem; quod nos contendimus. Igitur qui vel à limine tantum salutaverit Auctores Græcos & Latinos, fateatur necesse est, propriam Indiam notissimam priscis fuisse; de illa siquidem, pro dignitate agit Alexander Magnus *in Episto. ad Aristotel.* à Cornelio Nepote latine redditam, initio Historiæ Quinti Curtii; quod etiam præstat disertissimus hic Auctor, *Lib.9. suæ Historiæ*, ubi Indi & Gangis cursum, ac regiones, quas interluunt, exactissime præfinit. Plinius, etiam Solinus, Strabo, Apulejus, Porphyrius, & plures alii agunt de Gymnosophistis, quos in India locant, & quidem ea, quæ est ad ripas Indi fluminis; & Nicolaus Damascenus (ut ait Strabo) refert Indiæ legatos, octo Servos Indicos donasse Cæsari Augusto, ut videre est apud Ludovicum Vives *lib.14. Aug. de Civit. Dei ad cap.17.* & Franc. Balduinum de *Instit. Hist. Univers.* ap. M. Paulum Venet. in Procemiis, qui asserit ex iis, quæ Plinius in Comment. Hist. retulit, quod Rex Taprobanæ etiam Legatos Romam misit ad Imperatorem Claudium: Unde perspicuè fit, ex eo jam tempore agnitam fuisse Regionem, quæ proprie India diceretur, & ut à Parthis, aliisque Nationibus diversam. At hæc omnia nihil conficiant per nos licet, nisi etiam ex ipso Tillemontio innotescat, à primis Ecclesiæ Seculis, probe notas fuisse Romanis Indicas, Parthicas, & alias Orientales Regiones, neque nomine Indiæ, confusos Parthos, sed propria voce cognitos fuisse: etenim anno 25. ante Nat. Christi refert Tillemontius *Hist. Imper. Rom. tom.1. in August. Imper. art.7.* quod Phraates Rex Parthorum Signa, & Captivos, quos à devictis antea Romanis sub Crasso, & Antonio acceperat, Augusto restituerit; & quod Indi missis ad ipsum legatis, & donis, fœdus cum eo inierint. Ad annum etiam 4. Christi *ibidem art.13.* Augustum Parthis Regem designasse Vononem; & *ad an. Christi 105. in Trajano art.17.* refert, quod debellatis ab eo Arabibus, aliisque Orientalibus Populis, gestorum fama perculsi plures (quos inter Indiæ Populi) Legatos ad eum miserint. Ne autem amplius in iis immoremur, ibidem pluribus in locis apparet ex ipso Tillemontio, tanquam Nationes diversas agnitos fuisse Parthos, & Indos; immo percurrenti Imperatorum ex ipso historiam, fere omnes Orientales gentes, suo unamquamque designatam nomine reperire licebit: qui ergo fieri potest,

verum

Digitized by Google

verum esse, quod primo asseruit, fere nullam habuisse cognitionem antiquos de aliis Populis Orientalibus extra Parthos, & eos, qui Imperio parebant Romano, omnesque illos quocumque, & ubicumque positos, cunctos, Indos appellasse vel Aethiopes? Et tametsi hoc præjudicio laborare potuerint aliqui scriptores Occidentalis Ecclesiæ, & de regionibus à sua sejunctissimis confuse pertractare: id sane de Patribus, & Auctoribus Orientalibus asserere, nemo jure poterit.

XXI. Hujus autem æquivocationis origo, & radix fortasse fuerit modus loquendi vulgaris, qui hodie etiam perseverat, nimirum appellandi Indos, quascumque remotas gentes, ut omnes Mexicanos, Pervanos &c. & ad Orientem Taprobanenses, Malabarenses &c. ceterum id eatenus tantum sustinetur, quatenus loquitur de illis comparatione facta ad nostrum Orbem; sicuti comparative ad religionem, omnes Mahometanos vocamus Turcas, aut Mauros, & illi nos omnes appellant Francos; quod quidem in hac parte, & sensu verum est; attamen dum agitur de illis remotis Regionibus inter se ipsas comparatis, ac nullo habito respectu ad nostrum Orbem, & ad præsens, & antiquis temporibus, loquendo de Orientalibus Regionibus, Indi vocati sunt Indi, Thibetani Thibetani & Parthi Parthi. Plane Epiphanium, aliosque Patres Bactriam, Parthiam, Aethiopiam, aliaque Regna recensentes, inter quæ Indiam memorant: & quorum plures, ibi Thomam prædicasse asseverant; non confudisse Nationes, neque nominibus æquivocis usos fuisse, luce meridiana clarius constat, quo in numero omnes supra laudati Patres, atque Scriptores collocari debent. Quod autem satis mirari non possumus illud est; quomodo scilicet possit inferri aliter, quam inverso ratiocinandi modo, Thomam solis Parthis prædicasse, quamquam Patres asserant, ipsum in Indiam progressum fuisse, quia nomine Indiæ & Indorum remoti incognitique Romanis Populi designabantur, cum laudatus Auctor cum Petavio *Ration. Temp. t.1.* & ceteris Scriptoribus doceat, notissimos fuisse ante Nativitatem Christi, & postea, Parthos Romanis, à quibus Romani toties fusi aut debellati fuere. Si ergo tunc adeo illis erat agnita Parthia, quomodo confundi poterat nomine generali Indiæ? Si denique à primis Ecclesiæ Seculis Romanorum potentia perdomiti fuerunt, quomodo adhuc vocabantur Indi, quorum nomine veniebant illæ gentes tantum, quæ vel extra ditionem erant Romanorum, vel ipsis parum notæ? Præpostere ergo, ne dicam perperam, infert Tillemontius, & Assecla Sandinus, quod solis Parthis prædicavit Thomas, & si dicatur ad Indiam excurrisse, ex eo titulo, quod ipsi Indorum nomine designabantur.

Ceterum sinceritas, atque honestas, quæ si desint, qualecumque fuerit scribendi genus in ejusmodi argumentis, in nullo habendum est pretio, nos cogit asserere, implexas, & discordes Auctorum de India pertractantium locutiones, illis à recto veritatis tramite deviandi occasionem præbuisse. Plures enim Geographi, cum quibus Du Plessius *Geog. to.3.* non unam, sed triplicem statuunt Indiam, & primam vocant Indiam cis Gangem, terras nempe ab Arabia Felice usque ad Indum: Secun-

Digitized by Google

cundam Indiam inter Indum, & Gangem: (quæ a Flumine Indo nomen veræ Indiæ sortitur). Tertia demum ultra Gangem; & hoc nomine veniunt reliquæ Regiones Orientales. Alii cum Haythono *Hist. Orient. c.6.* tantum vocant Indiam: *Illud Regnum, quod incipit a confinibus Regni Persarum, & extenditur per Orientem usque ad Provinciam Balarem* (ad Bengalam) *& à Meridie usque ad Insulam, quæ vocatur Cælan*; id est Ceylan; antiquioribus *Taprobana*. Marcus Paulus Venetus, qui *anno* 1256. eas omnes Regiones penetravit, ponit *lib.3. c.43.* in hac India, ut videtur, aliam triplicem; majorem, scilicet, a Provincia Maabar usque ad Regnum Rescomoran; minorem a Regno Ciamba ad Regnum Murfili: tertiam denique, quam Abasiam proprie dictam fuisse asserit. Quod autem maximam narrationi obscuritatem addit est, quod ibi collocet Provinciam Aden contiguam Abasiæ, & quod ex illa ad fidem conversa, B. Thomas in Regnum Maabar contenderit.

XXII. At non solum de India confuse & obscure loquuntur scriptores, sed etiam de Aethiopia; quæ a pluribus vocatur India; immo & Gymnosophistæ (qui in sola India propria asseri debent) a Philostrato in peregrinationibus Apollonii, in Aethiopia collocantur, ad Nilum; cujus sententiam sequitur D. Hieron. ad Paulinum; apud Vives *sup. c.17. lib.14. Aug. de Civit. Dei*. Si vero aliquid lucis mutuari velint ex Imperatore, dicto Presbytero Joanne, in Aethiopia existente; statim alius ejusdem nominis Presbyter Joannes occurrit prope Tartariam in India; cui cum prius Tartari subjecti essent, tamen *anno D.* 1203. interfecto Rege David Presbyteri Joannis filio, designarunt Regem Chingis Cham, ut habet Vincen. Bellov. *in Fragm. ad spec. Hist. ad lib.30. c.49.* in collectione Reineri Reinec. *tom.2.* unde duplex etiam Pretejanus, ut ajunt, invenitur. Duplex etiam David Pretejani filius; iste Indicus, & alter in Aethiopia *anno* 1509. cujus Avia Elena hoc anno literas dedit ad Regem Lusitaniæ Emanuelem, referente Damiano Goes *de Aethiop. morib.* Abasini etiam, aut Abyssini collocantur communiter cum Jovio, in Aethiopia, tanquam Presbytero Joanni subjecti. E contra M. Paul. Venet. *lib.3. c.43.* Abasinos in India intermedia prope Maabar collocat. Antiquiores Nilum ab Indis in Aegyptum decurrere dicunt: cum quibus *Virgil. lib.4. Georg. a vers.287.* confundit Aethiopes, Indosque Africanos, cum Asiaticis in nostra India: de quo videsis Ep. CL. Huetii *ad Quesnayum*, contendentis adversus Segressium, locum Virgilii emendari non debere. Idem habet Procop. *lib.6. de edif. Justinian.* Nicephorus Callist. quoque *lib.8. c.35.* tam Homeritas, Arabes, quam Nubas facit Indos, cum utrique Africam incolant. Plura de hoc Sabellic. *Ennead.* 10. *lib.8.* His consensit D. Epiphan. *in Ancor.* N.58. dum ait, *Gangem, qui & Indus, majorem Aethiopiam permeans, & ad Austrum conversus, in Gaditanum Oceanum erumpit*. Quod (ait Petavius) nimis est absurdum (*a*). Putamus autem, tam Epiphanium, quam supra laudatos Au-

 ctores

(*a*) Nihil absurditatis habere dictum Epiphanii liquido constabit, si perpendatur, antiquos hoc nonune *Gades*, aut *Gader* terminum regionum significasse: unde passim in Cosma Indicopleuste occurrit Gades ad Septentrionem, Gades ad Orien-

Digitized by Google

ctores recte explicari posse ex multiplicitate Indorum, ac Aethiopum, & universalitate vocis, *Gadis*.

XXIII. Tillemontii autem, eique adhærentium erat, implexa hæc, & involuta evolvere, & inter tot errandi occasiones, vera à falsis secernere, & quæ sequenda sint in numerato habere; ne Indiæ tantum improprie dictæ Thomæ Apostolatum tribuerent. Præterea scire (quod ex antiquis adnotavit Vives loco supralaudato) quod nempe accolæ Indi fluminis; qui veri Indi semper habiti sunt, maxima, & validissima manu in Aethiopiam migrarint, ibique juxta Nilum Sedes habuerint; eamque Regionem ex hoc etiam, Indiam aliquando vocatam, & Sapientes utrobique dictos *Hermanos*, & à Græcis *Gymnosophistas*, quia nudi, & *Gymni* phylosophabantur; qui vero civili cultu, & vestibus decenter induti in Urbibus degebant, *Bracmanes* vocatos esse: unde horum origo Indica est, suntque Aethiopes, Indi tantum Oriundi; & ab aliis veris Indis nomen sortiti sunt. Sicuti & Presbyter Joannes in Aethiopia Africana, ex alio Presbytero Joanne Indico, cui Tartari tributa pendebant, ut ait M. Paul. Venet. *lib.1.cap.51.* & ex Guillielmo Tripolitano *in Bibliot. Gesneri*, refert Gherardus Mercator; Jacobus etiam Navarchus, *in Epist. Asiatica* ostendit, nomen Presbyteri Joannis, ex Asia ad Africanos transisse: mortuo enim ibi Coirem Cham, Sacerdos quidam Nestorianus arripuit dominium totius Orientis, atque Presbyter Joannes (*a*) vocatus est. Unde *in Notis ad M. Paul. Venet.* optime advertit Reinerus Reinecius, plerosque se præter rem torquere, dum qui in Aethiopia regnans ab Italis Pretejannes, ab incolis ipsis Belul-Jan; hoc est pretiosus, sive altus Joannes dicitur; cum Indico, & hunc rursus cum Aethiopico in concordiam vocant, & inter se confundunt.

XXIV. Ex quibus (omni confusione Regionum, atque erroris origine sublatis) satis efficaciter evincitur; Primo, antiquos sive Patres Ecclesiæ, sive Scriptores profanos optime nosse, atque discrevisse Indias.

tem &c. itaque Epiphanius dixit, Oceanum *ad Gades*, *austri*, id est ultimum terminum terræ ad austrum: eo modo quo Gades Hispanæ ad Occidentem, est ultimus terræ terminus; & hoc nomine donata fuit ab antiquis primo quædam Oceani Insula, & postea *Gadix*: adeoque verum est *Gades*, non significare determinatam terram, sed quemcumque orbis terminum, ut Livius *lib.28* dicat, quod *Gades est extra orbem terrarum*; Straboni autem, & Solino, est *extremus totius orbis terminus*: eo modo prorsus quo Indico pleusles *Gades* nominat quæcumque orbis extrema. Et ratio desumitur ex ipsius vocis etymo. Plinius enim Solinus, & D. Isidorus afferunt *Gadir* aut *Gadis* significare locum septum, aut sepem; & est vox Punica, quam efferunt Greci Γαδειρα; & ita scripta reperitur in eo Epiphanii loco; cum enim prisci putarent *Orbem* instar cujusdam *ingentis* oblongæ cameræ, muris & parietibus circunscribi; cujus opinionis acerrimus fuit defensor, laudatus Cosmas in sua Topographia; propterea hac opinatione allucinati, apellabant Gades, quascumque regiones, in finibus terræ quaquaversus sitas. Ceterum omnem ambiguitatem e medio tollit, & textum Epiphanii perspicuum reddit, quod ubi Ganges in Oceanum deflectit, nexus perpetuus consurgit montium, qui totam Indiam per medium discindit; hic vero montium nexus, & divisio, vocatur *Gadis* aut *Gatis*; unde Oceanus *Gaditanus* & regio *Gaditana* dici potuerunt: vide Vinc. Mar. *pag.231. 232. & 236.*

(*a*) Qui plura velit de Presbytero Joanne adeat Assem, *tom.4. pag.483. & 494.*

Digitized by Google

dias. Secundo, quod licet quandoque nomine Indiæ alias Regiones designaverint, tamen Patres præsertim, eo nomine Regionem quandam, proprie sic appellatam designasse, neque solos Aethiopes, aut Parthos conterminos (ni loquamur de Aethiopibus Asiaticis) Indos vocari consuevisse. Tertio omnino gratis asseri, cum Tillemont. *in Not. ad D. Tho. pag.* 613. Patres loquentes de India, tantum de India in lata & impropria significatione intelligendos esse; quod æque absurdum est, ac siquis contenderet, quod cum loquimur de Romanis, intelligendi simus de Græcis, in Romania ortis, eo quod isti à Romanis, translato ad eos Imperio, etiam Romani appellati fuerint; aut si eo quod Calabri, seu Brutii fuerint Græci vocati, eorumque Regio Magna Græcia dicta fuerit ut ait Eustathius apud Barrium *lib.* 1. *de Antiq. Calab. c.* 8. quia in eam frequentes Græci Colonias deduxerint; quis contenderet per Græciæ nomen, non Regionem, quæ proprie Græcia dicitur, sed Calabros, aliosque designari, ex illo Ovid. Fast. lib. 4.

Italia nam tellus Græcia major est.

Igitur cum Patres, aut Scriptores Ecclesiastici asserunt, Thomam in India prædicasse, de India potissimum propria, & famosiori intelligendi sunt, potius quam de impropria. Fit denique quarto, & quod totius est summa responsionis, quod quantumvis, & quantumcumque velint vagum, ac indeterminatum fuisse nomen Indiæ, tamen ex adjunctis circumstantiis, accedente antiqua Christianorum Indorum traditione, & nomenclatura, non generatim, ac indefinite dicendum sit, D. Thomam Indis prædicasse, sed Indis intra Gangem, & Indum; & in ea India, quæ ab Scriptoribus cum Bellovac. in Fragm. *Hist. ad lib.* 30. *c.* 87. *India Magna*, tanquam potissima omnium nominatur.

XXV. Opponi demum potest ex ipso Tillemontio *Not.* 4. quod cum constet ex Theodoreto *lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 214. quod Thomas unus ex Discipulis Manichæi, ipsius insanias, in Indiam missus ab eo, prædicaverit; nomine Christi interposito, quo eos facilius seduceret; maxime verendum est, ne confundatur Apostolus Christi (*a*) cum Apostolo Manichæi. Inducit etiam ex Sueur Calvinista, quosdam Jesuitas asserentes, quod ad *annum circiter* 800. missus sit à Patriarca Babylonico Nestoriano, quidam Thomas ejusdem Sectæ homo, quamobrem veretur, ne ab isto Thoma, Incolæ regionis illius, Christiani S. Thomæ fuerint appellati.

In hac tamen oppositione, multiplex Adversario inconsequentiæ vitium exprobrari potest. Et primo quidem, qua consequutione Tillemontius, cum agitur de prædicatione S. Thomæ in India, antiquos Patres & Scriptores, de India improprie dicta fuisse loquutos interpretatur, cum vero de Thomæ (*b*) Discipuli Manetis, prædicatione agitur,

(*a*) Basnagius etiam ex P. Semedo Soc. J: ait Tom. 1. Annal. id adscribi Thomæ cuidam Cananæo, qui anno 800. se in Indiam contulit. Loqui autem eum putaverimus de Thoma Cana dicto; qui tamen fuit *Aramæus* hoc est Syrus, non Cananæus, ut habet Basnagius, nec Armenus, ut Lusitani existimarunt.

(*b*) In hanc etiam ivit opinationem Jacobus Tollius homo Heterodoxus, quem laudat Crozæus *pag.* 41. & quidem omnes, frustra innituntur, recensito Theodoreti loco: Videsis infra *ad num.* 28. *adnotata*.

Digitized by Google

omni prorsus jam sublata ambiguitate vocis, de vera India loqui Theodoretum affirmat? Et similiter, Thomam illum Nestorianum, post paucos à Nestorio annos, in veram item Indiam introducat? Itane Indiam, quam Thomas Christo subdidit ignoramus; quam vero alius Thomas Pseudo-Apostolus pervertit, omnino compertissimam habemus? Secundo, cum ipse dicat de Thoma Manichæo: *Il mesloit le nom de J. C. pour tromper les simples*; qua cohærentia contendit, non ab alio, quam ab illo fidem Christi accepisse?

XXVI. Si enim nomen Christi suis interserebat erroribus, quo facilius simpliciores alliceret, manifestum est, illis dulcissimum hoc nomen, non fuisse antea prorsus ignotum; alioquin illam non habuisset vim, quam ille intendebat ad ipsos alliciendos, & potius Idolorum suorum nomina debuisset ipsis proponere: igitur ex ipsis Tillemontii verbis fit, ante Thomam Manichæum, alium Indis aliquam saltem nominis Christi cognitionem indidisse. Tertio prædicatio Thomæ Apostoli in vera India in dubium revocatur, licet illam alii etiam Auctores asserant, eo quod illam asserat Nicephorus *nullius auctoritatis scriptor*; cur ergo prædicatio Manichæi in vera India, quam asserit Theodoretus, falsitatis suspecta illi non est, eo quod idem Nicephorus eam propugnet Manichæi prædicationem in India, *lib.6. cap.22.* per hæc verba: *Manes autem cum tres haberet sectatores Addam, Thomam, & Hermam, ex iis Addam ad Syros, ad Indos autem Thomam misit præcones* (qui tamen paulo aliter nominantur ab aliis cum Calmeto, *Dissert. in Evang. Apocrypha*, Thomas, Buddas, & Hermas. An Nicephorus, ubi narrat prædicationem Thomæ Apostoli, fidem nullam meretur; immo Scriptores alii id ipsum affirmantes quodammodo ex contactu ipsius, & communicatione sententiæ suspecti redduntur; ubi vero sermonem habet de prædicatione Indica Thomæ Manichæi, consensus ipsius pondus habet, omnia sunt in tuto, omnia vera? Tillemontio itaque par pari reddere possemus, negando Thomam Manichæum in veram Indiam pervenisse, quamvis id asserat Theodoretus, vel alius Auctor quicumque.

XXVII. Possemus igitur iisdem argumentis uti; nimirum nomine Indiæ, antiquos Patres intellexisse Aethiopiam, & Nicephorum id asserentem, exiguæ auctoritatis Scriptorem esse. Sed his redargutionibus, ac diverticulis omissis, aliter recto tramite respondemus; prædicationem Manichæi non excludere prædicationem S. Thomæ, immo illi favere, ut paulo supra ex ipsa Tillemontii narratione ostendimus, quæ plane, aperte indicat, nomen Christi jam ante, & notum, & in amore fuisse apud Indos, aliter inaniter Manichæus usus fuisset tali nomine (a) ad Indos seducendos, suasque fraudes tegendas; neque enim Lupus ovina

(a) Hoc ex Theodorito ipso confirmatur; cum enim Manes se pro Paraclito venditaret, duodecim ad Domini exemplum discipulos designavit; quoniam autem sciebat Syros Mesopotamiæ populos pro suis Apostolis Addæum & Thomam venerari, quo facilius ipsos in suos errores traheret, binos istos ipsis destinavit discipulos; quos quocumque antea apellarentur nomine, speciosis nominibus Addæum & *Thomam* appellavit. Sicubi autem legatur Manetem elegisse XXII. Discipulos, mendum etiam

Digitized by Google

ovina pelle tectus, ovibus & agnis insidiaretur, si pellis hæc esset illis ignota; novitate enim sua, potius gregem absterreret, quam alliceret. Deinde ex ipsis Scriptoribus Ecclesiasticis, maxime ex Nicephoro loco laudato constat, illum Thomam Manichæum ab Indis, *Multa dura passum, neque quemquam Doctrinam ejus recipere voluisse*. Si ergo illius Doctrinam non receperunt, immo illum tanquam Pseudo-Apostolum, male mulctatum propulsarunt Populi, qui Christiani S. Thomæ appellati sunt, aliunde quam à Thoma Manichæo tale nomen habuerunt. At Tillemontius *Forte tamen* (ait) *rediit postea in Indiam*. Forte tamen rediit postea? Sed unde habet, quod potius redierit, quam non redierit? Utrumque enim potuit contingere; atque adeo eodem jure, quo ipse asserit fortasse rediisse, nos contra ipsum asserimus, fortasse non rediisse; de possibilitate itaque non disputamus, sed quid factum sit inquirimus, quodque probabilius factum existimamus, id asserimus. Ad confirmationem, quam indirecte promovet ex Sueur Calvinista illo, ponitur ibi non solum circiter *annum* 800. (*a*) Sed ante aliquot secula, *anno circiter* 530. ævo Cosmæ Indico-pleustæ, quidam Thomas Edessenus, & amicus Cosmæ ad Sedem Persidis evectus, cujus curæ suberat Ecclesia Indica, à qua mittebantur Episcopi in Calecut hodie, (*b*) tunc dictam Caliana, de quo vide Montfauconium *Præfat. in Cosmæ Topog. cap.* 5. *num.* 6. *tom. Collect. Græco-Latinæ*. Unde fit ab isto Thoma, potius illos denominari potuisse; aut certe à Thoma alio, Cana dicto, cui Christiani illi plurimum incrementi acceptum referunt, ut constat ex *Hist. Concil. Diamper*: Nec deest alius Mar Thomas, ipsorum Christianorum Antistes posteriori ævo, doceri igitur volumus, à quoniam ex iis Thoma, fidem & nomen primo acceperint? Nos æquiori jure, id tribuendum esse censemus S. Thomæ Apostolo; & ad id asserendum, novum ex nuper dictis desumimus argumentum. Nam quod in India, tot sortiti fuerint nomen Thomæ, non aliunde provenire potuit, quam ex memoria, veneratione & cultu, erga alium Thomam, antiquiorem omnibus aliis, & excellentiorem; quem plane non fuisse Manichæum illum, cujus meminit Tillemontius, sed S. Thomam Apostolum, quam probabilius sit, nemo non videt. Tandem dicimus, fieri non potuisse, ut alteruter ex illis Hæreticis pro Thoma Apostolo coleretur ab Indis; ex eo quod ad Thomæ Cru-

putatur ab eruditis & scribendum XII. ex puncto uno X. Photius enim *lib.* 1. *Hist. Manichæorum nondum editæ*, quam vidit Thomas Milles, ut ipse asserit in notis, *in B. Cyrill. Hierosol. ad Cateches.* 4. *Editionis Oxonien. anni* 1703. ait: *Discipuli infausti Manetis fuere duodecim; Sisinius, qui & principia illius dogmatis accepit & Thomas &c.* Vide *edit. Cyrill. Paris. P. Toustee anni* 1723.

(*a*) Thomas Hadudita circa annum 800. sub Timotheo Nestorianorum Patriarcha missus est in Indiam cum sociis Jaballaha, Cardago & aliis; & istum fuisse illum eumdem Thomam Cana dictum putat Assem. pag. 444. Dissert. de Syr. Nestor.

(*b*) *Calecut* Urbs Indiæ in ora Malabarica sub Pio IV. erat Sedes Episcopalis ut apparet ex professione fidei facta per Abdjesum. Abulphedæ est *Gezirath-Cale* id est *Insula Cale*; idem Jesujabo Adiabeno; Cosmæ autem Indico pleustæ: *Calliana*. Montfauconius putat, hodiernum Calecutum, esse Callianam; Assemanus autem id asserit esse *Colon*, seu *Coulan*, in eadem ora Malabarica:

Digitized by Google

Crucem, & ipsius Sepulcri pulverem plura fiant Miracula; ut testantur Auctores laudati Masseus, Osorius, Gouvea, & alii; quæ cederent in confirmationem Manichæismi, & Nestorianismi, si propter eorum Hæreticorum corpora fieri crederentur.

XXVIII. Suspicionem præterea Tillemontii & aliorum, quod scilicet Thomas ille Manichæus, & non Thomas Apostolus Indis Christum annunciaverit, omnino vanam esse, esto auctoritate Theodoreti muniatur, compertum erit consideranti; quod Epiphanius, qui res Manichæorum, melius quam Theodoretus noverat; quippe qui, ut asserit ipse, cum illis, qui discipulos istos Manetis viderant, colloquutus fuit: is inquam, *Adverſ. Hæreſ. lib.2. tom.2. hæresi 45. sive 65.* Thomam *in Judæam abiisse* ait, non in *Indiam*. Accedit quod Archelaus Episcopus in Mesopotamia, qui Manetem ipsum docta disputatione confutavit, *non* in Indiam, sed in Syriam missum esse ait, à Manete illum Thomam, ex quibus V. Cl. Asseman *Dissert. De Syr. Mestor. pag.28.* putavit, in laudatum Theodoriti locum mendum irrepsisse, scribendo Indiam pro *Judæa*. Quæ omnia si rite perpendantur, satis superque constabit (quantum res hæc patitur) & validas esse rationes pro Apostolatu Thomæ Indis asserendo, & momenta contraria infirma esse atque invalida. Quamobrem coronidem primæ huic nostræ Dissertationi imponimus, verbis Ebedjesus (a) Sobensis *in Nomocanone* dicentis: *Sacerdotium Apostolicum accepit India, omnesque ejus, & circa eam posita regiones usque ad mare, à Thoma; qui rexit præfuitque Ecclesiæ, quam ibi fundaverat.*



DIS-

(a) Ebedjesus Metropolita Sobæ & Armeniæ floruit *anno* 1285.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De Thomæ Apostoli Martyrio, Sepulcro, & translationibus Corporis.

Apostolus Thomas Martyr occubuit; id uno ex antiquioribus negante, Heracleone hæretico XXIX. *Acta Martyrii ejus, vitiata à Leucio Carino, & Thoma, Manetis discipulo* XXX. *Necis causa, atque genus* XXXI. *Locus Martyrii Calamina, aut Meliapor* XXXII. *De vocis* Calaminæ, *ethymo atque analogia, pluribus disseritur* XXXIII. XXXIV. *Locus Sepulcri D. Thomæ apud Indos, & reliquiarum ipsius detectio, expenditur* XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. *Translationes Corporis D. Thomæ in medium proferuntur.* XXXIX. *Tempus Edessenæ Translationis illustratur* XL. XLI. XLII. & XLIII. *Transferuntur sacræ exuviæ Chium, & exinde Ortonam citerioris Aprutii Urbem* XLIV. *Aliæ translationes minus notæ aperiuntur* XLV. XLVI. XLVII. *De mirabili Cruce Divi Thomæ* XLVIII. *Momenta contraria, quæ à Tillemontio & Combefisio objiciuntur* XLIX. *Cassum ac evanidum ostenditur momentum petitum ab indivisione corporum SS. primis seculis* L. *Plurimis probatur, aliquando divisa fuisse SS. corpora, etiam seculis prioribus* LI. LII. *Tillemontius non sibi constans, Tillemontio opponitur* LIII. LIV. *Objectiones elumbes Combefisii, ad trutinam revocantur* LV. *Reliqua adversariorum argumenta, contra existentiam reliquiarum Thomæ Apostoli apud Indos, enervantur* LVI. & LVII.

XXIX.

POST assertam Indicam prædicationem D. Thomæ, gradum facimus ad inquirendum de ejus Martyrio, loco Passionis, & Sepulcri, atque Reliquiarum ipsius translationibus.

Annus emortualis D. Thomæ non satis liquet. S. Nilus apud Photium Cod. 276. scribit, obiisse post mortem Apostolorum Petri, & Pauli, qui Martyrio Coronati sunt anno Christi 66., aut juxta aliorum supputationem 69. Nec majorem afferunt lucem Tillemontius, Gotti, & Sandinus.

Quod autem Martyrii laurea coronatus obierit, unus negavit Heracleon Hæreticus Valentinianus, sequente nemine, ut refert Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Stromat.* Ceteri omnes communi sententia ipsum Martyrii Palma honestatum, venerantur cum Nilo mox laudato; Theodoret *lib.* 8. *de Curan. Græc. affect.* S. Asterio *Orat.* 10. Gaudentio *Ser.* 17. & aliis; suffragantibus Martyrol. Hieron. Florentinii pluribus in locis, pra-

Digitized by Google

precipue in *Indiculo Apost. pag.*145. Menolog. Græc. Sirleti *ad diem 6. Octobris*. Menolog. Basil. *ead. die*. Notitia Bollandi, & cum ea Martyr. Rom. *ad diem* 21. *Dec.* His adjungimus Scriptores rerum Indicarum, Petrum Maffeum, Osorium Episc. Silvensem, Goveam *Itin. Menefs. lib.*1. *cap.*1. tandem plures.

XXX. De illatæ Apostolo necis occasione, atque de Martyrii genere, varia varii recensent; at ista varietas circa Martyrium, veritatem rei, atque facti, minime labefactat; ceterum non tantum veritate narrationis, verum etiam quampluribus aliis intersertis, aut fabulis aut morologiis, Apostolorum acta vitiata, ac interpolata sunt ab Hæreticis; de quo videsis Ruinart *in Præfat. ad acta MM.* & de quo maxime queruntur Critici; quod potissimum de actis nostri Thomæ factum fuisse, compertum est; quæ non tantum à Leucio, seu Lucio (*a*) quodam, sed etiam à Thoma Manetis discipulo, sævientibus adhuc adversus Ecclesiam persequutionibus, depravata fuere, atque deturpata, ut optime notavit Florentinius in Not. ad *Indicul. Apostol. pag.*146. Unde apud P. Augustinum *Epist. adversus Adimantum cap.*17. ex actis Manichæorum apocryphis, habetur, Thomam à quodam fuisse colapho primo cæsum, & percussorem, cui Apostolus maledixit, fuisse in pœnam à Leone discerptum, sive ut habet Gouvea, ipsi fuisse manum à Cane obtruncatam. In Menolog. etiam Card. Sirleti *ad 6. Octobris* custodiæ mancipatum fuisse *à Rege Smidæo, propterea quod ejus opera crediderant, & baptizati fuerant Vazanes filius, & Uxor nomine Tertia, & Migdonia, & Narce, quapropter quinque Militibus traditur, qui ad montem quemdam ductum vulneraverunt*. Fere idem habet *Menelog.* Basilii *eadem die*; addit autem, quod Thomas post conversam ad fidem Uxorem Regis, & Filium, cum aliis vinctis jussus fuerit detrudi; Militibus autem custodibus corruptis, ingressus filius cum Matre, aliisque non paucis carcerem, omnes à Thoma baptizati sunt, *atque idoneo tempore ex illis ordinati Presbyteri, & Diaconi, qui in nomine Christi docerent, quod ubi rescivit Rex, jussit educi Apostolum è custodia, atque occidi. Abductum itaque Sanctum in Montem, lancea transverberatum interfecerunt*.

XXXI. Adstipulatur Martyrol. Rom. *ad diem* 21. *Dec.* quod jussu Regis lanceis transfixum, occubuisse affirmat. Joan. Pet. Maffeus *Hist. Ind. lib.*2. *fol.*32. scribit, Indos illos scisitantibus Lusitanis de gestis D. Thomæ, quem tanquam suæ Regionis Apostolum colebant, non è fama solum, sed è veterum etiam Annalibus protulisse, eum post multa Miracula, è quibus duo peculiariter narrantur; nimirum tractio ingentis trabis, è mare in littus, tenui & fragili zona revinctæ; & revocatio in vitam pueri, cujus mors S. Apostolo, falso imputabatur; demum post conversionem ad Christi fidem Regis Sagami; tandem Brachmanum livore, *telis primum, ac lapidibus appetitum, ob uno è Brachmanis lancea transf-*

(*a*) Lucas, seu Leucius Carinus, *Periodos Thomæ* confinxit; ut ait Photius *Bibliot. Cod.*114. *pag.*292. quas e plurimis fabulis contexuit: Eadem habentur Græce in Menæo *die 6. Oct. in Synaxario*. Rejiciuntur ab Athanasio, Epiphanio, & Gelasio Papa, locis apud Assemanum legendis in *Dissert. de Syr. Nestorian. pag.*30.

Digitized by Google

transfossum occubuisse; quodque memoriæ causa fragmentum hastæ, quæ inhæserat costis, baculum etiam præferratum, quo in peregrinando utebatur, præterea urnam fictilem cespite oppletam, qui manantem è vulnere cruorem ebiberat, juxtà ipsius corpus fuisse reposita. Osorius etiam vocat illum Regem *Sagamum*, pariterque scribit, S. Thomam fuisse à quodam Brachmane hasta transfixum, *lib.*3. *de Reb. Emman.* In Hagiolog. autem M. S. à Florentinio laudato, habetur illud Miraculum de manu restituta ei, qui Apostolo alapam impegerat, illudque de Puella Hebræa, de quo in *Hist. Synod. Diœcp. c.*1. meminimus; ea tamen accidisse ait, antequam in Indiam contenderet, in Civitate Mandrinopolitana; & inde profectum esse Thomam in Indiam superiorem, ubi convertit Treptiam Uxorem Regis Asmedei, conjectum proinde in vincula, super ignitas lances progredi coactum, ac tandem ab Idolorum Pontifice, gladio transverberatum obiisse. Communis igitur cum Isid. Niceph. Sophron. & aliis opinio est, lancea vulneratum Thomam Martyrii palmam retulisse: eum autem fere omnes circa rem ipsam conveniant; quod Rex ille dicatur Smidæus, aut Asmedeus; ejusque Uxor Tertia, aut Treptia, & alia ejusmodi, minoris sunt momenti; salva igitur substantia rei, levia hæc parvipendimus. Atque de Martyrio Thomæ, hujusque causa hactenus.

XXXII. Acrior contentio orta est inter Auctores, circa locum Martyrii, atque Sepulchri. Aliqui enim non memorato peculiari loco, tantum scribunt, Thomam passum fuisse in India. Ita *Martyrol. Hieron.* at *Romanum Brev.* legit, ipsum Thomam cum ad Indos pervenisset, Apostolatus honorem *Calaminæ* Martyrio decorasse. Recentiores autem censent hanc Calaminam eam esse Urbem, quæ nunc dicitur *Meliapor*, & ab aliis *Meliapar*, à Bergomensi nostro *in supplem. Malpuria*; quam eamdem esse putamus, cum ea, quæ ab Ortelio *in Nomencl. Ptol.* vocatur *Mappura*, cum in eodem tractu, atque Coromandelis oris, asseratur.

Aliquibus autem recentioribus incredibile videtur, quod ea Civitas, quæ modo dicitur Meliapor, fuerit antiquitus dicta Calamina; etenim (ait Tillemontius, cum quo iterum nobis res est) *Calamina* vox est prorsus ignota priscis, quod vero ea dicatur *Meliapor* ad præsens, ex eo deduci tantum, quod ibi novissimo tempore repertum fuerit, ut ajunt, Corpus D. Thomæ, quod aliis disquirendum relinquit: probabilius tamen Calaminam eamdem fuisse Urbem cum *Calamone*, quæ est Arabiæ Civitas, *ex Dict.* Llouyd. *pag.*223. cum facilius fuerit S. Thomæ Corpus, quod primis seculis fuit Edessam translatum, eo ex Urbe Arabiæ proximioris, quam è Meliapore in India sita deportari. Ita habet *ad Not.*4. *S. Thomæ tom.*1. *Hist. Eccles.*

At iste nodus percommode extricari potest. Etenim quod & Urbes, & ipsorum nomina, suos habeant ortus, interius, atque mutationes pro comperto habetur, ut videre est *in Append.* ad *Opus Geogra* Emman. Schelestr. *pag.*781. ubi quæ olim *Syrmium*, nunc *Hungaria* vocatur, & *Stridon*; & quæ antea *Larymna* modo paululum immutata voce dicitur *Laryſa*; unde non nisi inepte quis contendere posset, numquam fuisse

Digitized by Google

Larysam, quia fuit antiquis, vox incognita; cum facili negotio appareat, ex eo quod ab omnibus in eadem Regione collocetur, Larysam eamdem Urbem esse, quæ ab antiquis Larymna dicebatur. Non aliter asserendum putamus de *Calamina*, (*a*) quæ vox, ut fuerit priscis incognita, tamen *Calliana* in ea Indiæ parte adeo fuit nota, ut à Cosma Indico pleuste in sua *Topog. Christ.* enumeretur inter quinque Indiæ nostræ ab antiquis temporibus notissima Emporia; habet enim *lib. II. pag.* 337. Edit. Montfauc. *Celebriora porro Indiæ Emporia isthæc Sunt: Sindu, Orrhotha, Calliana, Sibor, & Male.* Jam nemo non videt quam naturalis, atque similis prolatio intercedat inter vocem *Calliana*, & *Callaina*, (*b*) aut *Calamina*, eo vel magis quod minori, ut apparet, proportione à Cl. Montfauconio, ex *Calliana*, hodierna *Calecut* deducatur.

XXXIII. Affinitate similis prolationis, nullus dubitat *Meliaporem* idem esse ac *Mappuru* antiquorum; unde sicut antiquis ignota fuit Laryſa, & Meliapor, si vocem spectes; notissima vero nomine *Larymnæ*, & *Mappura*, ita verosimiliter judicamus, notam fuisse antiquis Calaminam, quamvis aliter nuncupatam, nempe Callianam. Ex inde autem dictam Caliapor, aut Meliapor probabile videtur, quod cum fuerit in ea Regione præcipuum tunc Emporium; ex ista voce, quæ & Græca, & Latina, & Hispana est, *Emporio* & Voce *Cale*, aut *Male* (*c*) potuit coagmentari vox ista *Calempor*, aut *Maliâpor*; etenim legitur in Maffeo *lib.* 12. *fol.* 213. *Calapor*. Præterea dici potuit etiam (*d*) *Calamina*, locus ille, in quo Martyrium consummavit D. Thomas, & in quo demum sepultus est; si pensiculatius adnotaverimus, quod fere omnes, qui de loco Martyrii loquuti sunt, ut superius vidimus, Collem, & Montem tanquam passionis Thomæ locum, designaverint; accidere itaque potuit, ut quæ vox, Indis Christianis S. Thomæ, utpote Syriaco etiam Idiomate interdum utentibus, Montem in, aut extra Civitatem significabat, ea tanquam esset Urbis nomen ab aliquibus ex Ecclesia Occidentali,

(*a*) Profecto nescimus, quâ de causâ audita Voce *Calamina* isti auctores, adeo mirati sint, quasi nova insula, medio pelago antiquis incognita uno ictu emersisset: plane eadem Civitas a diversis gentibus diversis nominibus insignitur: nec apparet aliquis obex, quo minus idem vicus vel civitas, ab illis dicta fuerit *Male*, ab istis *Calamina* & ab aliis *Mappura* & *Malempor* &c. Antiquis fuit incognita *Viena* in Austria, *Madrid.* in Hispania &c. notissima autem illis erat *Vindobona*, & *Mantua Carpentanorum* hodie *Matritum*, & Arabibus *Madrid*. *Alepus*, *Halab*, *Chales*, & *Berœa* eadem est Urbs, & sub priori nomine notissima.

(*b*) Id ex legibus analogiæ vocalis asserimus, non autem quod omnino putemus certum Callianam, ex vocis sono, fuisse antiquam Calaminam; quod enim eadem Urbs nominibus prorsus dissimilibus proferatur sæpissime, omnibus est in comperto, & ex nota superiori liquet.

(*c*) Assemano idem est Maliapur, ac antiqua Male: cumque male esset Ecclesia filiis Callianæ, cujus Episcopis erat subjecta, teste Cosma Indicopleuste; ideo putamus occasionem accepisse Occidentales confundendi voces Callianæ, & Meliapor.

(*d*) *Calaminica* vocatur in Breviar. Apost. præfixo Martyrol. 4. Hieronim apud Martene tom. 3. Anecdot. *Lancea transfixus occubuit in Calaminica Indiæ Civitate*. In Blumaniano Breviar. Apost. ap. Florentin. dicitur *Calaminia*. Et Rabanus laudatus a Florentin. ad diem 21. Decemb. ait, passum fuisse Thomam *in Calamia* Civitate Indiæ.

Digitized by Google

tali, adhiberi; etenim *Calaminthe* est idem quod *Urbs in Colle Sita*, Syris enim גלמתא *Galmatha* sunt Colles, ut notat Bochart. in Geog. lib. 1. C. 24. Col. 483. unde *Calamina*, aut *Galaminta* idem esset ac locus Urbis supra Montem fundatæ, aut Mons prope Urbem; quod & innuitur à Scriptoribus, nimirum Thomam loco passum eminentiori; quod autem simili in loco repertum fuerit Corpus, aut Corporis Reliquiæ, testantur Lusitani earum Inventioni Synchroni, Maffeus, & Osorius; unde apud Syros idem est tali eminenti loco repertas esse Reliquias D. Thomæ, ac repertas esse in *Calamina Meliaporis*, aut prope Meliaporem, in vicina Calamina, aut Galaminta.

XXXIV. Quod autem Tillemontio videtur, ex eo quod illo in Dictionario *Calamonem* in Arabia reperit, ibi abs dubio ex affinitate vocis *Calamonis*, & *Calamina*; collocandum esse locum Martyrii, & Sepulcri D. Thomæ; hoc refutant Gardeboscus, & Gotti, ille *Hist. Eccles. part. 1. lib. 2. Dissert. 7.* iste vero *Tom. 1. de verit. Reliq. in D. Thoma*; potissimum quia Calamone in Arabia non constat notum fuisse Apostolum, aut ibi martyrio coronatum esse; *id quod nemo antiquorum; quos viderim* (ait Eminentiss. Gotti) *hactenus dixit*; id etiam addiderimus nos etiam, penes quos non minor est facultas consulendi Dictionaria, atque Tabulas Geographicas eodem jure divinando posse, ex vocis sono juxta *Geogr.* Du Plesis *tom. 3.* locum Martyrii D. Thomæ designare in una ex Insulis Philippinis, appellata, *Puloam*, alias *Calamina*. Quia tamen ingenti itineris distantia deterritus, designavit Tillemontius *Calamonem*, in proxima Arabia sitam, ut inde commodius corpus D. Thomæ transferri posset; nos etiam eadem ducti ratione, possemus deligere in proximo Peloponeso in Regione Mainottorum, ut habet Du Plessius *tom. 2. pag. 404. Calamatam Mainam*, & ex duplici voce *Calamina* alia, coagmentari posset: proferremus etiam in medium, *Calamatam* in Mogole, & *Calami* ad circulum Poli arctici ex *Cart. Geog.* Nicol. Sansonis denuo excusam Romæ, per *Dominicum de Rubeis anno* 1730. nisi æquali, aut majori distantia ab Edessa disjungeretur ac India: at solicitudini Tillemontii ob longinquitatem Itineris, parum inde solatii accederet. Ex iis itaque omnibus, & ex traditione Indorum Christianorum D. Thomæ relata supra ex Maffeo, & id asserente Apocrypho Dorotheo primus locus Sepulchri D. Thomæ videtur fuisse Calamina, ubi occissus asseritur: *obdormivit autem* (ait iste) *Calaminæ Civitate Indiæ, ubi & honorifice sepultus.*

XXXV. Quod attinet ad Sepulchrum D. Thomæ, novimus ex Maffeo *lib. 8. Hist. Indic. fol. 134.* quod initio assumti Portugalliæ Regni ab Emmanuele, missa sit in Indiam Classis; succedente autem ei Joanne III. *ad ann. 1521.* cujus 13. *Decemb.* Emmanuel obierat, nihil isti fuerit antiquius, quam Præfecto Classis commendare, ut Apostoli Thomæ Sepulchrum in Coromandelis littore pervestigaret; ejusque Reliquiarum partem (quarum aliam in Mesopotamia in veneratione esse non dubitabat) repertam, religiose, & cum dignitate custodiret. Quapropter Præfectus Oræ Coromandelicæ Emmanuel Frias, cum Sacerdotibus aliquot,

Digitized by Google

& Architecto, Meliaporem contendit, ibi enim situm Apostoli Corpus (a) audierant, atque inter rudera amplissimæ Civitatis, & cujusdam Templi vestigia, atque Sacelli, in quo Accolæ Reliquias Thomæ asservari affirmabant, dum altius effoditur humus, intra lapideæ structuræ septum, candidissima specie Ossa, & apposita Lanceæ cuspis, viatorii baculi frustum, & vas fictile (signa erant ista, quæ ex Annalibus priscis illius gentis, ut vidimus, memoriam Thomæ passionis indicare debuerant) quæ fidem facerent thesauri; inventa sunt. Biennio deinde post, eadem Ossa intra ipsam Arcam occulto loco, duobus tantum consciis Lusitanis abdita, ac postremo Goam à Fratre quodam Ord. Minor. translata fuisse, comperitur.

XXXVI. Ad *annum circiter* 1546. ex ipso Maffeo *lib.* 12. *Hist. Ind.* Osorio de Reb. Emm. *Lib.* 3. & Gouvea *Itin. Menes. lib.* 2. *cap.* 2. ejusdem fere temporis, Scriptoribus constat; iterum inventa esse alia Monumenta Thomæ Sepulcri, in suburbano colle Meliaporis, ubi, ut ferebat traditio, mactatus à Barbaris fuerat Apostolus; atque occasione cujusdam Sacelli, quod Thomæ memoriæ, & cultui extruere accolæ Lusitani satagebant; inter effodiendum inventus est quadratus lapis, sanguine inspersus, in quo insculpta visebatur Crux; lapideo autem in circulo, quo includebatur incisæ cernebantur notæ; quas consulti seorsim duo Bracmanes, non sine difficultate legere potuerunt, ibi innui Martyrium Thomæ (ut retulimus) eumque eamdem Crucem adorantem, eique infigentem oscula, Deo spiritum reddidisse. Cumque *anno circiter* 1561. non sine ingenti miraculo ea Crux prodigiose manaverit sudore, iterum ab aliis Indis peritis, relectæ sunt eæ Notæ; & earum explicatio cum priori ab aliis facta omnino conveniebat. De quo vide Osor. *lib.* 3. *fol.* 8. quæ res non exiguum est veritatis indicium. Quod autem apud Stapleton. *de Trib. Thomis cap.* 1. ex quodam P. Gasparo, atque scripta è Goa *Epist. anno* 1553. legatur præfata Sepulchri, & Reliquiarum inventio, & quod in *Sepulchro B. Apostoli, inventum Corpus satis amplum, & procerum suauissimum de se odorem spargit*; nescimus unde ista Gaspar hauserit, nisi ex infida, & falsa aliorum narratione, ut apparet; præsertim cum dicat Apostoli Sepulchrum in rupe excisum, & alia, quæ prorsus arguunt, eum potius vanos vulgi rumores, quam veritatem sectatum fuisse.

XXXVII. Quæ

(a) Ex Epistola quadam Vischerii, dum Cochino esset; & quæ habetur in Bibliot. Bremensi Fascicul. 4. Classi 5. pag. 763. contendit Crozæus pag. 42. eum, qui Indis primus prædicavit; & cujus cineres venerantur Indi & Lusitani, cujusdam Sarracenis esse *Mannacavasser* Persæ; quem teste Vischero, memorant Malabarenses; ut qui apud eos plura patrasset miracula. Ceterum 1. Lusitani nunquam, ejusmodi novi Apostoli, nomen audierunt. 2. Illum fuisse Manetis Discipulum, ut ipse contendit, non probatur; nisi sola vocis analogia: vi cujus id asseri posset de *Manethone Diospolitano*, qui ex Joseph. De Antiq. lib. 1. cap. 3. claruit sub Alexandro Magno (si tamen ludere licet) 3. nusquam in India, errores Manichæorum audiri sunt. Denique *Manes* Persa, de quo forte Vischerus loquutus fuerit; Nestorianus fuit, non Manichæus; at hic licet exilio pulsus, à Seleuciensi Sede, quam invaserat anno eodem nempe 420. tamen Hardascirum suam primam Sedem repetit, in Persidem relegatus. Neque Amrus, & alii ejus vitæ scriptores, ejus in Indiam itineris meminerunt.

Digitized by Google

XXXVII. Quæ hucusque diximus de Sepulchro, & Reliquiis D. Thomæ, ita revera se habere constabit, si animadvertamus, quod per plura antea secula, de Reliquiis Thomæ in illis Oris extantibus fidem fecerint Scriptores Veneti, toties laudati, Nicolaus Pater, & Marcus filius cognomine Pauli; *lib. enim* 3. *cap.* 27. scribit Marcus, quod in ea India *Servatur Corpus B. Thomæ Apostoli in Civitate quadam parva, nomine Malpuria* (ait adnotator) *ibi enim multi sunt Christiani, & Sarraceni debito honore Sancti venerantes corpus ..... & Christiani à longe venientes, & Sancti Corpus visitantes, asportant secum de terra illa, in qua vir Sanctus occissus dicitur, & de ea in potum missa, faciunt infirmos bibere*. Jam si hæc omnia, quæ *anno* 1270. circiter scripta sunt cum narrationibus scriptorum, quos superius numeravimus, ex quibus ad annum *circiter* 1522. signa Corporis D. Thomæ ex lancea, baculo, & vase fictili desumenda erant, quique non solum ad *annum* 1500. sed etiam, 1588. ea comprobata factis, & inventione Reliquiarum ostendunt; & rursus, quod ille mos asportandi pulverem ex Sepulcro D. Thomæ recenseatur etiam à Synodo Diamperitana *Act.* 8. *Dec.* 17. dicente, eos Christianos injecto tantum eo pulvere, Aquam benedictam ad ingressum Ecclesiarum asservasse; si inquam hæc testimonia cum illis antiquis conferantur, ita inter se convenire comperiemus, ut veteres illi verissimam conservasse traditionem, posteriores vero rem vere tenuisse, abs dubio dicendum videatur.

XXXVIII. Quod autem tempore intermedio ab ævo Pauli Veneti, usque ad inventionem Reliquiarum ad Meliapor, constans ea perseveraverit traditio, constat ex eo, quod ad *annum circiter* 1300, ut apparet, ex Haythono pene fusis omnibus Christianis ab India, tamen, ut ait *cap.* 7. in Urbe illa parva, ob Thomæ cultum permanserunt Christiani. Idem habetur *ad annum* 1333. *in Peregrin.* B. Orderici à se descripta in Bolland. 14. *Jan. pag.* 988. ubi ait, ibi positum fuisse Corpus Thomæ, *Ecclesia vero ejus nunc Idolis plena est, juxta quam quindecim Domus Nestorianorum sunt*, idest Christianorum Divi Thomæ. Consonant etiam ad *annum circiter* 1499. quo Joseph Indus à Lusitanis Romam adductus, de conservato in illa Regione D. Thomæ corpore testatus est; quæ autem Urbs ab ipso vocatur *Milapor*: (a) *In ipsius* (ait) *delubro Corpus D. Thomæ quiescit, quod claret innumeris miraculis*. Vide in *Nov. Orb. Edit. Basileæ apud Hervagium an.* 1532. *in Navig. Joseph Indi pag.* 153. De quo Josepho meminimus in *Hist. Synod. Diamper. cap.* 1. Idem habet Ludovicus Vartomanus, alias Ludovicus Romanus Patritius, suæ *Navig. lib.* 6. *cap.* 2. apud eamdem editionem *Hervagii pag.* 252. Ex quibus omnibus perspicue conficitur, illam traditionem fuisse verissimam, propterea quod sicut ista ex inventione Sepulchri novissima, comprobata fuit; ita vicissim quod Sepul-

(a) Amrus Matthæi filius ait ap. Assem. Dissert. de Syr. Nest. pag. 54. *Sepulchrum ejus* (Thomæ) *extat in Insula Meilan* (ita Meliapotam Arabes vocare asserit Assemanus) *In India, ad dexteram altaris, in ejusdem Monasterio*. Has ædes seu Monasterium ibi extitisse affirmant Thomas Jaballaha, Jacobus, & Denha in Epistola ad Eliam anno Græcorum 1815. Christi 1504.

Digitized by Google

pulchrum illud, & ossa fuerint D. Thomæ comperitur, quia illi traditioni, ejusque circumstantiis ex æquo respondit eventus: quodque ad ista consequitur, nempe, annales illos antiquissimos Indorum à Masseo recensitos, probatissimam traditionem conservasse.

XXXIX. Impeditiorem profecto rem aggredimur, dum Translationes Corporis D. Thomæ quoquomodo elucidare conamur. S. Greg. Turon. *de glor. MM. c.* 31. *pag.* 70. ait, Corpus Apostoli multo tempore apud Indos mansisse, ac postea in Edessam fuisse translatum; de qua re luculentum profertur testimonium ex S. Joan. Chrysostomo *Homil.* 26. toties laudata; ex Ruffino *lib.* 11. *cap.* 5. Sozomeno, Socrate, & aliis; adeout Baron. *ad diem* 3. *Julii* dicat id luce clarius constare. Idem Socrates *lib.* 4. *cap.* 18. ait, celeberrimam D. Thomæ Ecclesiam quamdam extitisse Seculo Quarto in Edessa, in qua ob loci celebritatem fere omnia Ecclesiastica cogebantur comitia. Deinde ut apparet ex Florentinio *in Indic. pag.* 147. & Ughelli *Ital. Sac. tom.* 6. *col.* 967. *& seq.* Edessa solo æquata, translatum fuit Corpus Thomæ ex ea Civitate ad Insulam Chio, & inde Ortonam Aprutii citerioris Urbem, *anno* 1258. & cujus rei meminit etiam Martyrologium Romanum.

XL. Hujus Edessanæ translationis tempus, si consulimus *Hagiolog. MS.* Florentinii, referendum est ad Imperium Alexandri, qui evectus fuit *anno* 222. ejus autem iter Orientale assignandum est *anno* 232. *aut* 233. juxta Tillemont. *in Alex. tom.* 3. *pag.* 198. in eo ergo Hagiol. *hæc* habentur: *Denique supplicantes Syri Alexandro Imperatori Romano: impetrarunt hoc, ut mitteret ad Regulos Indorum, ut redderent Defunctum* (Apostolum Thomam) *Civibus. Sicque factum est, ut translatum esset de India Corpus Apostoli, & positum in Civitate Edessæ in loculo argenteo.* Quod autem hic castigatione indigere videtur illud est, Thomam videlicet Edessenum fuisse asserere; contra communem Scriptorum opinionem, qui eum Galilæum, non Ofrohœnum asserit, ut cum pluribus notat Florent. *in Martyrol. ad Indic. Apostol. pag.* 172. & Sandinus *Hist. Apostol. pag.* 161. Id unum insuper adnotandum, quod Reliquiæ Thomæ *ad annum circiter* 1158. adhuc in Edessa servabantur, nam in Chron. Richardi Pictav. ap. Marten. *in Collect. Vet. Script. tom.* 5. habetur, quod in direptione facta per illud tempus à Sanguis Rege Alepi, quæcumque Sacra violata fuerint; inter quæ, *Corpus B. Apostoli Thomæ Gentilium contactu polluitur.* Aliæ item Reliquiarum Thomæ minus insignes translationes recensentur; translatæ sunt enim Reliquiæ D. Thomæ Apostoli Pragam, quæ translatio celebratur *ad* 6. *Id. Jan. in MS. ipsius Ecclesiæ*, ut notat Bolland. *in Adden. Jan. ad diem* 8. *pag.* 1098. Anno item *circiter* 814. quo floruit S. Angilbertus, dedicatum fuit ab ipso inter alia in Monasterio Centulæ, Altare S. Thomæ Apostoli, in quo ejusdem Reliquias reposuit, ut habet Bolland. *die* 18. *Feb. pag.* 99. Prope *annum etiam* 1087. translatum fuit ad Ecclesiam Barensem, ubi requiescit Corpus S. Nicolai, brachium S. Thomæ Apostoli, ut *ex Cod. M. S. Barensi* scribit Bolland. ad *diem* 22. *Jan. pag.* 414. Tandem *anno* 1587. à Joanne Borgia allatæ sunt Ulyssipone Reliquiæ S. Thomæ Apostoli, cum aliis,

Digitized by Google

aliis, quarum Catalogum habemus apud eundem Bolland. *ad* 25. *Jan. pag.*612.

Nec prætermittenda erat memoria Reliquiarum Apostoli Thomæ, quas S. Paulinus *Carm.*24. ut habet Tillemontius *tom.* 1. *Hist. Eccles. in S. Thoma pag.*359. meminit in Basilica S. Felicis Nolæ asservari; & etiam Muratorius ad Paulinum, in Operis Indice *V. Thomas*, id tamen memorat Paulinus *poemate* 26. *Nat. Carm.*9. *vers.*415. non vero 24. juxta editionem Muratorii ipsius, *Veronæ apud Ramanzinum anno* 1736. In Basilica etiam dicta *Concilium Sanctorum* Brixiæ, scribebat S. Gaudent. Brixien. Ep. Sancti Thomæ Reliquias custodiri: apud Gotti *tom.* 1. de *Verit. Relig. c.*6. §.2. *pag.*345.

XLI. Ut autem ad translationem Edessenam, unde digressi sumus, revertamur, illius traditionis meminit Gilo Parisiensis *lib.*3. *de Expedit. Hierosolymitana* apud Martenium *tom.*3. *Anecdot.* qui cecinit de Edyssa, aut Edessa.

Hic etiam Thomæ, qui Christi vulnera sensit,
Corpus ab Indorum regionibus esse delatum
Creditur.

Martyrolog. etiam Rom. post Usuardum, & Adonem hanc translationem memorant *die* 3. *Julii*; sicuti & Hieronymiannm Florent., & Hieronym. quintum ex Materne; Morbacense, & Corbejense apud eumdem Martene, quod simul cum Romano habent totidem verbis ad *diem* 21. *Dec. in Edessa Mesopotamiæ natalis, & translatio Corporis S. Thomæ Apostoli, qui translatus est ab India, cujus passio ibidem celebratur V. Nonas Julias*. Consonant Calendaria antiqua Corbejense *ad V. Non. Jul.* & eadem die Calendarium MS. Lyrense, deniqne Calendarium Hieronym. Lucense. At vero Martyrol. Florent. quod meminit translationis *ad* 3. *Jul.* id repetit, ad diem 18. *Decemb.* in hac ergo translatione, ut ait idem Florentinius, ad *diem* 3. *Julii omnia Martyrologia conspirant*: qua in re sine dubio auctoritate nituntur Ruffini *lib.*11. *cap.*3. cum quo Socrates, & Sozomenus; præter Chrysostom. *in Hebr. Hom.*26. & *Hom.*32. quæ ipsius nomine circumfertur *tom.*6.

Quo autem tempore facta fuerit ea translatio ex India Edessam, non est adeo exploratum; profecto ex Hagiolog. MS. Florentinii laudato, & ex Petro Equilino, seu de Natalib. *in Hist. SS. lib.*6. *c.*43. ad ævum Alexandri Imperatoris revocatur Edessena translatio, id est post *annum Christi* 233., quo anno expeditio Orientalis Alexandrina instituta videtur; & quidem id non pauca suadent: nempe propensio Alexandri in Christum, quem inter sua Idola collocaverat; benevolentia, qua Christianos complectebatur; Edessenorum plurima in ipsum merita, quippe qui ad Alexandrum ingentem Sagittariorum numerum, ad Germanos debellandos miserant; quodque ipsi gratissimum accidit, miserunt tempore maxime opportuno, quo de Artaxerse Persarum Rege victoriam reportaverat: si ergo Syri ab eo postulaverint, prout innuit Hagiolog. & Equilinus Præsul, ut Corpus Thomæ in ipsorum regionem ex India deferretur, pronum est, ipsos ab eo quod optaverant, exorasse.

Ba-

Baronius recensens istam translationem, ut factam *anno* 236. quod in ævum recidit Alexandri, ait id absque antiquorum testimonio asseri.

XLII. Quamobrem cum laudata Monumenta, sicuti ex iis deductæ rationes, ejusmodi non appareant, ut aliquid plus sint quam leves conjecturæ, dum alia probabiliora non producuntur argumenta, revocandam potius putamus Edessenam Thomæ translationem ad (*a*) seculum posterius; nempe ad tempus Sanctæ Helenæ Augustæ, Constantii Chlori Uxoris, & Constantini Magni Matris; tumquia eo jam temporis persecutiones Imperatorum desierant, quod de tempore Alexandri, quidquid sit de ipsius indole, atque ingenio in Christianos mitissimo, asseri non potest; tum etiam quia id maxime pietati, devotioni, atque peregrinationi ipsius Sanctæ Imperatricis ad loca Sancta, & alias Orientis regiones, studio demum speciali, quo in ejusmodi sacris perquirendis Reliquiis, ab omnibus Historiographis celebratur, illi præ omnibus congruere videtur. Cujus rei suffulciendæ antiqua nobis suffragantur Monumenta; etenim cum ad diem 8. *Februarii* habeatur in MS. Martyrol. Monast. S. Cyriaci Romæ, ut notant Bollandistæ *pag.*252. *ad hunc diem, Sancti Thomæ depositio*, quin exprimatur de quo Thoma sermo sit, in eam eunt sententiam, nempe quod ibi mentio fiat de Thoma Apostolo, ea potissimum de causa, quia ut habent ad *9. Februarii* in quibusdam Martyrologiis memoretur hac ipsa die: *Repositio S. Thomæ Apostoli facta per S. Helenam Augustam*. Quæ etiam ad 10. Februarii asserunt *p.* 379. attribui huic eidem diei in M.S. Florario: *S. Thomæ Apostoli repositionem per Sanctam* (*b*) *Helenam Reginam*. Quia tamen verbum illud *repositio* signare potest collocationem ejusdem Corporis in decentiori *theca*, aut Sacello; sicuti & translationem illius ex alio loco; idcirco validius prædicta non urgemus, id, quibus per otium liceat, relinquentes. Neque clariorem affert lucem Martyrol. Hieron. Florent. quod ad illam *9. Februarii* diem ita habet: *Depositio Sancti Thomæ Apostoli*; etenim æquali laborat ambiguitate, *depositio*, ac repositio.

XLIII. Id unum certum est, quod etiam adnotavit Honorat. à Sancta

(*a*) In Chronico Edesseno apud Assemân. tom.1. Bibl. Orient. pag.399. & 403. refertur ea translatio ad annum Græcorum 705. qui est annus Christi 394. die 22. Mensis *Ab* seu Augusti, sedente Cyro Episcopo, Quodque anno Christi 442.; Græcorum 753.; Anatolius Militiæ Præfectus fecerit arcam argenteam *in honorem ossium S. Thomæ Apostoli*. In illo igitur Chronico legitur num.38. *Anno* 705. Græcorum (qui est Christi 394.) *Mense Augusto die* 22. *advexerunt arcam Mar Thomæ Apostoli in templum magnum eidem dicatum, diebus Mar Cyri Episcopi*. Inde videtur istic memorari translationem, ex alio templo parvo, in quo primum (alteri dicato) arca fuerit collocata.

(*b*) Fuit etiam alia Helena Regina Adjabenica ex Orosio apud Baron. anno 44. n.66. quæ ante annum Christi 47. conversa fuit, in Adjabena, aut Assyria. Quæ tamen, ut recte probat Basnagius tom.1. Annal. pag.553. ex Josepho, tam ipsa, quam ipsius filii Izates, & Monobazus religionem potius Judaicam, non vero Christianam profitebatur; neque de ista dicere quis posset, nisi per turpissimum anachronismum, nostra loqui Martyrologia; etenim anno 47. adhuc in vivis agebat Apostolus Thomas; nec verisimile est, illam tandiu fuisse Apostolo superstitem, ut post mortem ipsius anno 73. ejusdem corporis depositionem curaverit: titulus etiam *Augustæ* nostram Helenam designat, non illam,

Digitized by Google

cta Maria Animad. *in Reg. Critic. lib. 5. Dissert. 6. art. 6. Constantium* (legi mallemus Constantinum) *& plerosque successores ejus, transferre fecisse pretiosiora Sanctorum Monumenta, quæ per Orientem universum dispersa erant, ut novæ Romæ* (id est Constantinopolis) *Ecclesias locupletarent*: atque ob eandem solicitudinem laudat Reginas in primis Helenam, Pulcheriam Augustam, & Galliarum Radegundem, Silviam, & Bussulam ejus Sororem, de qua meminit S. Paulinus, *Epist. II. ad Severum*. Et quidem ipsius Thomæ caput tempore Leonis Sapientis translatum fuisse Constantinopolim, antiqua Græcorum ferebat traditio, ut ex Combefisio habet Tillem. *ad S. Thomam*. Nec assentiendum esse putamus falso Abdiæ scribenti, raptum fuisse Corpus Thomæ à quibusdam de fratribus sub ipso Martyrii tempore, ut illud in Syriæ, seu Mesopotamiæ Urbem Edessam transferrent, constat enim ex Greg. Turon. *lib de Glor. M. M. cap. 32.* hanc translationem ex India Edessam, non statim factam fuisse, sed diu in India asservatum esse Corpus. Istam Edessenam translationem celebrant Græci *die 3. Julii*, ut habet Ughelli loco laudato.

XLIV. Cum per tot secula Reliquiæ Apostoli Thomæ Edessæ requievissent, vastata per Saracenos ea Urbe, eas translatas ferunt in Insulam fuisse Chio, & inde Ortonam citerioris Aprutii Civitatem; quarum translationum meminit Martyrologium Romanum, & habetur apud Ughellum *in Ital. Sac. tom. 6. col. 967. & seqq.* De ista translatione Ortonensi, ait Baron. in Martyrol. *ad 21. Decemb.* nihil se accepisse; Ughellus autem laudat *lib. 7. cap. 4. Revelat. S. Birgittæ, & Diploma Bonifacii Papæ IX. de Canonizatione ejusdem Birgittæ.* Ortonenses etiam producunt monumentum, quod exscribit ibidem Ughellus de *anno 1. Manfredi* Principis Tarentini, quod fuit *Christi* 1258. ubi dicitur, à Leone quodam ex Edessa diruta, atque direpta deductum Thomæ Corpus, atque (*a*) Galeæ impositum, transvectum fuisse Ortonam, *6. die Sept.* ejusdem anni memorati; indicatum etiam ajunt ipsi Leoni, ejusque Sociis, à quodam Monacho Edessano, Corpus Apostoli in Templo Edessæ, cujus Sarcophagum imagine Thomæ insignitum erat, in cujus etiam superiori parte legebantur hæc verba: Ἅγιος Θωμᾶς. Hujus Ortonensis translationis historiam una cum Miraculis Ortonæ patratis scripsit Joannes Baptista de Lectis Canonicus. Leo autem ille Ortonensis, Manfredi Classis Triremium Præfectus, honorifico & Sepulcro, & inscriptione, in memoriam illius translationis honestatus fuit post aliquot secula ab ipsis Ortonensibus, quam integram habet Ughellus, De translationibus ex India in alias dissitas Regiones hactenus.

XLV. Jam de aliis translationibus, quæ apud Scriptores Ecclesiasticos, Corporis Thomæ, ex una ad aliam ejusdem Indiæ Regionem memorantur, agendum nobis est. Id vero principio statuere oportet,

(*a*) Isto donatur nomine apud Ughellum, recensite in loco, vas nauticum; dictum etiam *Galeola*, a galeæ similitudine, quippe sinuosum: quomodo etiam a Nonio, & Varrone, ita vocatur Vas in quo vinum mensis adponebatur.

Digitized by Google

omnes pene rerum Indiæ Scriptores, meminisse Corporis D. Thomæ, ut apud Christianos illos extantis, ab *anno* 1259. & deinceps (etenim à primis seculis, usque ad ista tempora sola traditione, atque annalibus Indorum Christianorum superius laudatis id constare potuit) Meliaporem etiam, aut quocumque alio tandem insigniretur nomine apud antiquiores ea Urbs, Sacra Thomæ Lipsana, tanquam invidendum thesaurum occultasse. Deinde non minus constanter ab iisdem asseritur Scriptoribus, etiam supposita translatione Corporis Thomæ Edessam, in India ipsius partem, ac Reliquias asservatas esse; unde fit, omnes in eam conspirasse sententiam (si demas Gasparem illum supra citatum) ut non fuerit integri Corporis translatio, sed partis ipsius tantum, cum Florentinio *pag.* 148. dicente: *Quocumque modo Edessam ex Indis S. Thomæ Corpus translatum fuerit ipsius tantum portionem fuisse*; Cui adstipulantur Masseus, Osorius, Gouvea, Stapletonus, Ughellus loco mox laudato, Carmelitanus Gardebosc *tom.* 1. *Hist. Eccles. in D. Thoma*, & Eminentiss. Gotti: ejusdem etiam sententiæ assertorem habemus Baronium *ad annum* 236. dicentem: *Ceterum haud ipsum* (Thomæ Corpus) *integrum transferri permissum, certum est*.

XLVI. Cum ergo S. Thomæ Reliquiæ inventæ fuerint *anno* 1521. procurante, ut superius diximus, Emmanuele Frias Coromandelici tractus Præposito ex jussione Joannis III. expositæ permanserunt venerationi eo ipso in loco, ubi repertæ; biennio autem exacto, ut habet Masseus *lib.* 8. *pag.* 135. eadem Ossa intra ipsam Arcam occulto loco, duobus tantum conciis Lusitanis translata sunt atque abdita: quæ demum post duo de vigesimum circiter annum translata sunt Goam, à quodam Religioso Ordinis Minorum S. Francisci, ut etiam habet Lucas Vvadingus *Epitom. annal. ad ann.* 1523. & nomen illius apud laudatum habetur Vvadingum, dum ad *annum* 1540. *ait num.* 4. quod Fr. Antonius Patronus ad Meliaporem cum uno Socio profectus, illis Christianis Ecclesiæ Romanæ reconciliatis, Cœnobium Fratrum sui Ordinis erexit, *qui Sancti Apostoli* (Thomæ) *Reliquias, & Sanctuaria paulatim detexerunt*; Cum vero ipse ad *annum* 1523. *num.* 9. scripserit, (quod illo eodem anno quod etiam computationi Maffei respondet) inter ruinas Urbis Meliopoleos, id est Meliaporis S. Thomæ Apostoli, & cujusdam ipsius discipuli, ut etiam in laudato mox loco narravit Masseus, repertas esse Reliquias, quodque eas postea quidam Minorita, non sine peculiari industria transtulerit Goam; dicendum profecto est, inventionem istam *anni* 1540. eatenus accidisse, quatenus locus ubi *anno* 1523. abdita fuere Thomæ Ossa, oblivioni etiam, non magno temporis intervallo, fuerit obnoxius; post septemdecim autem annos inventas fuisse rursus easdem Reliquias; atque tunc à laudato Fr. Patrono Goam deportatas.

XLVII. Neque confundi debet hæc duplex Reliquiarum inventio cum nova detectione aliarum *anno* 1547. cum esset Indiæ Præfectus D. Joannes de Castro, quam refert noster Antonius Gouvea *in Itin. Menesf. lib.* 2. *cap.* 2. & Osorius *sub finem lib.* 3. *de Reb. Emman.* ex testimonio, quod *anno* 1562. Pontifex Cochimensis misit ad Henricum Cardinalem: immo

immo ex iis conjectare licet, quod ubi pars Corporis Thomæ, delata fuit Edessam, alia pars fuerit ad Meliaporem è Monte, in quo cruciatus, mortemque sustinuit, translata. Non, inquam, confundenda sunt hæc; propterea quod illa prima, & secunda, inventio fuit Reliquiarum Corporis; Ossium nempe; præ aliis ibidem repertis; pulcherrime candicantium; ista vera posterior, eo tantum nomine celebratur, quod in Colle, prope Civitatem Meliapor, loco, ubi ferebat traditio passum Thomam, & in quo Sacellum erat antiquum; in nova Ecclesiæ molitione effodientes terram, rudera, atque fundamenta vetusta offendentes; lapidem invenerunt, seu tabulam Marmoream, in qua erat miraculosa Crux D. Thomæ, ipsi tabulæ insculpta, atque maculis, veluti sanguinei coloris, inspersa, cum litteris, notisque incisis, uti superius diximus; inventa etiam est terra sub lapide, recenti, quasi sanguine imbuta, adeo ut ipsi lapidi etiam abducto, adhæresceret: Ossa vero reperta sunt nulla; nullum item Corporis vestigium; sed neque explicati ægre Characteres illi, aliud significabant, nisi, quod Thomas, divinus Vir, à filio Dei eas in Oras missus, tempore Segami Regis, plurimis patratis miraculis cum genibus flexis, ante Crucem illam oraret, à quodam Brachmane, hasta fuerit transfixus. Hæc autem est illa Crux, quæ hodie dum ab eo tempore, mirabili sudore quandoque madescit; præcipue ad *diem* 18. *Decemb.* B. Virgini, ob partus expectationem, sacrum. Unde patet, eum fuisse locum, in quo primo D. Thomas fuit sepultus; portione autem Corporis Edessam translata, pronum fuit reliquum Corpus, ad Urbis vicinæ Templum deportare; ibidem remanente interea eo in loco, ipso lapide, quo ejus corpus primo fuerat contectum: ex quibus conficitur; quod secundo loco dicebamus; nimirum, hanc Crucis lapideæ inventionem, vehementer probare translationem aliam, nobis incompertam, ex eo loco Collis Suburbani ad eum, in quo jacuit, atque latuit thesaurus iste, usque ad *annum* 1521. in quo facta fuit Ossium prima detectio.

XLVIII. Id etiam animadversione dignum est, nempè etiam illa diuturna temporis intercapedine, quæ inter translationem Edessanam, & novam Reliquiarum partis detectionem, *anno* 1521. decurrit: plurimas corporis Thomæ particulas apud eos Christianos, venerationis gratia, conservatas fuisse; at cum profecto incredibile prorsus videatur, eas minutas particulas ex Edessa ad Indos illos asportatas esse; evidens id nobis suppeditat argumentum ad asserendum, remoto omni dubio, partem Corporis Thomæ, perpetuo in India jacuisse. Quod autem ita sit; præterquamquod pluries diximus; satis constare poterat ex Haythono, & Marco Paulo Veneto retro elapsis seculis ante *annum* 1269. Corpus Thomæ ibidem gentium venerationi fuisse habitum; quod insuper evincitur ex Epist. scripta ad Remp. Venet. à Cretico, ipsius Reip. ad Regem Lusitaniæ Legato, qui recensendo Lusitanorum appulsum ad Regnum Malabar, ait, quod ubi venerunt ad locum, quo Corpus Divi Thomæ quiescebat, loci Dominus; *Sancti Corporis Reliquias in specimen amicitiæ, nostris* (Lusitanis) *dedit*: habetur autem hæc *Ep. in Editione*

Hervagli *pag.*130. loquitur vero ille detempore, præcedenti *ann.*1501. quo ipse scribebat.

XLIX. At vero quamquam hæc omnia momenta certissime perlegerint multæ eruditionis CL. Viri, Tillemontius, atque Combefisius; quibus optime consultum videbatur traditioni, quoad speciem secum pugnanti; nempe quod Corpus Thomæ, Edessam a tot seculis translatum, idem in India latens proximis detectum fuerit annis; ea nimirum ratione, quod (ut placuit probatissimis Scriptoribus, prout supra ostendimus) non integrum in Edessa Corpus, ut ferebatur, esset repositum, sed pars tantum ejus; alia parte in India remanente; nihilominus inquam, hæc opponit adversus institutam rationem Tillemontius *tom.*1. *Hist.Eccl.pag.*158. *Sed ut ut res fuerit* (ait) *satis difficile est, istiusmodi divisionis* (Reliquiarum aut Corporum SS.) *exempla primis seculis reperire. Neque P. Combefisius huic rei acquiescit; immo Indorum traditionem impugnat, & ex veneratione Corporis in Edessa; & ex Græcorum persuasione, contendentium, sub Leone Sapiente ipsius caput Constantinopolim allatum fuisse. Homilia etiam* 32. *de D. Thoma, quæ inter alias Chrysostomi habetur, satis dilucide indicat, corpus Apostoli integrum quidem ibi esse, ubi sermo ille habebatur.* Alia insuper addit de difficultate itineris, de causa translationis, quæ nulla apparet; tandem de illa Calamina incognita priscis; quia tamen ista, ut superius ostendimus, evanida sunt, ea consulto prætermittimus.

L. Quæ argumenta facili negotio dissipantur, si animadvertamus cum Honorato à S. Maria *lib.*5. *Dissert.*6. *art.*5. consuetudinem dividendi Ossa Sanctorum coævam esse fidelium pietati, erga eorum Reliquias: viguit ergo a primis seculis, sicuti pietas erga Sanctos, ita & Reliquiarum divisio. Testes producimus Greg. Nazianzenum *Orat.in Julian.* dicentem: *Sectis Corporibus* (Sanctorum) *integram tamen vim, & gratiam perseverare; tenuesque, ac tantillas* (a) *Reliquias, parem habere, multasque in partes, dissecto Martyre, virtutem*: Gaudentium Brixien. *in Dedicat. Basil.*40. *MM. Ipsa pars* (Corporum) *quam meruimus, plenitudo est.* Ambros. *Ser. in Festo SS. Nazarii, & Celsi MM. specialiter ii* (Martyres) *venerandi sunt a nobis, quorum Reliquias* (non quorum integra tantum Corpora) *possidemus.* Chrisost. *Hom.*65. *de SS. MM.* ait

(a) Nos non latet aliquando dedicata esse templa, adhibitis non particulis Corporum Sanctorum, sed aliis, quæ etiam dicebantur reliquiæ, nimirum *Brandeis*; nempe rebus ad Sanctos spectantibus, aut ad eorum Corpora, vel sepulcra applicatis: modo quo S. Gregor. Turon. *lib.*1. *de Glor. Martyr. cap.*47. *linteamina* seu *palliolas* Sanguine SS. Gervasii & Protasii imbutas, vocat *Reliquias* eorum: & similiter *lib.*2. *cap.*24. vocat *Reliquias* S. Juliani, *Fimbrias pallæ, quæ Sanctum tetigit tumulum*: & *cap.*44. parum *seræ* a sepulchro sublatum ipsius; & *ampullam olei* sepulcri S. Martini adhibitam, appellat *lib. de Glor. Confess. cap.*9. *reliquias ipsius Martini*: quæ quidem optime notavit Mabillon. *Præfat. ad Sec.*2. *Benedict. Observat.*7. Ea propter consulto prætermisimus testimonia, quæ de Brandeis Sanctorum sepulcro admotis, explicari possent; talia enim protulimus, quæ divisionem Reliquiarum, quam intendimus, ita evincunt, ut eludi non possint; cum de Corporum reliquiis aperte loquantur.

Digitized by Google

ait: *Sanctorum exuvias thesauris etiam longe pretiosores existere .... talis quippe est Spiritualium natura; distributione crescit, & divisione multiplicatur*. August. pluribus in locis, sed præsertim *lib.22. de Civit. Dei cap.8.* de miraculis ad præsentiam *Reliquarum S. Stephani*, Sermonem instituit. S. Paulinus *Poemate 29 editionis Muratorii*, loquendo de illis, qui corpora Andreæ Apostoli, atque Timothei Discipuli D. Pauli, Constantinopolim adduxerunt, ait eos donatos fuisse particulis Corporis, & quasi pretium laboris, illis permissum fuisse, ut eas auferrent.

Ossibus e Sanctis . . . . . .
Præsidia ad privata, domum sibi quisque referret.
Ex illo, Sacri Cineres, quasi semina vitæ
Diversis sunt sparsa locis: quaque ossa minuto &c.

Idem *Natali 9. Poem.26.* ait: plurimas SS. Reliquas in Basilica S. Felicis Nolani asservari, nimirum Andreæ, Joan. Baptistæ, *Thomæ, Lucæ*, &c. tandem *Vers.443.* ita Canit.

. . . . . Neque tantum qua jacet Ora
Totum Corpus, ibi positorum gratia, vivit;
Sed quacumque pii est pars Corporis &c.

LI. Ne autem multissimus in coacervandis hujus divisionis testimoniis, adducimus tandem Theodoretum qui *lib.8. de Curand. Græc. affecti:* ait, *Civitates, & Oppida hæc inter se* (Corpora Sanctorum) *sortita partiti sunt*: dixerat autem, non singula integra Corpora, in singulis monumentis recondi. Ex quibus apparet divisionem istam Corporum Sanctorum, a primis Ecclesiæ seculis fuisse in usu; nec enim laudati Patres de suo ævo loquuntur, sed res ab antiquis seculis petitas, in medium proferunt.

LII. Quia vero Tillemontius inculcat, difficilimum esse invenire exempla divisionis Corporum, petita a primis seculis; nos contra, difficillimum putamus, ipsum ignorasse, hæc, quæ pluribus omissis subjungimus. In primis ergo Joannes Launojus, aliique, ut impugnent adventum Magdalenæ, & Sociorum in Gallias, contigisse ante *annum 62.* Christi, asserunt apud Eminentiss. Gotti *tom.1. de Verit. Relig. cap.10. §.2. pag.530.* quod non potuerant venire nisi post *annum 62.* cum ex monumentis Ecclesiæ S. Mariæ de Mari, & Regii archivii Aquarum sextiarum constet, tunc allatum esse Caput S. Jacobi minoris, ab utraque Maria, Jacobi, & Salome: quod fortasse *anno 70.* afferri tantum potuit; cum juxta Eusebium *lib.2. Hist. cap.23.* S. Jacobi Sepulchrum, intactum manserit, usque ad eversionem Hierosolymæ; quæ eo contigit anno. Unde habemus exemplum divisionis Capitis, a reliquo Corpore, seculo primo. Cornelius etiam Papa, qui floruit *anno 254.* ut scribit Anast. Bibliot. *in ejus vita*, rogante Lucina, Corpora SS. Petri, & Pauli in opportuniorem locum, e Catacumbis trastulit; quo fideles, qui ex Oriente venerant, ut eorum Corpora, tanquam Civium suorum repeterent, ab incœpto revocaret, dum nescirent, quo in loco collocata fuissent: ut narrat S. Gregor. *lib.3. Regist. Epist.30.* Deinde Sylvester Papa, id attestante eodem Anastasio, reliquias eorum divisit (& quidem non

sine

sine majorum exemplo) & in Vaticano posuit (etiam adhibita statera) medietatem; *reliqua autem medietas, reposita est in S. Paulo; Capitaque vero in S. Joanne Laterano*. In quibus perspicue habemus; & divisionis Reliquiarum exemplum, & translationis Corporis; rationem etiam ea transferendi; nimirum fidelium pietatem ipsa suffurantium; & quamquam S. Gregorius, scribat Constantinæ Augustæ (a), Reliquias exposcenti: *In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est, atque Sacrilegum .... Pro quare de Græcorum consuetudine, qui Ossa levare Sanctorum se asserunt, miramur*; forte vel ad ævum suum, vel ad suam Romanam Ecclesiam respiciebat; nam alias ex Paulino, Augustino & aliis perspicue constat, etiam ante tempora Gregorii in Occidentalibus Ecclesiis, divisionem Reliquiarum viguisse: immo & in ipsa Ecclesia Romana; ut patet ex divisione Reliquiarum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, mox adducta. Cum ergo nos de Orientis partibus agamus, minus insolita videri debuit Tillemontio, vel translatio, vel divisio Reliquiarum Thomæ. Atque eidem subjacet censuræ, quod Ruinartius ait *De act. SS. in S. Theodoro pag.* 424. *Alia erat Ecclesiæ Romanæ disciplina, ubi Sacra Corpora, nequidem a loco sepulturæ movebantur*: etsi in Ecclesia Orientali frequentius esset, ea transferre, & dividere, quam in Occidentali.

Quinimmo de Reliquiarum divisione, alia plura etiam primis Seculis nobis suppetunt exempla, quæ contra Tillemontium proferamus etenim ex actis Martyrum probatissimis constat, quod S. Saturninus Episcopus, qui passus est *anno* 250. ut passionis acta habent, apud Ruinart *pag.* 111. Exuperio ejus successori, volenti reliquias ejus in nova Basilica reponere, verenti tamen, ne reliquiæ dividerentur, & diminuerentur; in somnis hæc loquutus est S. Saturninus; nempe pro certo habendum, *nullam fieri, vel diminutione Cinerum, vel commotione membrorum, spiritibus injuriam*. Hac etiam proculdubio animati fiducia, discipuli insignis Hispani, Martyris Fructuosi, Tarraconensis Episcopi, Martyrio laureati *anno* 259. statim inter se, ejus & Sociorum Reliquias diviserunt; quæ postea, iisdem monentibus, in eumdem locum sunt restitutæ, ut canit Prudentius *Peristeph. Hym. X. v.* 136.

Sed ne Reliquias resuscitandas
Discretis loca dividant Sepulchris,
Mandant restitui.

LIII. Tandem Tillemontium Tillemontio opponimus; primo cum ait, *pag.* 339. *De S. Thoma*; quod prope finem Seculi IV. habebantur reliquiæ Thomæ in Basilica Nolana; quod verum non esset, nisi pridem divisæ fuissent. Secundo, quia ipse Tillem. *in Theodosio* I. *artic.* 27. agens de

(a) De tempore, quo in Ecclesia Romana viguit disciplina, qua nefas ducebatur Sanctorum Reliquias dividere, videri possunt Christianus Lupus *tom.* 3. *edit. Venet. pag.* 191. & 192. totum etiam *cap.* 3. *Dissert. in Septimam Synod.* & eruditissimam *Dissert.* Justi Fontanini *De Identitate Corporis S. P. Augustini, a cap.* 34. & *deinceps*: extat hæc Dissertatio, in *Collection. Actor. edit. Venet. anno* 1729. *pag.* 273. studio Fulgentii Bellelli adornata totius Augustin. Ord. tunc temporis Generalis.

Digitized by Google

de lege ab ipso lata (*a*), ne Corpora defunctorum loco moverentur; *sub die 26. Februarii*, *anni 386.* ea etiam ait, comprehensa fuisse Corpora Sanctorum; ut obviam iret rapacitati aliquorum, qui undecumque *Membra Martyrum* suffurabantur, ut venderent fidelibus; & facultatem fecisse extruendi Ecclesias, aut Martyria, super immota Martyrium sepulcra, ne Reliquiæ dividerentur, ut fiebat; neve pia furta ulterius serperent: de quo laudat August. *De Opere Monac. cap.28.* Unde etiam Reliquiarum divisio perspicue comprobatur. Tertio dum scribens ipse Tillemontius de inventione Corporis S. Stephani Protomartyris, revelante Gamaliele, Luciano Presbytero, *anno 415.* ut habet *tom.2. Hist. Eccles. art.5. de S. Stephano pag.11. On en mit quelques os a part pour les laisser dans le lieu.* Et in indice *V. Reliquies: Le Corps de S. Estienne est divise .... & transporte en beaucoup d' endroits*: unde divisa, atque dispersa variis in locis Ossa S. Stephani, ipse Tillemontius fatetur; & in Africa loco superius laudato, & pluribus aliis idem fieri consuevisse fidem facit Augustinus; sicuti & de Reliquiis S. Vincentii Martyris Aragonensis *Ser.277.* asseruit.

LIV. Atque jam affatim ex præjactis constare videtur, & testimoniis, & exemplis; etiam ex Tillemontio ipso petitis; quod vel primis Ecclesiæ seculis, quandoque Sanctorum Corpora fuerint divisa, atque in varias regiones deportata, quo saltem jam fiat, ut non inter impossibilia, Reliquiarum Thomæ divisio, inter Edessam, & Indiam deinceps numeretur, sed inter res facto comprobatas; contra quod innuebat (juxta phrasim Tillemontii) familiaris ea callida, & officiosa vox *satis difficile*, ut etiam objectis exemplaribus contrariis, revinci falsitatis ipse non posset; cum aperte *impossibile esse* non scriperit, sed *difficile* (etiam si revera idem, hic sonare videatur) quod an æquo, an iniquo id animo asseverari potuerit, ab eo qui divisionem Reliquiarum S. Stephani memorat, immo & ipsius Thomæ, ex S. Paulino; alii Judices erunt; maxime cum eam non asseramus sub ipsius Ecclesiæ primordiis factam, sed seculo tertio, aut quarto; tempore etiam Helenæ, & Constantini Magni, pientissimorum Principum; quique non tantum auro, verum etiam pretiosioribus Reliquiarum Sanctorum Thesauris, Ecclesias quascumque honestaverint, atque munificentissime ditaverint. Validum etiam desumitur argumentum, ut notat Gouvea *Itin. Menes. fol.60.* ex eo quod eadem die & apud Indos, ante adventum Lusitanorum; & apud Occidentales; *nempe 2. Julii*; translatio Corporis Divi Thomæ celebretur: porro si totum Corpus Edessam fuisset translatum, nullis Reliquiis in India remanentibus, luctu non gaudio & solennitate, Indis celebranda illa fuisset; Edes-

(*a*) Theodosiana lex ita se habet: *Humatum corpus, nemo ad alterum locum transferat: nemo Martyrem distrahat; nemo mercetur. C. L. ult. de Sepul. viol.* Ubi cum verbum *distrahat* significet utrumque; nempe *vendere*, & in frusta discerpere, aut *dividere*: potius in ista quam in illa significatione, hic poni dicendum est; propterea quia, alio sequenti verbo *mercetur* venditio prohibeatur, mercatu interdicto: unde conficitur, quod, sive jure sive injuria, Martyrum corpora, ante ævum Theodosii divisa fuerint.

Digitized by Google

Edessanam enim sortem, ipsis præreptam, non est cur commemorare debuerint; nec enim tantum Barbari, sed honesti etiam quique, alienæ felicitati ægerrime plaudunt.

LV. Quod autem ex Combefisio opponebatur, destrui nempe Indorum traditionem de Corpore D. Thomæ (a) inibi extante, ex eo quod Edessæ veneraretur; deinde, quia tempore Leonis Sapientis ipsius Caput Constantinopolim translatum fuerit; & tandem propterea, quod *Homilia* 32. Chrysostomus satis dilucide indicat, integrum Corpus Apostoli eo loco requiescere: hæc, inquam omnia, nihil roboris habent; non quidem primum, quia in India, & Edessæ etiam in veneratione erat Corpus Apostoli; non quidem integrum, sed divisum. Non secundum; etenim, quod Caput inde translatum fuerit, probat quidem ibi præextitisse Caput, non vero totum Corpus; nisi supponatur; quod nemo hactenus vidit, Gaspare illo dempto, de quo supra, alicubi integrum, atque; incorruptum repertum esse. Non denique tertium; tum quia ea Chrysostomi Homilia, quamvis a Conciliis; præcipue Sexta Synodo Œcumenica sub ejus nomine laudetur; tamen ejusmodi est styli, atque elocutionis, ut Chrysostomo minime aptari possit; de quo judices appello lecturos quosque; quid enim est illud nescire se, an Thomas sit mortuus, an vivus? *Et mortuus est* (ait) *ut homo, & Mundum percurrit ut Angelus?* Quomodo *Novit Thomas Arium?* Quo pacto *totum Mundum implevit* (Thomas) *& in singulis locis integer manet?* Profecto hæc, natatorem Delium exigunt; quapropter cum Savilio, ipse Tillemontius, eam Homiliam Chrysostomo abjudicat, *Not. 26. in Arcadio, tom. 5. Hist. Imperat.* Deinde etiam hoc prætermisso, non apparet ex ea Oratione, quod Corpus ibi Thomæ extaret; nisi id gratis inferatur, ex eo quod prope finem habet: *Virgines, & adolescentes tuum Corpus amplectimur;* quod tamen vere dici potest, non extante integro ibi Corpore; eo modo dicimus, in Basilica Vaticana esse Corpora Petri, & Pauli, quin ex eo intendamus, ibi integra ipsorum extare Corpora; immo & veneratione *amplectimur* absentes; & est formula usitata loquendi: unde ibi *Corpus* ponitur pro Reliquis: si vero bene perpendatur illa Oratio, potius videbitur innuere, tantum Reliquias ibi quiescere Thomæ, sicuti & plurimis aliis in locis; etenim sub initium ait auctor: *Vicerunt Justi* (Thomæ) *Reliquiæ .... per universum Mundum gratia ipsum dispersit. Omnis angulus partem aliquam habet Thomæ:* ast adeo insolitis allegoriis atque figuris utitur, ut quo sensu id intelligi debeat, quamqnam impense nobis faveat; prorsus nescimus; cum ænigmata pene mera loquatur. Id unum reponimus (ut loqui potius de Reliquiis plene comprobetur) quod ad finem habet contraria objectis a Tille-

(a) Præsidenter Pagius *anno* 327. *n.* 10. posita ait, Edessana translatione, *Indiarum Nestoriani, qui Sancti hujus Apostoli Corpus, usque ad seculum elapsum sese conservasse effutiere valde confutantur:* nam probanda prius illi erat integritas Corporis in Edessa, quæ ægre probari potest. Nec auctores, antiqui Syri, Græci, & Latini, quos ait Assemanus, traditioni Lusitanorum refragari *in Bibl. Orient. p.* 34. aliquid conficiunt, cum tantum loquantur de reliquiis non de integro Thomæ Corpore.

Tillemontio verba; cum ait: *Suscipe Orbem cineri tuo supplicantem*: Corpus enim integrum & Cinis compati non posse videtur; nisi *Corpus* hic, cineres aut Reliquias Apostoli, ut arbitramur, omnino denotet.

LVI. Pauca tamen adhuc supersunt diluenda, quæ adversari nostræ sententiæ videntur, de divisione Corporis Thomæ, inter Indiam, & Mesopotamiam. Primo quod petitur ex Epistola Oddonis Abbatis Sancti Remigii, scripta *anno* 1135. *ad Thomam de Marlà Comitem*, quam exscribit Mabillonius *in Veter. Analect. pag.* 464. in qua quidem Indiæ Archiepiscopus, qui præsidebat Ecclesiæ, ubi Corpus S. Thomæ Apostoli requiescebat, narravit Romæ, quod quotannis ejus Corpus levatur e feretro ab Archiepiscopo, & in Cathedra Pontificali decenter collocatur; inde Archiepiscopus, & post eum suo Ordine cuncti, muneribus illum humiliter honorant; ipse autem Apostolus brachium erigit, manum aperit, & quidquid a fidelibus offertur gratanter accipit; si quis vero hæreticus Populo admixtus, oblaturus accesserit, manum contrahit, & nefanda munera accipere denegat. Secundo, quod ex Helinando, Bellovacensi, Gesnero, Sermonibus Discipuli, Dionysio Carthusiano, & Nauclero, scribit Stapletonius *de tribus Thomis*: locis apud ipsum videndis *pag.* 942. *tom.* 4. nimirum Joannem Indorum Patriarcham, qui *anno Christi* 1120. Romam peregrinationis causa venit, Calixto Secundo, Cardinalibus, aliisque Præsulibus præsentibus in Consistorio puplice declaravit, S. Thomam Apostolum, omni anno communicare Populum suum, manu propria porrecta dignis, & retracta ab indignis. Tertio tandem ex eo quod Petrus de Natalibus habet in suo *Catalog. Sanctorum lib.* 6. *cap.* 43. quod scilicet in Vigilia Sancti Thomæ quotannis reserato ejus tumulo, vel loculo argenteo, quod pendet ex argenteis catenis, per Archiepiscopum Edessenum, dum inchoat Antiphonam ad Magnificat: *O Thoma Didyme &c.* palmitem aridum vitis ponit in manu Apostoli, quem sequenti die viridem, ac recenti onustum vvæ racemo mirantur omnes. Igitur Thomæ Corpus non divisum, sed integrum perseverat, & quidem Edessæ, & non in India.

LVII. Ad ista autem respondemus, Divinam laudantes potentiam, apud quam non est impossibile omne verbum; credimus insuper, hæc, & multo majora fieri posse juxta Christi promissionem, a suis Servis; quamobrem nihil ambigentes de Divina omnipotentia & efficacitate intercessionis Sanctorum, jure dubitamus de portentis, supra enarratis; quousque majores omni exceptione testes non producantur, quales profecto non sunt, testes supra allati. Ratio dubitandi nobis est (omissis nunc aliis, ne ad nauseam usque responsum protrahamus) quod cum hæc omnia scribantur a laudatis auctoribus, postquam ex traditione Ecclesiæ Orientalis, & monumentis antiquioribus, ex Martyrologiis, & Sanctis Patribus probatum est, Reliquias Thomæ hinc & inde dispersas esse; partem Corporis Edessæ positam, partem in India remansisse; Caput Constantinopolim translatum; alias ejusdem Reliquias Nolæ, aliisque in Locis superius recensitis extare; evincitur eos

qui talia dixerunt, rem falsam narrasse; fieri enim non potest, ut Corpus ita divulsum, integrum ostendatur; quæ tamen dicimus aliter respondere parati, si hæc Miracula a seculis Ecclesiæ primis propalata fuissent, modo quo ab eo tempore de Reliquiarum distributione constitit. Quinimmo crederemus, ea, quæ de Corpore Thomæ dicuntur, alicui Sancti Apostoli statuæ (id enim etiam possibile fatemur) tribuenda esse, potius quam asserere, pauca Ossa, & Cineres Apostoli, ea recensita munera Edessæ, aut alio præstitisse unquam.

Placet tandem finem disserendi facere, venerationem, & cultum excitando, erga Divi Thomæ ceterorumque Sanctorum sacras exuvias, ex Canone qui Concilio Nicæno tribuitur, & exscribitur ab Ebed Jesù Sobensi *in Epit. Can. Par.5. cap.12. Placuit Œcumenicæ Synodo, ossa eorum, qui pro Christo, Orthodoxæ fidei martyrio coronati sunt, in Ecclesiis & Monasteriis collocari, ut egentibus opem ferant. Insuper singulis annis eorum memoria ab universis, Sacro ritu recolatur ..... quia per hoc ab Ethnicis, & reliquis sectariis differimus; qui Sanctorum Ossa, in quibus Deus vivus habitat, pro rebus fœdissimis habent; & quidam illorum, etiam Corporum resurrectionem negant. Quicumque enim Sanctorum sepulchrum honorat, una cum Sanctis Christum honorat.*



DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Religione, Moribus, & ritibus Christianorum S. Thomæ.

Christiana religio apud Indos per quatuor priora secula illibatissima LVIII. *De moribus & ritibus Indorum Christianorum D. Thomæ post exortum Nestorii Schisma* LIX. *Primus juxtaque accuratissimus earum rerum Scriptor, Cosmas Indico-pleusta* LX. *Ab Ecclesia Persidis, cui subjecta erat, hausit Indica Nestorianum virus: & de Sede Patriarchæ Nestorianorum* LXI: LXII. *De Christianis Indis sub annum Christi* 1203. *Num.* LXIII. *De religione ipsorum, anno* 1300. *Num.* LXIV. *De ipsorum disciplina anno* 1493. *sub Lusitanorum in eas oras appulsum* LXV. *De religione & ritibus illorum ab anno* 1500. *ad annum usque* 1588. *Num.* LXVI: LXVII: LXVIII: LXIX: & LXX. *De eorumdem ritibus ab anno* 1588. *usque ad annum* 1599. *Num.* LXXI: LXXII: LXXIII. *Anno Domini* 1599. *Christianos illos D. Thomæ lustrat atque illustrat insignis Augustinensis alumnus Alexius de Menezes, eorumque reformationem aggreditur, quam coacta Diamperitana Synodo plenissime perficit; atque ipsorum eo tempore religio atque errores accurate describuntur* LXXIV: LXXV: LXXVI: LXXVII: LXXVIII: LXXIX: LXXX. *Synodi irrisor Crozæus, eorum Christianorum erroribus, Romanis pares ineptissime appingit* LXXXI.

LVIII. QUam a S. Thoma acceperunt fidem, atque religionem Indi; (quod tanquam verisimillimum, cum melioris notæ Scriptoribus a nobis est assertum) ipsam illibatam, ac integram, usque ad ævum Nestorii eosdem conservasse, omnino compertum arbitramur; præsertim rejecta fabula illa, de conversione earum gentium, facta a Thoma Manetis Discipulo; etenim neque leve vestigium Manichæismi inter illos usquam potuit reperiri; quod impossibile fere esset, si semel ipsi Manetis erroribus quoquomodo fuissent imbuti; quod etiam adnotavit eruditissimus le Brun *in Exposit. Mis. tom.* 3. *Edit. Veroneu. ad Liturg. Nestorian. art.* 4. *pag.* 183. Cumque neque hujus Thomæ Martyrium (quod nullum fuit) apud eas gentes unquam in veneratione, aut in memoria habitum fuerit; reliquum est, quod solius Thomæ Apostoli fide, atque nomenclatura illæ præfulserint.

Enim vero ante medium sæculi IV. habentur Monumenta Christia-

næ Religionis Indorum, iisdem in locis, in quibus postea meminit ejusdem florescentis seculo VI. Cosmas Indicopleustes. Auctor etenim, qui acta Concilii Nicæni ordinavit, inter Episcoporum subscriptiones, obsignationem etiam affert Joannis Episcopi Persidis, & Magnæ Indiæ: μεγάλη Ἰνδία: *Act. Conc. Nicæn. Part. 2. C.* 28. Nec id accipi valet de India impropria, aut in significatione latissima: quandoquidem Theophilus Indus, missus à Constantio ad Homeritas, aut Arabiam felicem; ad propria dicitur remeasse, videlicet ad *Divu* Insulam, (*a*) ut habet Philostorgius; quam arbitrantur eruditi, fuisse Insulam Ceylan; & ex qua deinde ad continentem Indiam appulit, quo earum Ecclesiarum ritus observaret. Accedit, quod ex his, quæ Cl. Gottifredus *ad tit.* 4. *Codicis Theodos.* super hoc adnotavit, videtur omnino confici, Christianam religionem; jam diu ante Nestorium apud eos Indos floruisse; ut breviter animadvertit le Brun *pag.* 185. loco mox laudato. Unde ad ea usque tempora credendum est, eos Christianos, sicuti in fide, ita & in religione, moribus, atque ritibus communia ceteris Christi asseclis dogmata, atque cultus & vitæ consuetudinem retinuisse.

LIX. Superest igitur, ut de moribus ac ritibus Christianorum Sancti Thomæ, qui inter eos posterioribus ad Nestorium seculis vigebant, sermonem instituamus; & quamquam id animo insederat, nempe mores profanos a sacris sejungendo, agere de istis singillatim, servata tantum rerum serie, nec habito respectu ad ordinem temporum, aut chronologiam; quasi non admodum utile futurum videretur scire, quid *quo* tempore, vel observatum, vel desuetum esset; quia tamen agendum nobis est cum la Crozeo religionis reformatæ non inerudito homine, qui libello *de Christian. Indiarum*, mole quidem exiguo, invidentia autem ingenti, nescimus quo stimulatus oestro; tum omnia a Menessio, & Christianis S. Thomæ in Synodo Diamperitana acta, tumultuose impetit; tum etiam ex non usu aliquorum Sacramentorum; & rituum apud eas gentes, sicuti & ex ignoratione multorum dogmatum veræ fidei, perfricta prius fronte, & dogmata, & Sacramenta nostra de novitate insimulare audet; quasi in Ecclesia Indica, adeo antiqua, *nullo* unquam ævo nota fuerint, eo quod tempore Menessii, ipso fatente, ea prorsus non erant in usu; omnino, inquam, necessarium duximus, mores eorum, atque ritus, servato exactè ordine temporis, prout nobis Scriptores Indicarum rerum suppeditaverint, describere; immo & plura iterum exscribere: utroque enim fiet (quod maxime adversus illum intendimus) nimirum, quod dilucide constet omnibus, & dogmatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ doctrina de quacumque re, quo tempore desierit apud eos; quo etiam errores adversi incœperint; ne ut ille conatur, aut novitas erroris, antiquitas dicatur; aut antiquitas veri dogmatis, novitas vocetur.

Co-

(*a*) Aut fortasse cum teste Gemelli *in Itiner. tom.* 3. reperiretur in India, altera *Diu* potius ad istam rediit Theophilus perscrutaturus Indorum mores, quam ad Insulam Ceylan: quod enim *Divu* aut *Dive* significet Insulam, infirmum videtur fundamentum ad asserendum, illum appulisse Ceylan.

Digitized by Google

Cosmas igitur (a) Aegyptius, dictus Indico-pleustes, qui floruit seculo posteriori ad Nestorianum Schisma, quique primus omnium, quos novimus, de Christianis Indis sermonem texuit; diserte scribit in *Topog. Christian. lib. 3. pag.* 178. quod in Taprobana Insula ad interiorem Indiam, ubi Indicum Pelagus extat, erat Ecclesia Christianorum, ubi clerici, & fideles reperiebantur; an vero essent ulterius (forte loquebatur de Sinarum regione) se prorsus ignorare: ceterum in Male, ubi gignitur Piper, plane reperiri; in Calliana vero Episcopum esse, qui in Perside ordinari solebat. Idem ait contingere in Insula Dioscoridis (nunc Zocotora) in eodem Mari Indico sita, ac in ea clericos reperiri, ex Perside, ubi ordinantur, eo transmissos, ibi etiam Christianorum multitudinem versari; itemque apud Bactros, Hunnos, Persas, & reliquos Indos Ecclesias infinitas esse; Episcopos item, atque Christianorum Populos, magno numero; multos etiam Martyres, Monachos, & Hesychastas; sunt autem *Hesychastæ* Religiosi Silentiarii, qui a reliquis Monachis semoti, quieti, atque otio devoto indulgent.

LX. Plane laudatus scriptor omni exceptione major habetur; etenim, ut ait P. Montfauconius *in præfat. ad ipsius Topograph.* Aethiopicas maxime, Arabicas, & Indicas Regiones, nec Strabo, nec Ptolemæus, nec veterum quispiam tam accurate nosse potuit, quam Cosmas, qui multis annis præsens locis fuerat, & mira sagacitate Nationum consuetudines observabat. Ex ipsius ergo relatis verbis constat: primo ante ævum Cosmæ extitisse in Regionibus Indiæ propriæ, Ecclesias Christianorum, & Clericos: secundo in Calliana fuisse Episcopum, qui ab Antistite Persidis ordinabatur: tertio Monachorum extitisse Collegia, in quibus congregati degebant; sicuti & Eremitas, aut Hesychastas, qui soli vitæ contemplativæ vacabant: quarto demum Diaconos fuisse in illis Ecclesiis, ut ipse ait *pag.* 337. cum Presbyteris, & aliis Ministris, qui omnes e Perside mittebantur: *Extat etiam Ecclesia Christi advenarum ex Perside, ac Presbyter in Perside ordinatus, Diaconus item cum reliquo Ministerio.* Quæ meminisse juvabit, ut sequenti Dissertatione, la Crozæi machinationes omnino corruant.

LXI. Notat autem, & quidem optime Montfauconius *in Præfat. ad Cosmam* §. 3., & cum eo le Brun *in liturg. Nestor. art.* 2., quod omnes Indorum Ecclesiæ, ab Ecclesia Persidis dirigebantur, cujus Archiepiscopus Nestorianus erat, ut alii omnes Episcopi, & Presbyteri eidem subditi: unde inferri videtur, eo jam tempore Christianos Indos lue Nestoriana infectos fuisse; etenim Nestorii errores in Concilio Generali Ephesino confixi, *anno* 431. protervos defensores nacti sunt; maxime Alexandrum Episcopum Jerapolitanum, atque Metropolitanum Germaniciæ, quæ Patria erat Nestorii; immo & Ibas aliquando Nestorianis adhærens, non parum ipsorum doctrinam promovit, factus Edessæ Episcopus

(a) Cosmam istum Nestorianis adjudicat Grozæus in sua *Hist. Ind. a pag.* 27. mirum autem videri posset, quod sagacissimo, atque naris emunctæ Viro Montfauconio, operum Cosmæ editori atque illustratori hæc lues non subolueric, illius sententias expendendo, atque pertractando; verum canis sagacius canes odoratur.

Digitized by Google

Episcopus *anno* 435. in cujus schola publice doctrina illa, quæ *Persica* vocabatur, valide propugnata est. Ceterum vita functo Iba, Imperatores (destructa schola Edessena) Nestorianos omnes illinc excedere jusserunt. At cum Nestoriani, scripta Theodori Mopsuesteni, Syriace, Persice, & Armeniace transtulerint; illico ipsorum errores, Provincias Imperii Persici pervaserunt; & præsertim Mosopotamiam, Seleuciam item, & Ctesiphontem, Assyriorum Urbes. Cum autem Seleucia ad Tigrim sita, quæ eadem est cum (*a*) Babylone, de qua loquimur, & in qua Patriarcha, seu Catholicus Nestorianorum suum erexit Thronum, diversa sit ab alia Babylone, ad Euphratem posita, quæ multis antea seculis solo erat æquata; ab illa quidem Episcopi mittebantur, ad Indiam nostram. Erat autem tunc ista Babylon caput Regni Persarum, quam Arabes *Madajeno Cofra* id est *Urbem Chosroes* vocant: ubi obiter castiganda est Epistola Longhervæ ad eruditissimum P. Pagi, apud le Brun *ubi supra art.*3. qui dictam fuisse vult *Madajeno Castra*.

LXII. Babylon vero ista, Seleucia, & Ctesiphon unum idemque significabant; id est Urbem Cosroæ, seu Urbem Regum Persiæ, qui nomine *Cosroæ* apud Arabes appellantur. De isto Catholico intelligendi sunt Canones Arabici suppositi 38. & 39. quanquam hic, Seleucia appelletur *Almodajon*: quæ lectio retinenda videtur, atque præferenda Labbæi lectioni, qui posuit *Almodaion*; immo & Montfauconii, qui Labbæum castigat, substituendo vocem: *Almadaion*; at non bene uterque; tum quia conformior est vox *Almodajen* modo proferendi *Arabice* litteram *i* per *j*, ut ab Hispanis pronunciatur, sicut ח Hebraicum cum aspiratione, & sine Dagesch; tum etiam, quia ita scriptum reperitur ab eruditissimo Abraham Ecchellensi (*b*); ut videre est *tom.*1. *Concil. Gener.* Cl. Viri Josephi Catalani, nec sine laude recensendi, quippe, qui in Canonum, & Sacrorum rituum disciplina, sagacissimus habetur veritatis indagator, atque ejusdem ingenuus, apertusque cultor. Dirutis autem postea in Sarracenorum irruptione Urbibus Cosroes, Catholicus Seleuciensis, aut Patriarcha Babylonicus, sedem transtulit in Urbem Mausel (*c*), non

(*a*) Babylone solo æquata, Seleucia intra nonagesimum ab ea lapidem surrexit, ut ait Plin. *lib.*6. *cap.*26. auctore Seleuco Nicatore; nomine tamen Babylonis, Bagdadensem Urbem recentiores appellant. Patriarcha Nestorianorum Titulum Babylonis gerit; quique olim Seleuciæ & Ctesiphontis erat Metropolitanus. Et quidem Seleucus ille, teste Appiano *pag.*261. *novem Urbes, de suo nomine Seleucias appellatas, condidit*, quarum 1. est nostra Seleucia Babyloniæ, ad Tigrim; quæ olim *Coche* dicebatur; a Syris *Selik* & Arabibus *Selikia*.

(*b*) Consonat Asseman. *Dissert. de Syr. Nestor. pag.*777. qui ait, istam Seleuciam vocari Arabice non tantum *Selikia*, verum etiam *Madajen*; etsi hæc vox proprie utramque Urbem, Seleuciam nempe & Ctesiphontem significet. Quod autem præponitur ly *Al* significat magnitudinem rei, cui illa adjungitur præpositio: & etiam *Urbem*: & *Madajen* aut *Madaina*, & *Medinata* idem est ac *binæ Urbes* scilicet Seleucia, & Ctesiphon. In ordinatione Patriarchæ Nestorianorum, hæc dicunt Episcopi ordinantes eum ordinatum dare: *Huic sanctæ Sedi, in ista magna Cochensi Ecclesia, quæ est in Seleucia & Ctesiphonte Arsacidarum Urbibus &c.* In Cod. *Syr. Vatican.*14. *fol.*129.

Digitized by Google

(a), non procul a veteri Ninive. Ex Castello *in Thesauro Heptaglotto* Mausel sita est, in occidentali ripa Tigris, cui in Orientali opponitur Ninive. Hæc aliquanto fusius adnotavimus, tum ne legenti, ex Urbium omonymia aliqua æquivocatio subrepat; tum & potissimum, ut ea luce facilius intrusi apud Indos Nestorianismi Epocha, indagari valeat.

LXIII. Ab ævo Cosmæ, deveniendum est ad annum 1203. in quo cæto à Tartaris proprio Rege, nostram ipsi invadentes Indiam, ut scribit Vincent. Bellovacen. *in Fragment. apud Reinec. pag.135.* ea potiti sunt; atque interfecto Indiæ Rege David Presbyteri Joannis Imperatoris Indiæ (Tartariæ finitimæ) filio, constituerunt Regem Chingiscam; qui filiam David uxorem accepit: hujus Consiliarius ac Pœnitentiarius factus fuit Rabbanata, Monachus Nestorianus; qui tamen a Patribus Dominicanis, detectus fuit postea insignis impostor, & Hæreticus; ex quibus apparet Christianismum tunc temporis apud eas floruisse gentes. Deinde ad annum usque 1259. aut circiter; quo potissimum tempore scripsit suam Historiam Marcus Paulus Venetus; nullam habemus notitiam Christianismi Indorum; quam autem ex hujus scriptis haurire potuimus hæc est; ut ipse habet *lib.3. cap.23. & 24.* nimirum quod in Provincia *Maabar*; quæ & India Major appellabatur; quinque extabant Reges; in primo autem Regno, nomine *Var* erat tunc *Rex Sanderba*: *in qua Provincia ferebatur fuisse occisum Divum Thomam Apostolum, Corpusque illius adhuc in quadam conservari Ecclesia.* Apim præterea (ait) Indos adorare, seu Bovem, atque ut rem Sanctam Boves habere, neque ullum occidere; immo eorum adipe suas linire domos; cujus adhuc rei vestigia permanent hodie, dum stercore vaccæ etiam ad ora decoranda utuntur Christiani illi; ut in relationibus de rebus Madure legi potest: illud addit, multos ibi esse Magos, & incantatores, *complura etiam Monasteria, in quibus Idola coluntur.* Capite *autem* 27. cum retulisset ibi quiescere Corpus Divi Thomæ, ait ibi esse multos Christianos, debito honore Sancti Apostoli venerantes Corpus; quod etiam a Saracenis ejusdem Indiæ fieri testatur; addit insuper, apud eos illum vigere morem, *ut Christiani a longe venientes, & Sancti Corpus visitantes, asportent secum de terra illa, in qua Vir Sanctus occisus dicitur, & de ea in potum missa faciant bibere infirmos; & credant, illos hinc melius habere, atque a diversis liberari infirmitatibus.* Et continuo subjungit miraculum, quod posteriori tempore accidit, *anno* videlicet 1287. ad ejus tumulum, cum occupata a Rege illo Ecclesia S. Thomæ pro recondenda oryza, aut riso, terribili visione ipsi Sanctus apparens minatus fuit supremum exitium, nisi cito citius Ecclesiam evacuasset; quod fecit, *de qua* (ait) *visione Christiani lætificati, Deo, & Sancto suo gratias egerunt.* Meminit etiam

(a) *Mausel* Arabice alias, *Mosul Mosal*, & *Moxal*; est Urbs ad Tigrim in Mesopotamia, e regione antiquæ Ninives sita, Ecclesia fuit Episcopalis deinde Metropolitana; quæ aliquando Adiabenicæ, seu Arbelensi Ecclesiæ reperitur unita, & rursus ab ea separata.

etiam Insulam Indiæ, quam Scoiram (a) vocat; cujus incolæ Christiani sunt, & habent Archiepiscopum. Huic etiam Archiepiscopo subjectus erat Episcopus quidam Insulæ, quam vocabant (b) Masculinam, quia ibi Viri per novem menses separati a feminis degebant, quæ seorsim etiam a Viris, proximam illi incolebant Insulam; atque omnes erant Christiani, & proprium habebant Episcopum, qui etiam ipsis erat loco Regis: *Viri* (inquit cap. 37.) *Regem non habent, sed Episcopum, suum Dominum agnoscunt*: cui rei consonat, quod Maffæus; aliique Scriptores asserunt, nempe Episcopos Angamalenses plenam, & supremam habuisse auctoritatem in Christianos Sancti Thomæ, ut diximus *Cap. 1. Hist. Syn. Diamperit.* & infra recolendum est.

LXIV. Anno deinde 1300. quo floruit Haythonus, Monachus Præmonstratensis, atque Regis Armeniæ consanguineus, quique Historiam de rebus Orientalibus scripsit, in illarum regionum cognitione versatissimus, *Cap. 6.* ubi agit de Regno Indiæ, scribit, quod *in eo Regno prædicavit B. Thomas Apostolus fidem Christi, ac multas ibi convertit gentes, & Provincias, sed quia distant multum ab illis terris, in quibus fides colitur Christiana, ibi fides nostra est multum diminuta, nec est ibi nisi quædam Civitas, in qua habitant Christiani, omnes vero alii fidem Christi totaliter reliquerunt*. Unde videtur loqui de Civitate *Mappur*, aut *Meliapor*, ut hodie vocatur; atque perspicue inferri, quod priori seculo plures ibi religionem Christianam colebant, quam postea omnino abjecerint. Quod autem animadversione dignum putamus, illud est, nihil de Nestoriana lue eo tempore apud Indos memorari; forte ex hoc fieri videbitur, contra quod communiter creditur, serius quam putamus, eos in Nestorianos incidisse errores; eo quod, sicut hic scriptor loquendo *cap. 11.* de Regno Chaldeorum, ait de indigenis: *Illi qui in Chaldæa habitant Nestoriani vocantur, quia sunt in errore Nestorii, & literas habent Chaldæas*; profecto illud dicere non omisisset, si Indi eodem errore jam essent infecti; at hoc aliis dijudicandum relinquimus: maxime si sequentia perpendantur; etenim *Anno* 1330. quo floruit B. Odoricus Ord. Minor. *in Hist. Itineris sui apud Bolland. die* 14. *Jan.* de Malabar, quod *Mobar* vocat, scribit: *In hoc Regno positum fuit Corpus B. Thomæ Apostoli, Ecclesia vero ejus nunc Idolis plena est; juxta quam quindecim domus Nestorianorum sunt, qui sunt Christiani, sed pessimi Hæretici*. Obiit autem B. Odoricus vel Ordericus *anno* 1331.

LXV. Ab

(a) Non recte ab hoc auctore appellatur illa Insula *Scoira*; nec rectius ab aliis *Scotra*; quæ *Socotora* aut *Zocotora* nobis est; priscis *Dioscoridis Insula* in Oceano Aethiopico, ad ostium sita sinus Arabici. Quod autem ait Paulus, in ea Insula extare Archiepiscopum, id porro ad posteriora pertinet sæcula; nam ævo Indico-pleustes scilicet *anno* 535. *aut circiter*, Clerici tantum ibi memorabantur, qui illuc mittebantur, cum prius in Perside ordinati essent, nisi dicatur cum P. le Quien *tom. 2. col.* 1257. to *Clericos* apud Indico-pleusten, Episcopos designari a Perside illuc missos. Deinde illi Insulæ Episcopus datus fuit, Persarum Metropolitano subjectus, juxta Tabulam Eliæ Damasceni apud Assem. *tom. 2. pag.* 460.

(b) Insulas istas *Masculinam & Feminam* in plureis fabularum deponimus, quousque id nobis meliores contestentur auctores.

Digitized by Google

LXV. Ab *anno* 1331. usque ad *annum* 1498. quo Lusitani oras Indicas tenuerunt, nullam eorum Christianorum notitiam habemus; qualis autem esset Religionis ipsorum status ævo illo, perspicue cognosci valet ex scriptoribus, qui eas regiones postea viderunt, qui plures sunt, atque locupletissimi testes. Et primo Aloysius Cadamustus Venetus, (qui *anno* 1493. Hispania solvit) scribit in *Navig. Cap.* 52. *&* 53. tandem se pervenisse ad Urbem Christianorum pergrandem, quæ magnitudine superabat Ulyssiponem, quam Calechut appellabant: hanc coli ab Indis Christianis; ibi templa complura esse, & tintinabula; verum Sacerdotibus, & cultu Divino carere, inque iis delubris dumtaxat invenirı vasa quædam, aqua cum balsamo plena; singulisque trienniis gentes illas baptizari flumine quodam, quod Urbem præterfluit, ubi templa ex latere coctili, & calce, more Maurico conspiciuntur extructa. Et *Cap.* 58. ait, Christianos illos equitare in Elephantibus, & credere Christum natum ex Virgine Maria, neque peccasse unquam, & à Judæis Crucifixum, atque mortuum, & Hierosolymis sepultum. Papam vero sciunt Romæ degere; nec aliam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ notitiam habere.

LXVI. Petrus Aliares, qui *anno* 1500. a Rege Portugalliæ trophæum accepit, ut ad Indos peteret Orientales; ut habet Cadamustus *cap.* 63. *Navigat. suæ* nonnulla scripsit, quibus non absimilia habentur in *Epistolis*, quæ *cap.* 125. *& sequentibus* leguntur *in Navig. Alberici Vesputii Editionis Basile. Hervagii*; nimirum ex Calechuto devenisse ad proximam Insulam, ubi Divi Thomæ Corpus quiescebat, Insulæ Dominum, (*a*) Christianos advenas honorificentissime excepisse, & Sancti Corporis Reliquias in specimen amicitiæ illis dedisse.

Anno deinde 1501. Joseph quidam Indus, e Cranganore cum aliis Lusitanis Ulyssiponem applicuit, e cujus relatu habetur, *eodem libro cap.* 130. duplex hominum genus tunc Cranganorem incoluisse; alterum Christianorum, Gentilium alterum; Urbem illam trifariam dividi; Primores, id est Patritios, ac primæ clasis Viros, sua lingua *Naires* dici. Secundo loco homines esse nullius fere census, atque proletarios, quos *Canes* suo Idiomate appellant. Postremum locum tenere abjectissimos homines, qui *Nuiram* eorum lingua vocantur. Atque istos adeo Nobilibus invisos esse, ut si forte eos obvios habuerint, nisi fuga sibi consulant, pessime habeant. Privas tribus, priva (ait) habere delubra; Mulieres etiam alia habere Templa, quæ viri non adeunt. Loco primitiarum, fruges varii generis Deo offerre. Illos Deum Cœli adorare, eumque Trinum (*b*) credere, atque propterea trifontem eum sculpere, quem *Tambram* nuncupant. Plura deinde addit de ritu sacrificandi ipsorum.

(*a*) Frequentes adsunt Urbes & vici in oris Coromandelicis, & Malabaricis, quæ vocantur Insulæ; quin propterea intelligendum sit, longo eas a terra intervallo entra pelagus esse; etenim tantum ita dicuntur, quia fluminis alicujus intercapedine, a continenti disjunguntur; cujusmodi est Goa &c.

(*b*) Trinam adorare divinitatem, vel tres Deos Indorum gentes, compertissimum est. Horum primum appellant *Brama*, aut *Biruma*, & Malabares *Birouma*, atque

Gentilium, quæ omittimus. Deinde de Christianis scribitur, ab Ormutio ad Cranganorem usque nullos esse. In India vero plures esse Reges, qui Christum norunt; Christianos etiam Cranganoris, qui in magno sunt numero, vectigal pendere Regi Gentilium, tum pro Ædibus, tum pro rebus aliis tributum illi solvere. Christianos habere delubra nostris non absimilia; ceterum solas Cruces inibi conspici; Sanctorum Imagines haberi nullas; Templa concamerata esse, sicut nostra, atque in ipsorum crepidine Crucem prægrandem collocare consuevisse, sicut nos. Et quia nulla habent tintinnabula, Populum ad Divina vocare, Græcorum more. Christianorum Populos habere magnum Antistitem, ipsique adstare Cardinales duodecim, Patriarchas duos, Archiepiscopos vero, & Episcopos complures. Referebat præterea ipse Joseph se cum quodam Episcopo a Cranganore solvisse, atque in Armeniam majorem contendisse, ad suum Magnum Pontificem, a quo illum Episcopatu, ipsum Presbyteratu, decoratos fuisse asserebat.

LXVII. Addit præterea, Christianos illos, tam Indos, quam Catayos illum Pontificem appellare *Catholica*, ipsumque tonsuram Capitis in modum Crucis efformatam gestare; ab ipso etiam duos præfici Patriarchas; alterum pro India, pro Catayo alterum; Episcopos item prout opus fuerit, in Provincias mitti. Quia tamen ambigi posset jure merito, qua auctoritate ea munera præstet *Catholicus* iste, adjungit scriptor rerum Josephi Indi, laudatum Josephum de jure interrogatum Romæ ab Alexandro VI. his verbis respondisse: *Olim Petrum Apostolum Antiochiæ Præfectum fuisse, & cum Sancta Romana Ecclesia Schismate laboraret atroci, duce Simone Mago, Sanctus Petrus accersitus est Romam, ut Simonem confunderet, & laborantibus Christianis non deesset. Hic itaque Petrus non prius solvit Antiochia, concessurus Romam, quam Vicarium Antiochiæ præfecerit; & is est, qui Orientalem plagam moderatur, & dicitur* Catholica, *geritque Petri vices; hunc vero Catholicam præficiunt Cardinales duodecim in Armenia, & id jactant auctoritate Romani Pontificis facere.*

LXVIII. Quoad ipsorum ritus ajebat, apud eos esse Sacerdotes levitas, & Hypodiaconos; Sacerdotes non ferre tonsuram, sed nonnihil capillorum in summa parte Capitis habere: Infantes non baptizari ante quadragesimum diem sui ortus, nisi morte ingruente; Sacramentum Pœnitentiæ, & Confessionem sicut nos habere; Eucharistiam sacram sumere; Extremam Unctionem non habere; ejus tamen loco Corpora benedicere. In Templorum ingressu aqua benedicta sicut nos aspergi; Corpus Christi, & Sanguinem consecrare in azymis more nostro; si panis

Bramam istum, Mundi creatorem venerantur; & ab ipso Sacerdotalis Tribus *Bracmanum* vel *Braminum* vocatur. Secundus est *Isuren*; cujus familia vaccino stercore decoratur. Tertius *Vistnou* cujus cultores signis tor æ rubræ, aut candentis ferri, insignuntur. Adhuc tamen sub Judice lis est, de superioritate istorum trium; dum alii stant pro Brama, isti pro Isuren; pro Vistnou, illi; sunt etiam qui in tribus simul sumtis Supremum *esse* agnoscant. Videsis eorum figuras horrificas, apud Croze; à *pag.* 429.

Digitized by Google

nis adsit non fermentatus: ubi vero regio non fert vinum, uvas passas immergere aqua, quarum expresso succo, ad Consecrationem utuntur: funera prout nos curare, atque humare vita functos; immo pro sepulturæ officio, multos convenire, atque per octiduum simul commessari; peractis vero epulis preces effundere supremas. Testamenta etiam condere: Ubi vero aliquis intestatus decesserit, gradu proximiorem defuncto hæredem esse: eorum conjuges viris vita functis, cum dote abire in paternas ædes; ita tamen ut intra luctus annum non nubant. Præterea ut ibi additur, quatuor Evangelistas agnoscunt, totidemque Evangelia colunt; observant Quadragesimam, & Adventum jejuniis, & Orationibus per quam diligenter: atque a die Parasceves usque ad diem Paschæ, omni cibo abstinent; in Hebdomada Sancta nocte Feriæ sextæ Orationibus, & concionibus sacris jugiter insistunt. Hæc etiam per annum festa servant (a); nimirum diem Resurectionis cum duobus sequentibus; Octavum etiam Diem Paschæ, qui supra modum ipsis solennis est, quippe qui affirmant, ea die Divum Thomam in latus Christi manum intulisse, diem deinde Ascensionis eximie colunt; Festum etiam Trinitatis, Assumtionis B. Virginis, Nativitatis, & Purificationis ejusdem: Nativitatem Christi, diem Epiphaniæ, & omnium Apostolorum; dies etiam observant Dominicos. Primam vero Julii, mirum in modum colunt, in memoriam D. Thomæ non tantum Christiani, verum etiam Gentiles. Habent Cœnobia, ubi continentissime vivunt Monachi nigri; habent etiam Sanctimoniales quamplures; Sacerdotes vivunt castissime, & siqui comperti fuerint incontinentes, mox a celebratione Missarum interdicuntur. Divortiis minime utuntur; morigerati maxime; sed usque ad ultimam diem vitæ, cujuscumque conditionis fuerit Matrimonium, perseverat: ter in Anno Populus Sanctissimam accipit Eucharistiam. Doctores habent egregios, eosque eruditissimos; literarum enim studia ibi plurimum vigent; Prophetarum lectione utuntur; immo (ut habetur ex eodem Josepho) ibidem plures floruerunt Sancti Doctores, qui vetus, & novum Testamentum cordatissime explanarunt: utuntur præterea lineis tunicis; annum, ut nos in Menses duodecim dividunt, & habent intercalarem diem; verum dies partiti sunt in horas Sexaginta; quas interdiu aspectu solis; noctu vero Stellarum

(a) Observantiores esse fertur Orientales Nestorianos, circa jejunia; etenim præter ferias IV., & sextas totius anni, ista septem colunt jejunia. I. Quadragesimale jejunium a Dominica *Ingressus jejunii* quam nos Quinquagesimam vocamus per septem integras hebdomadas. II. Apostolorum per totidem septimanas a feria 2. post Pentecosten. III. Jejunium *Migrationis B. Virginis* a Kalendis Aug usque ad 15. aut Assumtionem. IV. Jejunium *Eliæ* seu *Crucis* per septem hebdomadas a Dom. 5. æstatis. V. Jejunium *Nativitatis* seu *Annunciationis* per quatuor hebdomadas a Dom. proximiori Kalendis Decembris. VI. Jejunium *Ninivitarum* seu *Rogationes* per tres dies a feria 2 ante 18. dies quadragesimæ, usque ad matutinum feriæ 5. Tandem VII. Jejunium *Virginum* tribus post festum Epiphaniæ diebus. Hæc tamen disciplina hodie paulum immutata est; & jejunia Eliæ & Virginum omnino sublata sunt.

(b) Ordinem festorum & Dominicarum Nestorianorum jussu Jesujabi Adjabeni dispositum lege apud Asseman. tom. 4. p. 380.

Digitized by Google

rum intuitu discernunt. Denique *cap.* 139. ait, quod in Regia Calechuti quæ est instar Theatri, sunt aulæ quatuor pro totidem Nationibus; nempe Indis, Mauris, Judæis, atque Christianis, in quibus uniuscujusque harum Nationum causæ cognoscuntur; præterea etiam ait, quod in *Milapar* est Corpus Divi Thomæ, cujus Ecclesia similis est Templo Sanctorum Joannis, & Pauli Venetiarum. Hæc ex illo Josepho Indo Cranganorensi, cujus meminimus in Hist. Synodi Diamperitanæ, accepimus; an vero studio Patriæ abreptus, nonnulla e penu propria gratis depromserit, eruditione valentes judicabunt.

LXX. *Anno* 1500. aut circiter (quo tempore floruisse videtur) Ludovicus Vartomanus Bononiensis, dictus etiam Romanus Patritius, quique nostram Indiam diligentissime observavit; asserit *lib.6. Suæ Navigat. cap.2. apud Collectionem Hervagii*, se vidisse in Calecut nonnullos Christianos, qui memorabant, Corpus D. Thomæ non longe ab ea Urbe, id est ad duodecim millia passuum extare; atque Sancti Corporis custodiam, quibusdam Christianis delegatam esse; eo autem tempore male ibi accipi Christianos, postquam Rex Lusitanus arma iis gentibus intulit; quamquam Regi Narsingæ cari semper existerent, eo præsertim, quod ante quadraginta quinque annos, cum conseruissent manus Christiani cum Mahumetanis, Christianus quidam, sauciato lacerto, ad Divi Thomæ Sepulchrum contendit, qui eo tacto statim convaluit, a quo maxime tempore, Rex ille Christianos impense favere cœpit. De statu autem illorum Christianorum clariores firmioresque notitias habuimus postquam ab *anno* 1500. frequentiora itinera institui cœperunt a Lusitanis ad Orientalem Indiam: illorum igitur Religionem, & mores, prout ipsis Lusitanis comperti eo tempore fuerunt, describendos suscipimus, servato Scriptorum Ordine, qui de illis pertractarunt; ab eo inquam ævo, usque ad tempus, quo studio Menesii ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redacti sunt.

LXX. Igitur Petrus Mafeus e Societate Jesu, qui suam historiam edidit *anno* 1588. quam maxime consonat cum iis, quæ Osorius Episcopus Silvensis, paucis antea annis ediderat, in *Hist. de rebus Emanuelis*; atque ab istius notitiis exordium ducentes, legimus *lib.3. fol.83. editionis apud Brickmannum* 1586. Regionem Narsingæ a Christianis illis etiam coli, qui Thomæ, fidei disciplinam acceptam referunt, & quam in tanta temporum varietate, Regnorum commutatione, & in adversis rerum vicibus, invicta semper fide, & constantia retinuerunt; in ora etiam Regni Narsingensis, Thomam sepultum fuisse; cujus etiam Templum, non a Christianis tantum, verum etiam a Saracenis, ac reliquis Ethnicis habetur Sanctissimum. Illorum autem disciplinam persequitur, *ubi fol.* 107. de Cranganorensibus agit; asserit autem, quod Christiani habent Templa, at non satis eleganter extructa, eo quod tenues sunt illis opes. Diebus Dominicis in Templum conveniunt, ut Sacris interfint, & Conciones audiant. Summus eorum Antistes in Montibus, qui ad septentrionem spectant, a Mari disiunctissimis, in Chaldæa Regione Sedem habet. Is cum duodecim Cardinalibus, & duobus Patriarchis, mul-

multisque Episcopis, qui in consilium similiter adhibentur, omnia, quæ ad religionem sanciendam pertinent, decernit. Huic omnes Christiani Orientales obtemperant. Sacerdotes in capite ita sunt attonsi, ut Crucis (a) imaginem in vertice Summo contineant; Vino etiam utuntur in Sacrificio Missæ, ex uvis passis expresso.

LXXII. Omnibus sine discrimine Eucharistia sub utraque specie porrigitur; nemo tamen ad eam sumendam accedit, nisi, præmissa Confessione, animæ sordes eluerit. Infantes ante quadragesimum diem non baptizant, nisi vitæ discrimen adsit. Dum quis periculoso premitur morbo, invisitur a Sacerdote, cujus deprecatione, alleviari confidunt ægrotum. Ad ingressum Templi lustrali aqua, ut nos, aspergunturi; eodem etiam ritu mortuos sepeliunt, quo tempore cognati, & affines per Octo dies convivia celebrant, deinde pro sempiterna eorum salute, Christum deprecantur. Viduæ quæ ante luctus annum nupserint, dotem amittunt. Sacra Biblia Syriaco idiomate, quod Chaldæum nominant, scripta habent, & colunt; loca etiam sunt publica, in quibus Interpretes Scripturæ, ipsorum intelligentiam, diligenter audientibus expediunt. Adventus, & Quadragesimæ jejunia exacte observant; festa etiam summa cum Religione, & solennitate celebrant. Eandem anni computationem, cum intercalari die quarto quoque anno, ut nos observamus, diligentissime retinent. Kalendas Julii non Christiani tantum, sed etiam Indigenæ Gentiles in D. Thomæ honorem, perquam festivas habent. Extant præterea apud illos, & Monachorum Sodalitia, & Virginum sacrarum cœtus; ædibus tamen (b) semotis includuntur; atque ab illis, summo studio, pudicitia conservatur. Sacerdotes Uxores ducunt; prima tamen mortua Uxore, nuptiis interdicuntur. Ceterorum Matrimonia sola alterutrius conjugis morte dirimuntur. Hanc morum institutionem a tempore Apostoli Thomæ repetunt, non solum Cranganorenses, sed plurimi alii Christiani, qui sedes habent in India; illius autem Corpus in Malipur, Regni Narsingæ Urbe asservatur, atque plurimis Miraculis effulget. Quam bene ista omnia, quæ habet Osorius, cum iis, quæ ex aliis retulimus, & maxime ex Ludovico Vartomano, cohæreant, nemo non videt.

LXXIII. Maffeus deinde *lib.2. Histor. Indic. fol.31.* appulsum describit Lusitanorum in Indiam Duce Gama, cui Cochimo existenti, legati affue-

(a) Joseph Judus *in Navigat. cap.13.* suo tempore testatur, Patriarcham Nestorianorum, similiter in formam Crucis attonsum esse. Hodie neque tonsura, nec veste a Laicis eorum Clerici discernuntur; in quo, testibus Barhebræo, Margensi, & Amro, ab antiqua disciplina discedunt. Cl. Thomasin. *tom.1. De Disciplin. lib.2. cap.44* asserit, per priora octo secula, nec veste neque vestis colore in Oriente Clericos a Laicis potuisse distingui.

(b) In Monte Libano communibus continebantur ædibus Monachi & Moniales usque ad *annum* 1736 dum in Synodo ad Loaysam sub D. Assemanio Papæ Ablegato; id fuit vetitum; & contradictores repressi *anno* 1741: confirmato Canone a Bened.XIV. Ceterum id erat antiquissimi moris, in plurimis Orientis Regionibus; constat enim quod in ædibus Parentum S. Greg. Nysseni, viri incolebant anteriorem partem, & interiorem *Sacræ Virgines cum Sancta Macrina*: Vide Bollan. 9. *Martii pag.6. num.12.*

Digitized by Google

affuere a Christianis Cranganorensibus, ex illis, quos Apostolus Thomas ad sanam Religionem, ac fidem, a Bracmanum fabulis, & impura superstitione traduxit. Refert etiam traditionem eorum, de prædicatione Indica, & Sinica D. Thomæ; de ejus Martyrio, & Sepulchro, prout in Dissertationibus scripsimus; quæ omnia ait, sciscitantibus Lusitanis, eos non e fama solum id se scire, sed etiam e veterum annalibus edidisse; quinimmo, pueros Malabaricos, & Thomæ laudes, & ipsius Martyrium patrio carmine, ex more decantasse. Addebant D. Thomam, cum tribus Magis, qui monitu Sybillæ Indicæ, & Stella duce Christum adoravere natum, colloquutum esse; in iis autem ait cautissime Mafeus, se suam interponere sententiam in rebus tanto locorum, & temporum intervallo dissitis non audere; satis tamen constare, Thomam in Coromandele, ad Gangetici sinus tractum, martyrii palmam tulisse; atque ab ipso ingentem hominum multitudinem, variis Indiæ dispersam Regionibus; ad hæc usque tempora, Christi nomen, fidemque tenere; quanquam ex Armeni Patriarchæ Nestoriani doctrina, a quo Episcopos paulo ante tempora ista, accipere consueverant, multis erroribus inquinatam Religionem profiteantur. Apostolicas (prosequitur) ceremonias magna ex parte obeunt; Altaris mysteria religiose venerantur; eoque viatico decedentes e vita se muniunt. Adventus Domini, & quadraginta dierum jejunium diligenter observant; quotidianæ Psalmodiæ, & Sacris insistunt: Christi Domini, Sanctoramque festa rite concelebrant; præcipue vero Octavam Paschæ diem, aut Dominicam in Albis, ut nos vocamus; quod eodem die incredulus antea Thomas, indito in Christi latus, ac vulnera digito, Dominum suum, ac Deum suum, præclara testificatione confessus est. Alia præterea multa ex majorum traditione observant; eo majori fide, & constantiæ laude, quod ob id ipsum, non modo a Mahometanis hominibus acerbe vexantur, sed etiam a Regulis Ethnicis in servitutem redacti, cum alias acerbitates, & contumelias perferunt, tum vero sedem, ac domicilia iniquis pensionibus redimere, subinde coguntur. Hæc quamquam presse, pro more a Mafeo scripta sint, eumdem Religionis, & morum tenorem, qui a præcedentibus Vartomano, & Osorio delineatus est, repræsentant; quique sub adventum Lusitanorum, inter illos Christianos obtinebat; quomodo autem res se haberet, post integrum seculum, sub Menessii visitationem *anno nimirum* 1599, jam damus,

LXXIV. Igitur quo tempore Menessius illorum Christianorum reformationem ex præscripto Clementis Papæ VIII. aggressus fuit, hæc erat Religionis ipsorum, atque morum status, prout noster Antonius de Gouvea, literis consignavit *Conimbriæ anno* 1606. & habetur *à fol.* 58. *itineris Menessiani*: nimirum vix aliud, quam Christianorum nomen retinebant, ut accidit iis, qui ab Ecclesia Catholica avertuntur: placitis inhærentes Nestorii, veritatem Dominicæ Incarnationis in unitatem suppositi, vel Personæ, denegabant; & ex consequenti injurios se SS. Dei genitrici Mariæ ostendebant; non tantum negando, ipsam fuisse *Dei Matrem*, verum plura inepta, adversus partus Mariæ munditiem effu-

Digitized by Google

effutiendo. Imaginum cultum, præter unius Crucis, non agnoscebant, tamen in aliquibus Ecclesiis, exemplo Lusitanarum, quæ erant illis proximæ, aliquas Sanctorum depictas tabulas super Altaribus collocabant. Animas Sanctorum ante diem Judicii Dei visione donari, negabant. Præter Baptismum (in cujus collatione fere singulæ Ecclesiæ, diversam formam applicabant) Ordinem, & Eucharistiam tantum agnoscebant; & Baptismum quidem, post mensem, annum, & decennium plerumque conferebant; integri etiam erant populi non baptizati, vel desidiæ causa, vel pretio deterriti, quod Simoniace a Cassanariis exigebatur pro Baptismate; qui Eucharistiæ nihilominus communioni accedebant; nec in Baptismate oleo consecrato utebantur; quia tamen in Ritualibus antiquis olei mentio fiebat, idcirco baptizatos simplici oleo nucis Indicæ (vulgo *Coco*) vel sesami, quo alias membra, sanitatis studio perfricabant, quasi rem sanctam facerent, inungebant. Confirmationis, & Extremæ Unctionis nullam habebant notitiam: Sacramentum Pœnitentiæ extremo prosequebantur odio, cujus loco diebus Dominicis, in Ecclesiæ medio, ignem apponentes, atque multo thure injecto, illius suffumigationem haurientes, peccata fugari credebant; quamquam id fere in desuetudinem abierat.

LXXV. Eucharistiæ Sacramentum colentes, ipsum omnes sumebant feria V. in Cœna Domini, aliisque diebus solennibus in anno; at nulla alia præparatione, quam naturali jejunio; in libris tamen eorum plures circa hoc Sacramentum errores reperiebantur; sicuti & in liturgia, in qua plura additamenta Nestorius induxerat. Placentis (*a*) sale, oleoque conditis, ad Missæ Sacrificium utebantur, quæ eo tempore à Diaconis, aliisque conficiebantur, in loco super Altare constituto; quas deinde coctas, aut frixas, paulo ante consecrationem, intra fiscellam è Palmis textam, fune per foramen quoddam demittebant: vinum etiam, vel ex uvis passis, vel ex dactylis confectum in Sacra Mensa adhibebant. Qui Missæ ministrabat, etiamsi esset laicus, stola, Diaconorum more, super vulgares vestes utebatur, incessanter thurificans; & quamplurima cum Sacerdote, alternis cantans, potius quam recitans.

Ordinis Sacramentum, impense expetebant; adeo ut fere nulla esset familia, quæ Clerico careret; præcipue cum ratione Ordinis, à communi secularium vivendi consuetudine, non recederent; immo & laicorum, & Clericorum commoditatibus gaudebant. Tunica talari coloris albi induebantur isti, pallio quandoque albo, aut nigro; tonsuram ad instar Religiosorum nostratium deferebant amplam. Suscipiebant Ordines, etiam Presbyteratus anno ætatis 17. atque 20. Omnes ducebant Uxores; & plurimi eorum etiam post susceptos Ordines, immo & cum

(*a*) Placentas istas, ex farina, oleo, & sale confectas, vocant Nestoriani *Malcha*. In *Cod. Syr. Vatican.* 18. habetur titulus ad ritum conficiendi panem pro Eucharistia: *Innovatio Malcha*; quasi diceretur, innovatio panis, aut rei regiæ, vel *Regalis*: componitur etiam ex *fermento* quod vocant, & credunt ab Apostolis acceptum, adhuc durare. Josephus II. eos arguit, eo quia etiam offerunt placentam in honorem Virginis Mariæ, quam in ipsius corpus converti credunt.

Digitized by Google

cum Viduis, & ipsi Vidui; pluries etiam contrahebant, neque irregularitatem ex bigamia agnoscebant. Uxores ipsorum, quæ *Catatiaræ*, aut *Cassanariæ* vocabantur, honoratiori præ aliis loco, ubique sedebant; insigniebantur etiam aurea Cruce, vel alterius metalli, è collo pendente. Ceteri Ordinati, vocabantur *Chamazes*, à prima tonsura, usque ad Sacerdotium; qui omnes ad Chorum accedebant, & horarias preces Chaldaice, altiori voce promebant; idque bis in die, nempe hora tertia post mediam noctem, & hora quinta pomeridiana; quod exactissime peragebant: nihil autem extra Chorum recitabant diurnarum precum, nec Breviaria habebant. Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ, non nisi pecuniam solventibus ministrabant. Matrimonium celebraturi, quandoque cum Cassanario id perficiebant; alii vero præcipue in silvis degentes, ducto tantum filo è Collo Sponsi, ad Sponsæ collum, illud celebrabant; sub quo etiam tempore ipsorum plures, intra circulum, superstitiose delineatum stabant, quo obligationem totam Matrimonii contraxisse sibi videbantur.

LXXVI. Patriarcham Babylonicum Sectæ Nestorianæ caput, ut ipsorum proprium Præsulem venerabantur; Papam ex adverso, & Romanam Ecclesiam summo prosequebantur odio; atque solius Patriarchæ mentio fiebat in publicis precibus. Ecclesiarum Præsides, Curati, aut Vicarii, constituebantur nulli, sed Cassanarianorum senior, quicumque is tandem fuisset, ceteris præsidebat; nemo etiam ullus erat, qui fideles verbo, exemplo, monitu, vel animadversione dirigeret, *præter* Episcopum; qui etiam ex illis muneribus obibat fere nullum. *Sacrum* celebrabatur aliquibus in locis, semel tantum in anno; in aliis ne semel quidem intra septennium, vel decennium semel; ubi autem, singulis Dominicis habebatur, conveniebant utique Christiani illi; at putantes nulla se ad id obligatione teneri. Sacerdotes munia quæcumque secularium gerebant; Paganis (*a*) Regibus inservientes, ut ipsorum facultatum Collectores, Distributores, & Thesaurarii; omnia item negotiandi genera, negotiatorum more, nec habitu absimiles *illis*, exercebant. Episcopos natione Chaldæos à Patriarcha Babylonico accipiebant, *qui* indigenas ordinabat; Episcopi etiam, Ecclesiarum, *Altarium* consecrationes, absolutionem à censuris, Ordines, *alia demum ipsorum* munera, non nisi pacta prius pecunia, peragebant; quorum exemplum duobus pedibus sequebantur Presbyteri, in Sacramentis ministrandis, aliisve muneribus exercendis. Sabbatum carnibus, feriam vero quartam, & sextam piscibus transigebant. In Quadragesima semel tantum, nec ante solis occasum reficiebantur: eam a Dominica Quinquagesimæ (*b*) inchoa-

(*a*) Ethnicos appellari *Paganos* notissimum est; at non ita ejus adpellationis ratio, quæ ut ex *Cod. Theod. l.* 18. apparet, ea fuit, quod pulsa ab Urbe Idololatria, non statim Idolorum cultus cessaverit, sed Ethnici hac illac dispersi, ad ignobiles *pagos* confugientes, Deos suos clam ceteros colebant, atque venerabantur: unde *Pagani* audire cœperunt. Vide etiam *l.* 46. *Cod. Th. de Hæret.*

(*b*) Jonæ jejunium tanto observatum fuisse rigore *ad annum* 600. referunt, eo quia ab ejusmodi maceratione, ab ingruenti Persis peste servati fuerint; quod deinceps in gratiarum actionem observarunt; obsolescentem vero ejus observantiam, *anno*

Digitized by Google

inchoabant. Ritum Cineris ignorabant; toto autem eo tempore ab ovis, lacte, vino, & Uxoribus, interposita excommunicatione temperabant; atque in iis summam putabant constitutam esse jejunii homines populares; senes autem, quotiescumque ipsis libuisset, edebant. Ter in Ecclesiam quotidie tota Quadragesima conveniebant, nempe summo mane, sub noctem, & nocte media; duobus autem illis temporibus nemo non aderat; pari etiam disciplina adventum Domini colebant; id autem putabant, quod uno tantum die hujusmodi jejunii fracto, non amplius jejunare tenebantur; dies autem festos illis temporibus occurrentes, ritu Dominicarum, sine jejunio colebant. Jejunium non validum à vulgo habebatur, si quotidie mane corpus non lavissent, aut aliquem abjectæ stirpis hominem tetigissent, ut Malabarenses in usu habent.

LXXVII. In Deiparæ honorem jejunium servabant à prima Augusti, usque ad Assumptionem ipsius, & à prima Septembris ad Nativitatem usque ejusdem Virginis: jejunium item quod vocant Apostolorum per quinquaginta dies à Pentecoste, quod tamen citra obligationem, esse arbitrabantur. Octo etiam supra decem diebus, ante Quadragesimam servant jejunium trium dierum, quod idiomate proprio vocatur *Mononoibo*, quod etiam Jonæ jejunium dicebant; quibus diebus prandium cunctis in Ecclesia parabatur, in memoriam trium dierum, quibus Jonas in ventre Ceti jejunavit, & in honorem Christi, cujus ille fuit figura. Quotiescumque in Quadragesima, tempore Officii Ecclesiam ingrediebantur, palmas Sacerdotum elevatas, suis manibus accipientes osculabantur in signum pacis, atque obedientiæ, quod vocabant *Casturi*: à quo arcebantur ritu pœnitentes, & excomunicati; quorum post absolutionem, prima erat ceremonia, dare *Casturi* Sacerdotibus, & ab illis acceptari. Festa eorum à vespera (*a*) in sequentem vesperam computabantur, non à media in mediam noctem, ut inter nos; occidente enim Sole die Dominico, operari poterant, quippe feria secunda incœpta erat.

LXXVIII. Puerperæ veterem ritum quoad accessum ad Templum servant, masculum post quadraginta dies, feminam post octoginta, Deo offerentes. Aquam benedictam habent, eo tantum ritu, quod Sacrista parum immittit è terra, à locis in quibus D. Thomas extitit, aut ipsius Sepulchro illata ab iis, qui illuc peregrinantes accesserunt; qua deficiente, grana thuris injiciunt, nec alia peracta benedictione, ea utuntur ingredientes Ecclesiam, facto Crucis signo, & quamdam Nestorio deprecationem mussitantes. Excommunicationem vehementer pertimescunt, habentque aliquos casus, quibus est annexa; à quorum aliquibus crudeliter, nec in mortis articulo solvebantur; nimirum homicidio voluntario, aliisque; nec aliam pene è censuris agnoscebant; qui tamen tanquam censuram habebant, quod Sacerdotes ab ipsorum domorum

circiter 780., Timotheus eorum Christianorum Catholicus, ipsius observantiam instauravit. Vid. Assem. *Tom.* 2. *Bibl. Orient. pag.* 427.

(*a*) Etiam in Ecclesia Occidentis, diu hæc viguit disciplina; cujus reperitur memoria *anno* 1201. Videsis Mabillon. *Præfat. ad* 2. *Sec. Bened. num.* 39. *observ.* 4.

Digitized by Google

rum ingressu arcerentur, & quam maxime verebantur. Templis nullus erat nitor, nulla ipsorum cura in paramentis, aut vestibus sacris; immo fere omnia Pagodum instar fabricata erant, quaquaversum tamen Crucibus erant ornata, ex iis quæ Sancti Thomæ vocantur; quæ ad instar erant Crucis Equitum Lusitanorum Ordinis de Avis; unde antiquissimus Crucis cultus haberi debet; quandoquidem Lusitani Indorum Ecclesias, & pictis, & sculptis Crucibus decoratas, ab antiquo invenerunt; immo ultra has & Crucem, quam in Altari ponunt; cum processiones fiunt, omnes Clerici Crucifixum manu gestant, quem aliis adorandum, osculandumque offerunt; nec tantum in locis Sacris habent Cruces, verum etiam in viis publicis, intra, & extra Urbes, accensa coram lychno cum lampade, ante ipsas pendente. Dies colunt Dominicos; festa item Apostolorum, & aliorum, qui a Nestorianis, ut Sancti colunturur; omnes sextas ferias à Nativitate Domini, usque ad Quadragesimam; diem insuper, qua Crux Divi Thomæ sudorem emittere consuevit, nempe 18. Decembris. Tertiam item Julii, qua, juxta aliquos ad Indos appulit; aut secundum alios, quia ista die translatum fuit ejus Corpus Edessam, & ad locum (a) ubi in India jacuit; utramque enim translationem eodem die celebrari apud Indos, & Romanos asserit Gouvea; ex quo validum desumit argumentum, probandi Reliquiarum Thomæ divisionem, ut suo loco diximus.

LXXIX. Præterea, quamquam Christiani illi subditi essent Regibus Ethnicis in cunctis, quæ ad temporalia spectabant, nihilominus ex conventione, & consuetudine vetustissima, etiamsi in diversis Regnis sparsim degerent, regimen universale ipsorum, tam in spiritualibus, quam temporalibus in solum Episcopum devolutum erat, qui cum Adjunctis, universas lites, etiam remota appellatione, pro æquitate expediebat: partes item litigantes audiebant patentissime, quantumcumque loqui, allegareque vellent; adeo ut memoriæ proditum sit, Mulierem quamdam per triduum, mane, & vespere, pro se fuisse loquutam. Filiabus ab hæreditate repulsis, soli Viri hæredes constituebantur, etiamsi adoptati tantum essent. Nuptias contrahentes, decimam dotis partem Ecclesiæ solvebant, nec alterius rei decimam soliti erant solvere. Et licet eodem incederent habitu, quo Naires ceteri, & capillamentum protensum ducerent, ipsorum tamen plures, eo revincto ad summitatem capitis, Crucem in illo auream, vel argenteam superponebant. Senes autem, Vidui, & qui nuptui renuntiaverant; aut qui peregrinationem ad loca Divi Thomæ suscepissent, more nostratum Religiosorum capillitium attondebant. Statis diebus ad Ecclesiæ porticum convenientes commune parant convivium, vel expensis fabricæ ipsius Ecclesiæ, vel divitum aliquorum, qui ad id voto tenentur; simul autem commessantur & divites, & pauperes; quam commessationem *Nercham* vocant; qua in re primæva Christianæ disciplinæ consuetudo adhuc apud eos vigere videbatur:

(a) *Ejus corpus*, idest pars corporis, translata fuit Edessam, parte alia ad locum ubi a Christianis illis venerabatur eodem tempore translata.

Digitized by Google

batur: simile instruebatur convivium in funere propinquorum, quem ritum appellabant *Chatam*.

LXXX. Ipsorum privilegia, illis religiose servant Reges; si vero aliquando, illis conculcatis, vel minimam quis inferat Christianis contumeliam, non prius placantur, quam vel ipse Rex in pœnam admissi criminis, vel argenteum brachium, aut aliud pretiosum munus Ecclesiæ donaverit ipsorum. Ceterorum in hoc sequuntur Malabarensium morem, ut si quem abjectæ stirpis hominem tetigerint, lavacro è vestigio purgentur; non quod persuasum habeant, sicuti Ethnici, eo pollutos esse attactu, aut *empoleatos*, ut vocant; sed quia Naires cum illis communicare non valerent in posterum; quibus ex doctrina Bracmanum prohibetur communicare cum hominibus abjectis, & cum quolibet alio ab illis contacto, nisi se purgaverint. Unde cum isti miseri de vita periclitentur, si Nairem tetigerint, summo ab ipsis studio recedunt inter eundum; Naires etiam, dum à longe eos vident, vociferant dicendo: *Poo*, idest, recedite. Feminæ Christianæ honestæ sunt, decentissimeque incedunt, velis plerumque cæruleis usque ad talos contectæ; omnes etiam quotquot in Ecclesia existunt, adventante Episcopo, singillatim accedentes, ipsius manum genuflexæ deosculantur, & usque ad terram se inclinantes, benedictionem ab eo accipiunt; infantes deinde suos ad pedes Episcopi venerabundæ provolvunt. Feminæ suo quocumque Mense muliebre profluvium patientes, nulli etiam gravissimo, assurgunt, sed more Rachelis sedent. Et hæc sunt præcipua capita rerum, quas Malabarenses observant, dum ab Alexio de Menesses *anno* 1599. unitati Ecclesiæ redintegrati sunt.

Horum nonnulla exscripserunt le Brun, & la Crozè; ille autem perperam, sin minus falso scribit, Archidiaconum Angamalensem Sacrum Oleum consecrasse feria V. in cœna Domini: putat autem vel errorem fuisse editoris, vel privilegium Archidiaconi, cum solius Episcopi ubique id fuerit; at neutrum ex iis re vera fuit; sed oscitantia, aut imperitia le Bruni in Lusitana lingua. Gouvea enim *pag.* 44. expresse ait, ea die, Olei consecrationem, ab Archiepiscopo factam fuisse; (*a*) de Archidiacono autem nec verbum habet.

LXXXI. La Crozeus initio *lib.* 3. *Hist. de Christian. Indiar.* de ritibus agit Malabarensium Christianorum. Omnia autem ista ex Gouvea exscribit, nisi quod plures errores nobis appingit, perperam, atque ineptissime; dum enim ait, placentis consecrandis, oleum ipsos admiscere, simile quid & longe pejus, calumniose asserit à nobis fieri, qui dum crustulas orbiculares vulgo hostias efformamus, cera illinimus formas ferreas; quod (infit) magis opponi videtur institutioni Sacramenti, quam admixtio olei. Deinde cum simoniæ arguuntur, quia Sacramenta, non nisi pacto, solutoque pretio administrabant Cassanarii; Theologi assumendo virgam, edicit: *Sanctius id factum fuisse ab illis, utpote alia non*

 haben-

(*a*) *Ao outro dia, disse* (o Arcebispo) *stade, e solenidade, e benzeo os Oleos Missa em Pontifical, con grande Mage- Santos.*

haoentibus emolumenta, quam accipiantur pecuniæ à Romanis pro Missis, Sepulturis, & alicubi pro Confessionibus, ne quid memoret de Bullis, Dispensationibus, & aliis artibus corradendi auri, Romanæ Curiæ. At omnia ineptissime, atque extra Chorum profatur; quoad primum enim cera, nec inter esculenta censetur, ut oleum; neque miscetur, ut ex ea farinæ immixta, fiant hostiæ consecrandæ, immo rejiciuntur illæ, quæ ceram sapiunt, reliquæ consecrantur; nec cera adhibetur ad alium finem, quam ut quæ seligi debent pro altaris usu, ferro non adhæreant. At non ultra agendum cum la Crozæo, de pane filiorum, qui non est pro canibus. Ad alterum, quod majoris esset indaginis, breviter dicimus, tantum Theologum discernere debuisse inter eleemosynam, subsidiaque, (Christus enim loculos permisit, ut oblata à fidelibus pro suis indigentiis conservarentur) & inter exactiones, pacta, & conventiones de pretio, sine quo sacræ res non darentur; sicut igitur oblata accipere, nulla lege cautum est, ita & pecunias extorquere, atque emungere, prohibitum est; illud fit in Ecclesia Romana, non istud; quod si quandoque aliqua exiguntur, ideo fit, quia sunt alimenta, de quibus qui Altari servit, de Altare manducare debet: Cassanarii autem in eo peccabant, quod recondentes eleemosynas in capsis, etiam per 80. annos, nec illis utentes, aut iis contenti, ulterius aliam pecuniam exigebant pro Sacramentis; quod plane simoniacum est: unde omnino est extra rem, appicta la Crozæi calumnia: verum dolet Judas pecunias in obsequium Christi impensas.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

Vindiciæ Synodi Diamperitanæ.

Crozæi Regis Prussiæ Bibliothecarii petulantia adversus Synodi Diamperitanæ Patres LXXXII. *Traducit Synodum, eo quod Diodorum anathematizet, & de S. Cyrillo optime sentiat* LXXXIII. *Crozæus non sibi constans Palinodiam canit, & Diodorum accusat* LXXXIV. *Menessium increpat, quia formam Baptismi, qua illi Christiani utebantur, castigavit* LXXXV. *Quia intra octiduum ab ortu Infantes baptizare jussit* LXXXVI. *Quia numerum septenarium Sacramentorum, quod apud eos Indos in usu non erat, invexerit* LXXXVII: LXXXVIII: LXXXIX. *Quia festum Corporis Christi celebrare præcepit in Malabaria, apud Nestorianos, qui dogma transubstantiationis ignorabant; quod tamen falsitatis convincitur* XC: XCI. *Crozæi spes, erroribus Indorum suam religionem comprobandi, cassa atque irrita ostenditur* XCII: XCIII, & XCIV. *Vindicantur castigationes Liturgiæ Malabaricæ, à Synodo institutæ* XCV: XCVI: XCVII. *Dolet Crozæus, Nestorianorum libros flammis traditos* XCVIII. *At vero ita consultum iri rebus fidei, exemplis asseritur, atque eadem fortuna, libellis Crozæi apprecatur* XCIX. *Cælibatus Ecclesiasticorum, adversus quam putat Crozæus, antiquissimus asseritur* C: CI: CII: CIII. *Characteris Sacramentalis indelebilitas contra Crozæum propugnatur* CIV: CV. *Theologi scholastici à Crozæo conviciis, & scommatis immerito, & non nisi per summam injuriam proscinduntur* CVI: CVII: CVIII. *De celebratione jejuniorum, & festorum a vespera in vesperam, quid sentiendum?* CIX: CX: CXI. *An preces, & Catecheses, Symbolum, Orationem Dominicam &c. vernaculo sermone tradere, sit laudabilius?* CXII: CXIII. *Livor Crozæi in Monachos, qui tessera est tum cujusvis Acatholici, tum etiam Catholici improbi, modeste retunditur* CXIV: CXV: CXVI & CXVII. *Leviora quædam non immerito carpit Crozæus* CXVIII. *Colophon imponitur, & veniales vindicias æqui bonique consulere rogatur Crozæus* CXIX.

LXXXII. MV. la Croze Regis Prussiæ Bibliothecarius, libellum edidit Hagæ apud Vaillantium anno 1724. gallico suo Idiomate, cui Titulus: *Historia Christianismi Indiarum*: in quo toto, bilem acuit, effunditque adversus Alexium de Menesses, Augustinensis

nensis nostri Ordinis præstantissimum Virum, atque acta Synodi Diamperitanæ ab ipso ad exitum seculi XVI. celebratæ. Profecto omnes mirati sunt hominis petulantiam, & quidem exotici, ad quem etiam res Lusitanornm apud Indos Orientales, nec minimum attinebant. Ast reducto sipario (quod alioquin zelus Religionis reformatæ videri posset) nihil aliud esse manifeste apparet, quam sordidissimam cupiditatem augendi commercia Negotiatorum Anglorum, Batavorum, Danorumque, si per invidiam Catholicæ Religionis homines, Lusitani potissimum, Hispani, & Galli, ab Indorum oris, semel propellerentur. Hic scopus est; huc linea quæcumque tendit; Catholicos nimirum invisos reddere Indis, Religionis specioso obtentu, quo suas illi facultates in immensum adaugeant. Quacumque id via obtineri possit, ea illi incedendum est; eo enim est ingenio animatus homo, ut veram Religionem pessumdari, falsam obtrudi, pro nihilo habeat; per ipsum enim salva sunt omnia, si negotiatio est salva. Quamobrem Catholicorum Missiones, ac Missionarios illarum partium, cane pejus & angue insectatur; Ministros vero Danos, Tranquebaris, Religionis reformatæ (verius deformatæ) Ziegenbalg, & Plutschou, qui illuc appulere *anno* 1706. eorumque successores Grundlerium, Beuvingium, & Jordanum, summis laudibus effert *lib.7.* Denique istorum epinicia, grandioribus tibiis modulatur; nostrorum vero labores, atque studia, infami sibilo excipit, atque contumeliose irridet: nimirum *oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.*

Et quamquam istum Sycophantam, strenue perstrinxit Eruditissimus & Cl. Assemanus, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, sub PP. Clemente XII., & Benedicto XIV. feliciter regnante *Tom.3. part.2. Bibliot. Oriental.* cum etiam nostræ partes sint, Synodum, quam edimus vindicare, id pro viribus conabimur; contractioribus tamen sententiis, atque stylo, tum quia ita ille agit, ut pungat potius, quam impugnet; tum potissimum, quia futiles ineptias & sarcasmos quos effundit diutius & longioribus sermonibus refellere operæ pretium non ducimus.

LXXXIII. Exorditur ergo acta Synodi recensere, vel potius pro more irridere, *a pag.*185. *lib.3.* & totam Actionem primam inoffenso pede percurrit; ast in secunda, illico cespitat in professione fidei, non quidem in formula Piana, seu Tridentina, quam non mordet, verum in duplici articulo a Menessio e re nata exposito, ubi damnatur Hæresis Nestoriana, atque anathemate percellitur ejus Auctor Nestorius, cum falsis Doctoribus Theodoro, & Diodoro: hic statim dolet, quasi tacto petimine; *Insciti am, atque audaciam Prælati* (ait) *miramur, qui memoriam, & Personam Diodori anathematizare non veretur; quarum neutram, nec Ecclesia antiqua, neque nova confixerunt.* Bone! Ecclesiam *unam* agnoscimus, & confitemur; alteram detestamur, & eo tantum titulo, quia *nova* dicitur exhorrescimus; neque curamus, quos ea damnet, vel absolvat; quæ solos damnat bonos, & absolvit pravos, cum la Crozæo; qui ut absolvat Diodorum, damnat Sanctum Cyrillum; ubi antithesi instituta inter utrumque, jus dicit in istum, ut dicta-

tor,

Digitized by Google

tor, per hæc verba: *De sanctitate, quæ Cyrillo tribuitur, nihil dicam; at non exigua res erit, si ille invenit misericordiam coram Deo*: nos haud ambigimus vel ipsum la Crozæum, veniam a Deo consequuturum, quoties eam ejuratis erroribus vere sincereque petierit. Quatenus autem scribit, nec Ecclesiam antiquam, neque novam, aut recentem (quo loquutionis genere, non ipsam Ecclesiam, sed recentes Præsules Ecclesiæ antiquæ innuere voluisse, videri potest) memoriam aut personam Diodori (*a*) damnasse; ipsum mittimus ad Leontium *De Sect. Act.* 4. ad legem Theodosii, & Valentiniani: *Debitam a nobis*, quæ Diodorum alias damnatum supponens: *iterum* (legitur) *doctrina Diodori, & Nestorii impiorum, & pestiferorum visa est nobis abominanda esse*: & *ad legem* eorumdem *Jamprius*, quas videre potuisset *in Concil. C. P. Collat.* 5. *collect.* Harduini, atque *ibidem col.* 118. legisset, quam blasphema, & ipsius & Theodori doctrina visa sit; in Personas autem non animadvertisse Patres, ex quadam œconomia, & dispensatione; & quia cum tunc jam essent illi vita functi, *insipientiam* (putavit Ecclesia) *omnino non viventibus, sed jam defunctis inimicaliter insultare*.

LXXXIV. Adire etiam (quod attinet ad Ecclesiam recentem) debuisset Bullas Pontificum, ac Epistolas; ac in ea, quam dedit Paulus V. *ad Patriarcham Babylonis* 8. *Kal. Aprilis* 1614. contraria dictis suis didicisset: legere præterea potuisset *cap.* 11. *Dissert. de Syn. V.* Eximii Augustinensis Card. Norisii; at sibi oculos effodisset volutando, quæ ibi habentur, elogia Menessii, & amplissimam commendationem Synodi Diamperitanæ: si vero sub brevibus astus, & simulationem Diodori, & assecularum, scire averet, saltem semel legere debuisset Natal. Alex. *in Hist. Eccles. ad sec. V. art.* 12. §. 9. *num.* 6. At neque his amplius est opus; enim vero homo non sibi constans, nec similis, post dicta, statim palinodiam canit, dicens: *Ceterum si absque studio partium res introspiciantur; quodque ipse auctor fuerit, ut duplici Schismate scinderetur Ecclesia; nullus certe Ecclesiæ Doctorum, majora præ ipso intulit damna*. His auditis, quid contra eum agimus? Immo miseratione dignus æstimabitur vir, ajens, simul & negans; si tamen Vir, qui, ut ex retractatione apparet, ad instar prioris feminæ videtur, ex illo Ambrosii, *quod mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverit*. Cujus etiam retractatio gloriosam construit pro Cyrilli sanctitate Apologiam.

Prope finem ejusdem commatis, fortunam deflet Patriarchæ Babylonis; cujus loco Papæ obedientia præstatur, quæ Nestoriano illi subtra-

(*a*) Neque Theodorus Mopsuest. damnatus fuit. An ideo fuit insons? Plane non ita; id in causa erat quod S. Cyrillus Epistola ad Proclum ait: *Si adhuc in vivis esset: ipse anathema etiam in propria persona subiisset; quoniam vero ad Deum abiit, ussisit, ut ego puto quæ absurde ab ipso sunt dicta, rejici*. Etenim ex antiqua orientis disciplina, cautum erat, ne mortui anathemate dehonestarentur; ita, *in Can. Synodal.* Sobensis *part.* 9. *cap.* 6. scriptum est: *Canon antiquorum: si auctor* (non recte scribens) *e vivis jam excessit, ejus quidem scripta damnationi subjaceant: ipse vero ad Christum Judicem suum abiit*. Hæc igitur & non alia fuit ratio, cur tunc non damnaretur Diodori persona.

Digitized by Google

trahitur, *& ferme iisdem maledictionibus Papa impetitur ac Nestorius*. O! quam dolent latera propter Nestorium optimo socio: jure autem eadem pœna mulctatur ac alter, qui eadem culpa tenetur ac ille; & de Actione 2. hactenus.

LXXXV. Inde sequutus Ordinem dierum, transit ad Actionem 4. prætermissa 3. quam etiam prætermisit Menessius in celebratione Synodi, eam post quartam, quintam, & sextam differendo, ad preces Cassanariorum; quia cum in 3. ipsorum errores detegendi, corrigendique essent, & puderet illos, hæc coram Lusitanis pertractari, exorarunt, ut interpolatis tribus aliis, Actio 3. reservaretur in eam diem, in qua Lusitani ad celebrandum festum S. Joannis Baptistæ in proximum Pagum a Diamper erant digressuri,

Igitur in Actione 4. rursus insimulat Menessium, ut legitur p.199. *inscitiæ, & temeritatis, eo quod nonnullas Nestorianorum baptizandi proscripserit formas, vel quia ex ritu græco, quod inepte putabat, vel quia ter dicebatur Amen, propter trinam immersionem*: At Menessius non ea de causa illas proscripsit formas, sed quia æquum non erat, quod in uno eodemque Episcopatu, uterentur Cassanarii diversis baptizandi formis; immo & in eadem Ecclesia: accedebat, quod plures illarum erant dubiæ significationis; denique, etsi non ignoraret aliquas ex ipsis, præcipue Græcorum, validas esse; ceterum qui a Pontifice jubebatur, eam Nestorianorum Diœcesim, per omnia, quantum res pateretur, ad Romanæ Ecclesiæ ritum reformare, atque informare, peropportune à Baptismi forma exordium sumsit.

LXXXVI. Pag.200. subsannat Synodum, eo quod præcipiat Infantes octavo die ab ipsorum ortu baptizari, *pro more* (ait) *Judaico Lusitanorum*. Profecto nescimus, cur illi non bene olent Judæi: non alia ex causa putamus, nisi quia Faber Fabro invidet. Id tantum ait Synodus, morem esse Ecclesiæ octavo die baptizare Infantes; id est, non ultra octiduum differre Baptisma; non tamen vetat ipsos ante illud tempus baptizare; sicuti Hebræis ante illum diem prohibitum erat, circumcidere; uti ex (*a*) textu patet: mitto, quod etiam in Ecclesia *latina* quandoque, non nisi post octo dies collatum fuerit Baptisma, ut apparet ex *Concilio Redingense* §. *IV*. in Collect. Hard. *tom.7. col.785*. Maronitæ etiam, qui *anno* 1516. conferebant illud, die quadragesimo; nunc conferunt ipsum, die octavo, aut antea; si necessitas postulaverit: apud Harduin. *tom.9. col.*1804. adamussim omnino nostræ Synodi; ex quo parcere debuit Diamperitanis, aut cum aliis etiam contendere.

LXXXVII. Pag.202. lectis tribus prioribus decretis circa Sacramentum confirmationis; *ut canis in somnis leporis vestigia latrat*; ita sibi la Crozæus plaudit, eo quod fuerit insectatus, ac tandem tenuerit; aliquid edoceri contrarium dogmatibus Ecclesiæ Romanæ apud eos antiquissimos Christianos, nimirum; numerum Sacramentorum aut septenario minorem esse, eo quia in iis Decretis legitur, illis Christianis confir-

(*a*) Levit.12. v.3. *octavo die circumcidetur infantulus*.

Digitized by Google

firmationem, & extremam Unctionem notas illò usque non fuisse, vel etiam majorem, cum S. Bernardus lotionem pedum Sacramentis adjunxerit, & Petrus Damiani ad duodenarium numerum ampliaverit novæ Sacramenta legis, & alibi Pœnitentiam quoque à Sacramentorum albo expunxerit, quia ex ipsa Synodo Diamperitana Indis horrori erat: & hic etiam ex Doctore Armeno, quem jam Vardanem, jam Nardanem vocat, idem confirmat; eo quod licet ipse septenarium Sacramentorum numerum admittat, non tamen in hoc numero collocat Pœnitentiam, quæ venit nomine *Olei*, quo pœnitentes, & infirmi inunguntur. Tandem juxta Crozæum, numerum Sacramentorum intra septenarium concludere, merum est inventum Scholasticorum Latinorum; quodsi ad Orientales transiit, ideo factum est, quia occasione expeditionum Cruce Signatorum, id a Latinis acceperunt. Hæc ille; ceterum à somno ludificatus est, & qui putabat rem comprehendisse, nubem amplexus est pro Junone, & vanissimum tantum spectrum, ex quo inaniter summum sibimet lucrum, suæque Religioni reformatæ captandum existimabat, quasi ex eo quod in Ecclesia adeo antiqua, ut est Indica, quod ipse fatetur, nullum repertum fuerit vestigium cognitionis, aut usus illorum Sacramentorum, inde, inquam, necessario fieret, Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ac etiam Pœnitentiæ, novi esse instituti, neque ab Apostolicis temporibus descendere.

LXXXVIII. Ceterum omnia facillime ruunt; quippe falsissimo nituntur fundamento, atque hypothesi: nimirum quod ea Ecclesia, in ea puritate, ac sinceritate Religionis conservata fuerit usque ad tempus Synodi, qua primum instituta fuit; quod quam falsum sit, nescire non potuit Crozæus; immo in sua Historia memorat Nestorianorum errores, quibus Ecclesia Malabarica infecta fuit; unde miramur, qua consequentia inferre voluerit, sinceritatem Religionis in Doctrina Sacramentorum, assumendo per modum antecedentis ad id inferendum Religionem jam depravatam? Non alio plane consequutionis genere id præstari potest, nisi quia ex errore error consequitur, & sicuti ex depravato archetypo, deformis imago; ita ex Schismaticorum deliramentis, Religionis reformatæ delirium erupit; quam ob rem tota ratiocinii vis huc recidit; Sacramenta non sunt septem, quia Ecclesia Schismatica Indica, septem non agnovit. At neque hoc illi suffragari potest; tum quia non est verum; tum quia etiamsi ita esset, non inde fieret, Sacramenta Confirmationis, Unctionis extremæ, & Pœnitentiæ, e numero Sacramentorum eradenda fore. Non, inquam, est verum, quod Ecclesia Malabarica ea Sacramenta non admiserit, quia contrarium ex Ritualibus Malabaricis, quæ Assemanus protulit *tom.3. part.2. c.7. Bibliot. Orient.* ad oculum evincitur; quandoquidem ipsorum ritus ibi describuntur. Et in libro *Margaritæ part.4. cap.1.* quem proscripsit inter alios libros Menessius, cujus Auctor fuit Ebedjesus Sobensis, enumeratur *tertium* (Sacramentum) *Oleum unctionis: quintum remissio peccatorum &c.* & ex ipsa Synodo Diamp. deducitur apertissime, eos agnovisse alio tempore Sacramentum Pœnitentiæ: etenim *Decreto* 15. de Pœnitentia, ait

Caldanarios loco precum super ægrotos verba absolutionis solitos fuisse proferre: eatenus autem illud non suscipiebant, quia credebant statim mori, quotquot illud reciperent, non vero quod illud Sacramentum nescirent; eo modo, quo etiam hodie plures nostrorum, non secus ac illi a Sacramento Pœnitentiæ, mortis timore a Sacramento extremæ Unctionis absterrentur. Videri etiam potest, ea Sacramenta Indos agnovisse, ex Auctoribus productis in Dissert. *de Relig. Christ. Divi Thomæ.*

LXXXIX. Deinde, etiamsi verum esset, eos Christianos, tempore Synodi, illa Sacramenta non agnovisse, quid inde præsidii caperet Religio Crozæi? Profecto nihil; si etenim ex iis, quæ illi faciebant, Religionis regula desumenda esset, sequeretur, quod sicuti illi, ut ex *Act.8. Dec.1.* Synodi Diamp. constat, non habuerint Vicarios, aut Curatos, & ut ipse ait *pag.266.* non erat illis in Ecclesia Pulpitum, neque campanæ, & *pag.281.* constat, neque superpellicea, aut vestes habuisse *Chorales*: & *ex Dec.6. ejusdem Act.* plures non baptizabant filios suos, & Idolis sacrificabant, & etiam, quod defectu Sacerdotum, Diaconum compulerunt Missas facere, denique quod Menessii tempore nulla fiebat apud eos Monachorum memoria: sequeretur, inquam, quod ut Ecclesia pura, & sincera dicatur, ablegandi sint Vicarii, & Baptisma, & quod permittendum sit Diaconis, ut Missas celebrent, &c. aut quod apud Christianos Sancti Thomæ illa omnia nunquam fuerint, quod etiam evincitur falsissimum, quia illi habuerunt Monachos a primis seculis, ut ex Cosma constat, Baptismum, Parochos, & alia uti nos, ut videre est *in Bibliot. Orient. loco citato*, & ut optime inquit ejus *Auctor Cap.7. laudato* §.8. ex Populorum ignorantia, & Præsulum negligentia (maxime circa ævum Menessii) aliter sentire cœperunt, quam in propriis ipsorum libris Ecclesiasticis diserte tradebatur, & maxime *in Cod. Syr. Vat.14. & 16.* exarato in India, a Josepho circa *annum* 1557. immo non ita eos sensisse, sed omisisse ea solum in praxi: doctrina autem probanda est; non ex eo, quod ab aliquibus fit, sed ab eo quod præscribit ipsa faciendum; aliter etiam nostra dogmata in discrimine essent; plures enim forte sunt inter nos, qui raro, aut nunquam confitentur, aut confirmationem non receperunt; nec enim vero opera adversus fidem præscribunt, sed fides adversus opera. Quod autem septenarius Sacramentorum numerus inventum sit, & commentum scholasticorum, quod *pedilavium* sit Sacramentum (*a*) ex Bernardo; quod sint duodecim, ex Petro Damiani (addere debuit exequias pro defunctis, signum Crucis, Benedictionem Monachorum, & alia quæ a Schismaticis illis inter Sacramenta numerantur) cum sit crambes toties a sui similibus recocta, mittimus Crozæum ad libros dogmatistarum, qui usque ad ravim, rei veritatem ipsi inculcabunt, quamquam surdo canant.

XC. Pag.107.

(*a*) Subobscura S. Bernardi loca, aliorumque circa Sacramentorum numerum, optima donantur luce, & maxime quod de lotione pedum asseritur, a Boucato *De Sacram. art. ult. Sec.1.* & Tournely *quæst.2. art.4.* solide autem unaque perpolite, a nostro Laurentio Berti, ea discutiuntur atque elucidantur *lib.30. de Theolog. Disc. cap.6.* Vide etiam admonitionem nostram *in Liturg. Malab.*

Digitized by Google

XC. Pag. 107. *ad* 1. *Dec. Act.* 5. præcipitur, Festum Corporis Christi celebrari; *quod nunquam factum fuerat* (ait Synodus) At Crozæus solito lepore reponit: *Mirum esset tale festum celebrari à Populis, qui Dogma transubstantiationis ignorabant*. Ceterum falsum est, Nestorium aliter quam Nos sensisse de Eucharistia, nisi quod ex præconcepto errore de supposito Christi, tantum affective unito Divino Verbo, & non hypostatice, consequenter asserebat, ibi realiter esse præsens Corpus Christi, filii tantum hominis, & non Dei: verum præsentiam realem Christi docuisse claris verbis, constat ex Concilio Ephesino apud Assemanum *tom.* 3. *par.* 2. *pag.* 291. Nestoriani etiam, Elias III. Patriarcha *in expositione fidei apud Renaudot. tom.* 2. *Liturg. Orien. pag.* 577. aperte testatur: *Mutari substantiam panis, & vini, in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi*. Et Ebedjesus Sobensis *in lib. Margaritæ part.* 4. *de Sacram. Eccl. cap.* 5. scribit: *mutatur panis in Sanctum ejus Corpus, & Vinum in pretiosum ejus Sanguinem*. Videri potest *Bibl. Orient. tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 305. Quod vero à Leontio Byzantino dicatur in *Libro de Nestorianorum impietate secreto tradita principio*, ipsos dixisse cuidam, quod *panis, qui in typum Corporis Christi proponitur, non plus benedictionis participat, quam panis qui in foro venditur*; id inquam fuit casus particularis, quo eum, qui ab eorum Orgiis abscedere volebat, conati sunt retinere.

XCI. Errore certum ipsis imputare posset; nimirum consecrationem non fieri per præcisa Christi Verba, quæ consecrativa vocamus, aut consecrationis formam, sed per preces, aut invocationem Spiritus Sancti, & quidem adæquate per istam, aut saltem partialiter cum verbis Christi; quem tamen errorem valide impugnatum invenies, & ab Assemano *tom.* 2. *Bibl. Orient. à pag.* 194. & à Cl. P. Benedicto Operum Divi Ephræmi novissimo editore, in speciali *Dissertatione*, *quam* adversus le Brunum, & Renaudotium *Antirrheticon secundum* inscripsit, ad calcem *tom.* 2. *Oper. Syr. Lat. ipsius Ephræm*; aut adisis P. Bugeantium ejusdem Societatis, qui prius luculente de hoc argumento pertractavit: Quem errorem etiam acu tetigit Menessius in admonitione, quam emendatæ Liturgiæ præfixit: Ceterum isti, similesque errores, sicuti & quod Patriarchatus Babylonicus hæreditario jure conferretur consanguineis decessoris, ut ex celebri electione Sulakæ constitit; ii inquam, non totius Sectæ, nec totius temporis errores censendi sunt; aut exinde gratis Nestorianis illis Malabaricis appingendi, ut modo diximus, loquendo de Sacris Oleis, & Pœnitentia: immo neque ex illis inferre licet, antiquos Nestorianos, eadem sensisse; privatus enim recentiorum Indorum error, publicæ antiquorum auctoritati nihil officit, immo ex illa emendandus est. Et quamquam daremus Crozæo, Nestorianos Indos recentes, immo & antiquos, transubstantiationem ignorasse; adhuc prudentissime festum Corporis Christi decrevisset Synodus apud illos instituere; quippe qui ejuratis erroribus illam transubstantiationem cum reliquis Catholicis dogmatibus, recta jam fide tenebant. Id obiter adnotaverimus, frustra plurimos torqueri in adstruenda uniformitate, &

Digitized by Google

connexione Doctrinæ, aut in hoc, aut in aliis Dogmatibus, inter hæreticos; cum ipsi non minus pugnent interdum secum ipsis, quam cum Sociis, & cum Catholicis; systema enim quodlibet hæreticorum, sola variatione constare videtur.

XCII. Verum quia præcipuum, quem sibi fructum proposuit Crozæus, ex sua opella decerpendum, in duplici hac re situs esse videtur, nempe ut velut alter Aod, ambidextro pugnans ingenio, tum scommatis, quidquid Catholici Dogmatis inter eos Christianos florebat, proscindat; & altera manu quidquid erroneum, & suis affine Religionis reformatæ placitis, quacumque ex causa illi Christiani tenebant, tanquam cœlo delapsum affatum, amplectatur; e duplici isto munimento deturbandus erat, si per tempus liceret. Cum vero id modo non detur, in eo tantum versabimur, ut hanc fuisse ejus mentem palam faciamus, & rursus incassum ipsum laborasse ostendamus. Et illud quidem perspicue ipse pluribus in locis fatetur, ab ipsa præfatione incipiens: *Nos hic* (ait) *Ecclesiam habemus, quæ spatio mille ducentorum, & amplius annorum, cum nullum haberet commercium cum Ecclesiis Romæ, Constantinopoleos, Alexandriæ, aut Antiochiæ, maximam servat Dogmatum partem, quæ Protestantes propugnant, & ab illis Ecclesiis, sive ex parte, sive omnino rejiciuntur. Etenim exploratum est, Malabares, supremam Papæ non agnoscere potestatem, transubstantiationem negare; firmiter autem defendere, Eucharistiæ Sacramentum, nihil esse nisi figuram Corporis Christi. Quibus addito, Confirmationem, Extremam Unctionem, & Matrimonium à Sacramentorum numero expuncta: Imaginum tandem cultum, tamquam Idololatriam, & Purgatorium, ut fabulam æstimata. Omnes istæ facti veritates, ipsis Synodi Actis innituntur, & auctoritati Præsulis &c.* Et à pag. 341. eadem repetens, mentem suam, & scopum, in quem tendit, palam aperit: *Optima* (inquit) *ex iis Conclusio deducitur adversus prætensam illorum dogmatum antiquitatem, quorum maxima pars in Ecclesiam Romanam irrepsit, quæ tamen usque ad præsens in Græcorum communionem aditum non invenit.* Huc omnes Crozæus intendit nervos.

XCIII. Incassum tandem, & infeliciter; rectius enim deducas ex albo nigrum, & ex nocte diem, quam ex ea errorum, & veritatum confusione, fidei soliditatem intuleris. Principio enim, ut diximus, falsum est, ea negasse Dogmata Nestorianos, & omnes qui vere tales, sunt: falsum pariter est ea admisisse, antiquiores Menessio Malabares; ut ex dictis Dissertatione antecedenti, & ex ipsis Menessio, & Gouvea constat; asserentibus, quod in Ritualibus Ecclesiæ Angamalensis, multiplicis Olei Sacri mentio fiebat; Unde non ex ignoratione ritus, sed modi, oleo nucis Indicæ, aut sesami utebantur; idque pariter dicendum de reliquis Sacramentis, & Dogmatibus. Id autem nobis non optima conclusio, sed penitus absona, & monstrosa, jure videtur; quod ubi Nestorianorum Indorum dogmata, cum dogmatibus Protestantium conveniunt; illico recta infertur consequutione; ea omnino tenenda esse; ubi vero disconveniunt à Protestantium placitis, & cum Catholi-

cis

cis consentiunt, nulla consequentia teneat, nulla sit inferendi vis, nulla illi Ecclesiæ, quæ viguit à mille ducentis, & amplius annis, auctoritas? Quo etiam pacto, quum Gouvea, & Menessius, aut Synodus nostra (etiam refragante Richardo Simonio, *in Histor. Crit. Nationum Orient. pag.* 113.) recensent, eos Christianos cultum Imaginum aversari, sacrum ignorare oleum, & alia hujusmodi; illorum auctoritas est omni exceptione major, nec alteri creditur præter quam Menessio, *qui diu* (ait pag. 204.) *inter illos Christianos versatus est, qui cum illis frequentissime colloquutus, quique veritatem facili negotio nosse poterat, nec facile decipi &c.* & rursus, cum Goveam hæc eadem atteitantem legit, ait pag. 87. *Auctores habeo impartiales, Gouveam*, &c. Quum vero *isti iidem Auctores*, dogmata Catholica, apud eos pleraque illibata reperisse fatentur; tunc quasi magico Carmine transformati, nullius jam sunt auctoritatis homines, nullius fidei; immo studio partium abrepti, allucinati, inepti prorsus, & temerarii?

XCIV. Noverit itaque homo sui impos, sibique absimilis; Religionem Nestorianorum, uti & Protestantium, Apostolicam non esse; Religionem deinde Malabarium ab antiquissimis dogmatibus desciviſse; errores etiam illius Ecclesiæ, ex paucorum ingenio, non ex tota secta prodiisse, & potissimum ex Præsulum inscitia, aut versutia; ceterum ipsorum antiquos Rituales, Constitutiones Patriarcharum, & eorum Doctores, omnia de Sacramentis, cultu Imaginum &c. Dogmata; ut Ecclesia Romana tenuisse; excepta Nestoriana hæresi, & quæ ad illam necessario consequuntur. Unde compertum est, Indorum Ecclesiam illo Menessii ævo, multoties, ac multis modis jam immutatam fuisse: alias singulare prorsus fuisset privilegium (cujus exemplar proferre deberet Crozæus) Religionis Nestorianæ, & Malabaricæ; quod ruentibus, Ecclesia Romana, & aliis, ea sola staret, & maneret, ut aliarum esset norma, & amussis. Desistat itaque Crozæus ab inutiliter perquirendis, propriæ suæ religionis dogmatibus in ea religione adumbratis, quam profitebantur Christiani illi Malabarenses eo tempore, quo recte sapuerunt; nisi forte velit, adinstar Saturni, dura saxa, pro filiis devorare.

XCV. Pag. 208. & sequenti, de correctione Liturgiæ Malabaricæ facta a Patribus Diamperitanis, agit, & ex Renaudotio *tom.* 2. *Collect. Liturg. pag.* 607. scandalosam novitatem appellat, mutationem factam in verbis, quibus Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit, & quod abstulerit ea verba, quæ Sacerdotes Indi proferebant: *Hoc erit vobis pignus &c.* Verum futiliter, & inepte illud dicitur, cum Synodus ipsa Christi verba, in quibus juxta omnes, forma consecrationis consistit, illi restituerit Liturgiæ; falsum est etiam, quod illa alia laudata verba expunxerit; etenim ea tantum loco movit; quia vero asserebatur, quod Eucharistia esset pignus *in secula seculorum*, quod æternitatem sacrificii significat; opportune subrogata fuere verba: *usque ad consummationem seculi*, quia in Patria Sacramenta cessabunt, sicut & fides; & quia Christus hic non promisit suam præsentiam, nisi usque ad

Digitized by Google

ad finem Mundi : *Ecce vobiscum* (a) *sum usque ad consummationem seculi*.

XCVI. Pag.212. & sequenti piget Crozæum, quod Synodus jusserit addi Symbolo Nicæno verba, quibus carebat: *Deum de Deo*, & quod nomina Regulorum Indorum, à liturgica recitatione expungerentur, eo quod pro Ethnicis, Excommunicatis &c. Ecclesia non orat; quorum illud, ait, non reperitur in Symbolo Æthiopico, neque in Exemplari Ægyptio, aut Copto; hoc autem est ordini charitatis adversum. Dicimus, illud esse traditionis Scripturæ, & Patrum contra Arianos; hoc autem, quod scilicet nomina recitentur Regum in liturgia; neque cum Catholicis fit, nisi ex privilegio in Ecclesia Occidentali; neque in Diptychis Excommunicati, aut alterius Religionis homines unquam recitati sunt, ut ex celebri Acacii historia, aliisque factis quamplurimis constat. Confundit itaque Auctor, orandi studio non admodum addictus, orare in liturgia pro Gentilibus, & Excommunicatis; & publice pro illis palam orare, eos nominatim tanquam eadem fide conjunctos recensendo; & illud quidem Menessius non prohibuit, qui pro ipsorum conversione semper orabat; hoc tantum vetuit, eo quia non erant nostræ Religionis membra, & quia sacris Diptychis, in quibus tantum memorantur ejusdem communionis homines, non licet inscribere Ethnicos, aut Heterodoxos, tanquam socios, & fideles; pudet autem Crozæum, quod Verbum dicatur *Deus de Deo* in Symbolo, immo & ex contagione hæreseos Socinianæ piget, quod pigendum non erat; *quod* vero fideles cum Catholicis inscribantur, & confundantur, id nec pudet, nec piget; abs dubio accensendus est Crozæus iis, de quibus dixit Apœcides *in Epidic. Plauti Act.2 Scen.I.*

Plerique homines, quos cum nihil refert pudet: ubi pudendum est, Ibi eos deserit pudor.

XCVII. Ibidem insimulat Menessium, quod verba invocationis Spiritus Sancti mutaverit, ne, ut ait, potius Spiritui Sancto, quam Sacerdoti immutatio, & sanctificatio hostiæ tribueretur; & affert verba Renaudotii: *Sacerdos itaque est Minister, & Spiritus Sanctus, causa principalis; quod si aliter aliqui philosophati sunt, ut Censores Diamperitani, aliique inepti liturgiarum castigatores, eorum auctoritas floccipendi debet*: Eum etiam increpat, quod prohibuerit findere hostiam ungue. Ast quamquam laudare non possimus Patres illos, quod invocationem Spiritus Sancti suspectam habuerint in liturgia, eamque immutaverint, quæ in liturgiis Orientalibus celebris est; tamen eadem ex causa, ob quam hic traducuntur, & ex illa ratione, quam habet Renaudotius, nempe ut recens conversis illis Christianis id innotesceret; propterea eam illi mutarunt invocationem, ut scilicet, ita noscerent, Sacerdotem esse Ministrum unice Sacrificii, non vero alium ex adstantibus, vel hominibus, vel spiritibus; causam etiam principalem solum Deum esse, quod etiam in liturgia Romana solenne est, dum etiam invocat Sacerdos Spiritum

(a) Matth.28. v.20.

Digitized by Google

tum Sanctum dicendo: *Veni Sanctificator &c.* Ideo etiam Menessius prohibuit, quod ungue, ut solebant, panem consecratum deinceps finderent (quod etiam carpit Crozæus pag.115.) quia putabat eos Christianos illo errore teneri, quod ea fissura, Corpus & Sanguis Christi inter se penetrarentur, & cum speciebus; & quod verebatur ipse, illos credere sub specie panis esse tantum Corpus Christi: aliter quotidie Menessius hostiæ particulam cum sanguine miscendo proferebat: *Hæc commixtio, & consecratio Corporis &c.* quæ intelliguntur, & de consecratione panis jam peracta; tum etiam, quia in Ordinibus Romanis etiam dicebatur *Consecratio*, quando panis non consecratus, aut vinum miscebatur, aut tingebatur sanguine, quod etiam notavit eruditissimus Mabillonius *in Præfat. ad Ord. Rom.* Unde tantum argui posset Menessius, quod in re sibi, aliisque Occidentalibus obscurissima illo ævo, uti erat res liturgica, non admodum saperet; tamen id illi vitio non debet dari, cum etiam Auctores nuperrimi rituum Orientalium, inter quos Cl. Joannes Morinus, pluries etiam circa ritus, turpiter cespitaverit, uti notavit Assemanus *tom.3. part.2. Bibliot. Orient. pag.790.*, & aliis in locis; quinimmo Renaudotius ipse, qui in rebus Syriacis habebatur *Magnus Apollo*, in plurima impegit sphalmata, ex quibus pauca *in Præfatione* digito monstravimus. Timuit etiam, verum est, ubi non erat timor; ceterum omnia tunc vereri, prudentiæ erat; accedebat, quod ex præscripto Romanæ Sedis, eos Christianos, sicuti in fide, ita in disciplina, & ritibus, quantum liceret, Ecclesiæ Romanæ uniformes reddere, vehementer optabat.

XCVIII. Pag.221. mirum quantum excruciatur animi, Crozæus: *O! infandum Edictum. O! jacturam*: (clamat) *Nestorianorum libri, flammis traditi sunt, & antiquitatum Ecclesiæ Orientalis Studiosi, curiositate sua frustrati sunt; at non hæc tantum, pessimorum Theologorum imperitia, & scholasticorum barbarie, monumenta perierunt.* Hoc ille dolore se se imprudens, novæ Ecclesiæ sectarium prodit; & qui antiquam Ecclesiæ disciplinam vere apostolicam, in Romana Ecclesia defecisse pluribus asseverabat, saltem in comburendis iis libris, illibatam veterem disciplinam in ea perseverare fateri cogitur; hujusmodi enim libros, ipsorum lectione perniciem allaturos fidelibus, flammis absumere, antiquissima est nascentis Christi Ecclesiæ disciplina, ab Apostolo Paulo Ephesi comprobata, ut habet Lucas *Act.19. v.19.*: *Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus*: at non erat exigui pretii jactura: quia *computatis pretiis illorum*

(a) P.Cajetanum Mariam Merati C.R. qui nuperrime Gavantum illustravit, opere Romæ edito, & deinde Venetiis anno 1744. Malabarensium errori quodammodo collusisse, aliqui putare possent, eo quod *tom.1. pag.238. edit. Venet.* rubricam commixtionis exponens, scribit id fieri; *Ut corpus Christi sanguini suo immisceretur; quamvis nec corpus sine sanguine sit in hostia consecrata &c.* unde satius fuisset addere, *Visibiliter immisceretur*, quo *invisibilis* corporis, & sanguinis commixtio, ut intendit Ecclesia, ob oculos ponatur, & a fidelibus intelligatur, dum species cernit commisceri.

Digitized by Google

rum (librorum) *in exerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*: at nec utilitas eorum circa res naturales, nec pretium ingens, potuit eos ab igne subducere. Non aliter se gessit Synodus cum illis libris Malabaricis, qui veneficiis, ut forte illi, erroribusque erant pleni; nec exigua utilitas historiæ Orientalis, quæ amplior etiam ex aliis libris comparari valebat, præ pernicie, quam afferre poterant illis Indis recens conversis, æstimari tanti debebat, ut à combustione librorum temperandum Synodus putaret.

XCIX. Quæ ratio quanti fieri debuerit, ne ex librorum eorum lectione ad vomitum Nestorianum redirent, ipsa Ecclesia Nestoriana, duplex suppeditat experimentum; etenim cum hæc obedientiam præstiterit Gregorio XIII., & Paulo V., concordia etiam inita inter eos Pontifices, & Patriarchas Nestorianorum, Simeonem Denha sub Gregorio, & Eliam sub Paulo; nec successores Simeonis, neque Eliæ in præstita fide perseveraverunt; & quidem non alia ex causa, nisi quia eorum libros Ecclesiasticos, Euchologium, Rituale, aut Horologium, Pontificale, & Officium Divinum, & libros Syriacos, & Arabicos, in quibus Theologia, & Canonica scientia tradebatur, quique erant Nestoriano infecti veneno non expurgaverunt, proscripserunt, aut igni tradiderunt: æquissime ergo, & cautissime Indorum libri combusti sunt; nec ideo dolendum magis esset, quam si libro Crozæi eadem fortuna contingeret: fieret enim inde putamus, quod de combustis curiosis illis Ephesiorum libris, Scriptura refert, tanquam consectarium: *Ita* (combustis libris) *fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur*: *Act.* 19. *v.* 20. Unde quam opportunam rem decreverint Patres Diamperitani, illa scripta flammis devovendo, ne iterum Nestorianismus pullularet, si illis parcitum esset, ex duplici illo exemplo discerni potest; quod enim sub Gregorio recens acciderat, eos cautiores reddidit, quodque post paucos annos sub Paulo contigit, eorum cautionem prudentissimam fuisse, solide comprobavit. Vid. Bibl. Orient. *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 412.

C. Pag. 253. *ad Decret.* 16. *Actionis* 7. in quo asserunt Patres, Ecclesiasticorum continentiam ab Ecclesiæ viguisse primordiis, *ut ex antiquissimis Conciliis Orientalibus, & Occidentalibus constat*, hoc elogio honestat Menessium *in Annotationibus*: *En splendidum argumentum insciticæ Antistitis, ut de ceteris taceam; ipse vero Concilium Gangrense non vidit, nec id quod ex Nicæno adducitur*. Esto: at quid si ea legisset? eamdem rem utique decrevisset: lege Canonem Nicænum 3. *Interdixit Episcopo, Presbytero, Diacono, & cuilibet e Clero, habere secum Mulierem subintroductam, tantumque permisit Matrem, Sororem, Amitam; aut quæ omnem suspicionem effugerent*; idque occasione Leontii Presbyteri, qui ut ait Athanasius *in Epist. ad solitar. vit. agent. Se ipsum abscidit, ut libere cum Eustolio* (alias Eustolia) *dormiret; re vera muliere, sed quam ille Virginem prædicaret*: Legesis etiam Canonem Nicænum 4. *inter Arabicos* statuentem ita: *Ne habitent Episcopi cum Mulieribus, neque conversentur cum eis, vel frequentent, aut illarum utantur familiaritate, neque obsequantur, neque studiose aspiciant; pariter*

Digitized by Google

ter & Presbyteri cælibes, atque Diaconi, non habentes Uxores. Et quamvis *Can.*26. statuatur, quod nullus Presbyter, aut Laicus duas ducat Uxores simul: & *Can.*71. prohibeatur Presbyteris, & Diaconis dimittere Uxores suas, non interveniente fornicationis offensa, aliave de causa prout ibi: tamen ex hoc minime inferre licet, approbasse Concilium Conjugii usum in Ecclesiasticis; sed tantum præcepisse, Uxores ante Ordinationem ductas, apud se caste retinere; alere etiam, nec sine causa dimittere; vel ad summum id mere (*a*) tolerasse; at vero magis consentaneum habetur menti Concilii, meram cohabitationem indicasse; quippe quod tantopere, duplici Canone supralaudato, Ecclesiasticorum continentiam commendavit; & cum *Can.*79. *de Diaconissis* Viduas admiserit tantum, & à thori illecebris alienas; quanto magis dicendum est, hanc vivendi rationem postulasse in Presbyteris, iisque omnibus, qui sunt Sacris Ordinibus initiati? Ex hac etiam Orientalis Ecclesiæ disciplina circa Diaconissas, quarum munus erat fœminarum Baptismum curare, quod viguit eo tantum tempore, quo Baptismus non Infantibus, sed jam adultis conferebatur; quis non potiori jure inferat similem, immo arctiorem disciplinam, circa sacros Ecclesiæ Ministros? Quod vero ea fuerit disciplina circa Diaconissas, videre licet *Bibl. Orient. tom.*3. *part.*2. *cap.*13. §.10. *de Diaconissis*. Unde etiam lectis Nicænis Canonibus, non alium, nisi castitatis, atque continentiæ spiritum, haurire liceret Ecclesiasticis Viris: verum Scarabæus stercus è rosis elicit.

CI. Si vero illis verbis: *& quod ex Nicæno adducitur*, intenderit digitum Crozæus ad id quod refert Socrates *lib.*1. *cap.*18., quodque totidem pene verbis narrat Sozomenus *lib.*1. *cap.*22., & post eos Cassiodorus *Hist. Trip. lib.*2. *cap.*14., Niceph. *lib.*8. *cap.*19., Gratian. *in Decret. Can.*13. *distinct.*31., & cum plausu excipitur à Natali Alexandro; nimirum quod cum Nicæna Synodus eo propenderet, ut legem ferret, qua Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi, ab usu temperarent Matrimonii, etiam ante suam ordinationem contracti, Sanctissimus Episcopus Thebaidis superioris Paphnutius restiterit; tanta momentorum vi, atque rationum efficacitate, ut Synodus ab edicenda lege supersederit: id sane tanquam fabella, vel a Socrate primum conficta, vel ut consultius alii autumant, à Græcis post schisma; ne quas acceperant Uxores, dimitterent; Græca fide in vulgus sparsa, à cordatioribus Viris exploditur, atque exsibilatur. Et quidem disciplinam Ecclesiæ, illius temporis, ignorasse SS. Epiphanium, & Hieronymum, non nisi desipiendo dici valet: ille

 igitur

(*a*) Prudentissime Ecclesiæ mentem circa hoc aperuit SS.D.N. Benedictus XIV. feliciter regnans in Constit. pro Italo-Græcis: *Et si Pastoralis* edita 7. *Kalend. Jun. an.* 1742. §. 26. *& seqq. Et si expetendum* (ait) *quam maxime esset, ut Græci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem non secus, ac latini servarent; nihilominus ut eorum Clerici, Subdiaconi, & Presbyteri uxores, in eorum ministerio retineant* (loquitur de ductis ante ordines, & Virginibus) *Romana non prohibet Ecclesia ..... qui autem uxore mortua, aliam duxerit, excommunicatur*, deponitur, ac ab ea separatur; & addit: *Matrimonium enim post recensitos ordines contractum, nullum irritumque declaramus*.

Digitized by Google

igitur ad finem *operis Cont. Hæres.* ait: *Et si quis ab initio continens fuerit, aut Viduus, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, aut subdiaconi.* Hic vero *adverſ. Vigilantium* egregie refellit, contendentes, rem uxoriam Eccleſiaſticorum, ex antiqua Eccleſiæ traditione deſcendere, dum exclamat: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Aegyptii, & Sedis Apoſtolicæ? Quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi Uxores habuerint, Mariti eſſe deſiſtunt?* Ne autem aliquis cum Natali laudato, hos Patres traducat, ut diſtantes 80. *circiter annos* ab illa Synodo, damus Euſebium, qui Synodo ipſi interfuit, ſcribentem *lib. de Demonſt. Evang. cap.9.: Verumtamen eos, qui Sacrati ſunt, atque in Dei cultu, ac miniſterio occupati, continere ſe deinceps ab Uxoris commercio decet.*

CII. Denique, & quod rem totam conficit, demus Socratem narraſſe veriſſima; inde potius perſpicere, noſcereque licebit, ſpiritum Eccleſiæ prioris ævi ante Synodum, & Nicænorum Patrum apertiſſimam pro antiquæ continentiæ diſciplina mentem: cujus rei clariſſimum argumentum eſt, ne ipſum quidem Thaumaturgum Paphnutium, ob inſignem Sanctitatem toto Oriente celeberrimum, quique utpote continentiſſimus, non ſuam, ſed aliorum cauſam agebat; Canonem de re uxoria Clericis indulgenda, quem orabat, ſuadebatque, nullo unquam pacto Concilii Patribus perſuadere, & ab iis exorare potuiſſe. Nunc Crozæ, aſſumptiſque tecum Calvino, Lutheroque tuis, cum Marco Antonio de Dominis, aliiſque Eccleſiaſticorum caſtitatis impugnatoribus, clypeum Nicænæ Synodi, tuæ, tuorumque ſociorum libidini obtende, vel potius aperte fatere, quod iniquiſſime ſentis, Murciæ (*a*) potius litandum eſſe quam Deo.

CIII. Nec magis favet iſtis Gangrenſis Synodus, quæ coacta fuit anno circiter 330. (*b*) quinquennio poſt Nicænam (variis de cauſis, maxime autem contra (*c*) Euſtathium) hujus 4. *Canon* fortaſſis à Crozæo indicatur, nempe: *Quicumque diſcernit à Presbytero, qui Uxorem habuit, quod non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere; anathema ſit:* vel ſicut contractior in uno (*d*) MS. legitur: *Si quis diſcernit de oblationibus, non communicans, quas Presbyter celebraverit conjugatus; anathema ſit.* At ex hoc non videmus quid præſidii capere poſſit Crozæus, ut oſtendat antiquam eſſe diſciplinam, quod Presbyteri ſint Uxorati: etenim ſi attendatur cauſa finalis condendi Canonem, ea profecto non fuit

(*a*) Dea *Murcia* pro Venere. Vide Dict. Fabri Sorani.

(*b*) Hæc Synodus habita fuiſſe videtur inter annum 325. & 341. ut ait Socratem *lib.2. cap* 43. & Sozom. *lib.4. cap.24.*

(*c*) In Epiſt. præfixa iſti Synodo, in Collect. Harduin. vocatur Euſtathius, ejuſque ſequaces Euſtathiani.

(*d*) In uno è ſex MS. veruſtiſſimis Colleg. Pariſ. Societ. Jeſu ita habetur: & in *cap.4. e regione reſpondente Canoni* 4. hæc habentur: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, tamquam occaſione Nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo ſe abſtinet: anathema ſit.* In laudata autem Epiſtola qualis fuerit hic Euſtathianorum error, clare detegitur dicendo: *Presbyteros vero qui Matrimonia contraxerunt, ſperni debere dicunt, nec Sacramenta, quæ ab eis conficiuntur attingi.* Ita verſio nova Epiſtolæ apud Harduin. *tom.1. col.532.*

Digitized by Google

fuit Presbyteris conjugium indulgere, aut alias indultum, restituere; ideo enim Canon fuit factus (ex adnotatione Isidoriana relata in Gratian. *Decret. II. Distinct.* 16.) quia cum Eustathius effutiret, nullam conjugatis æternæ vitæ spem esse, fideles sese retrahere poterant à sacrificio eorum Sacerdotum, qui etiam vivente Uxore, & si ab ea temperantes, celebrarent; aut forte putare, horum ordinationem nullam, ipsorumque Sacrificia nullius valoris in comparatione eorum Presbyterorum, qui Uxorati nunquam fuerunt; unde Synodus, ne latius hujusmodi serperet error, anathemate percussit discernentes inter Sacrificium Presbyteri conjugati, & non conjugati; asserendo nullum quoad oblationem Sacrificii esse inter eos discrimen. Id ne est, Presbyteris Matrimonium permittere? Asserere nempe, quod si Uxoratus ordinetur, ut à tempore Apostolico aliquoties eveniebat, ejus Sacrificium in nullo differt à Sacrificio non Uxorati? Si ita est, ut videtur velle Crozæus, æquo jure quis dicere poterit, quod ex Ecclesiæ disciplina, Monachis hodie permittitur Matrimonium; eo quia etiam Uxoratus, si mutuo consensu se ab Uxore separat, admittitur in Monasterio ad professionem, & Ordines; cujus rei notissima sunt exempla in Petro Corbario Minorita, & aliis quamplurimis. Qua in re quis non videat maximam, quæ intercedit distantiam, inter admittere conjugatos ad Monachismum, & indulgere Monachis, quod uxores ducant (*a*), aut antea ductis utantur? Pariter ergo de Presbyteris conjugatis discurrendum est. Fortius intorsisset Crozæus Concilium Ancyranum, & Canones Trullanos, nisi Ancyrana Synodus in casu particulari tantum, & per modum provisionis decrevisset, & nisi Patres Trullani speciosum incontinentiæ Clericorum velum obtendissent, ut luculentius, & fusius ostenderemus, si præberetur occasio: interim vide Synodum *pag.* 192. Hæc ut putamus, plusquam satis sunt, ut ostendatur, quam inaniter Crozæus, & imperitiæ insimulaverit Diamperitanos Patres, & Canones Nicænos, & Gangrenses illis objecerit, quos ita leviter attigisse Crozæum apparet, sicut Fipula aquam.

CIV. Ibidem aliam cantilenam interserit in altera adnotatione, dicendo, quod *Presbyteri Græci & Moscovitæ, si secundo nubunt, inter Laicos communicant, nec inter Presbyteros amplius recensentur; unde indebilem characterem Sacerdotio non tribuunt, ut nec antiqua Ecclesia,*

 quid-

(*a*) Nestoriani Matrimonium permittunt Monachis, Diaconis, & Presbyteris, etiam post Ordinationem, nec semel tantum; immo ex Josepho II. Patriarcha: *possunt ducere septem Uxores cum dimidia*; idest septem Virgines, & unam Viduam; id inter eos est discriminis, quod Monachus tunc desinit esse Monachus; vota enim horum temporaria videntur: Vide Bibl. Orient. Assem. *tom.* 4. *pag.* 327. *&c.* Eo modo quo etiam apud nos plura Virginum Collegia extant; quæ hujusmodi vota emittentes, nuptias cum volunt, admittunt. At de hoc clarum habemus testimonium Patriarchæ Joannis Bar Abgari *lib. de Quæst. Eccles. Quæsito* 18. quod est tale: *Accidit Puellam a Parentibus Monialem fieri. Quæritur, an eidem liceat a proposito monastico resilire?* Respondetur: *hoc* (etiam nubere) *ei esse permissum; at non decet obligatam Deo fidem frangere*; cavet inde, ne Nuptiæ in publico fiant; & addit: *Hoc vero quod de feminis dictum est, Viris etiam commune jus esto, simili modo inclusis*, idest in Monastico statu existentibus.

Digitized by Google

quidquid scholastici dicant: videatur super hac re P. Morinus de Sacris Ordinationibus. Verum esto Græci & Moscovitæ, ut ipse asserit, ita fecerint: quid inde? Ergo ita fieri debet? Diserte negamus; aliter eadem consecutione fieret, licitum esse furari, & alia quamplurima licere, quæ etiamsi sæpius ab hominibus scelestis fiant, non ideo ea fieri posse probatur. Deinde quamquam ita fecissent Moscovitæ, & alii; & Presbyteros iterum nubentes, in Presbyterorum numero non recenserent, & laicæ communioni addicerent; non videmus, quomodo ex hoc recte inferat Crozæus, quod illi indelebile signum characteris non agnoverint; etenim Ecclesia Romana eodem modo se gerit cum Presbyteris, e Dignitate dejectis, vulgo *degradatis*; quæ tamen ipsos indelebili characterе (*a*) manere signatos, constanter tenet: immo & ipsum Crozæum, qui à vera fide descivit, propter indelebilem Baptismi characterem Christianis (transfugis tamen) annumerat. Quod autem Ecclesia antiqua, characterem Sacramentalem non agnoverit, sub hoc nomine fortasse sustineri posset, nisi Augustinus *Epist.98. antea 23. Dominicum characterem* memorasset, & in aliquibus Sacramentis, animæ imprimi diserte tradidisset variis in locis: adeas Cupetiolum *Theol. Mor. Aug. tom.3. co.778. & seq., & col.796.*, & nostrum Berti *tom.6. lib.30. cap.22.* sed damus ultro prædictum characteris vocabulum non adhibuisse; certe tamen rem per illud significatam agnovit, & constanter tenuit; sic in primitiva Ecclesia incognitæ erant voces istæ *Incarnatio*, *Eucharistia*, *materia*, *& forma* Sacramentorum, & aliæ quamplures.

CV. Sub aliis tamen nominibus eamdem rem, quam nos confitemur, confitebatur, & agnoscebat; & quantum ad characterem non parvi faciendum est scholasticorum suffragium, quibus facem præfert Albertus Magnus, qui *in 4. Dist.6. art.4.* ait: *De charactere in sensu quo Magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis Sanctorum*; quia scilicet Sancti, aut *Sigilli*, aut *Signaculi* nominibus, ad designandam rem, quam nos cum posterioribus *characterem* dicimus, usi sunt; characteris autem vocem, aliis significandis rebus adhibuere: unde utcumque, rem si tenuerint, vocabulum novum non horremus, prælucente in illis casibus Ecclesia. Tandem (ut vult Crozæus) consulamus P. Morinum, qui *de Sac.*

(*a*) Piaculum duceremus præterire hoc loco Decretum recitatum in Concil. Carthag. anno 397. *Placuit etiam*, in quo ex antiqua disciplina statutum fuit: *Ne quis Donatistarum cum honore suo recipiatur a nobis, sed in numero Laicorum*. Quem locum ita commentatur Dupinius in *Optatum Milevit. pag.204. Ut communicarent tantum ut laici, & nullam ordinationis, & honoris prærogativam retinerent*. Viguit primum eadem lex in Ecclesia Romana, ut constat ex Innoc.I. *Ep.22.*, & Conc. Eliberit. *Can.51.* Rogemus nunc: Quid si mitius ageretur cum istis, inter Laicos communicantibus? Quid in locis, ubi *duo erant Episcopi, quos discussio geminaverat*; ut ait Aug. *Ep.43.*? Ordinabantur ne iterum isti Episcopi, aut Presbyteri? Certe non: sed ut Miltiades (teste Augustino disposuit) *confirmabatur, qui foret ordinatus prior*. Igitur illa prior ordinatio; igitur ille ordo, antea susceptus, indelebiliter perseverabat ex mente Ecclesiæ; quod nunc nomine *characteris* significamus. Aliter qui ter, quaterve lapsus, toties ad officium admitteretur; ter, quaterve etiam ordinari debuisset. Quæ inaudita sunt.

Digitized by Google

Sac. Ordinat. part.3. Exercit.3. cap.1. num.1. respondit consultus; quod quamvis de natura, & effectibus characteris, varie admodum senserint Doctores scholastici, cum primum de illo in Scholis disputare cœptum fuit; tamen (ait *num.5.*) esse characterem *qualitatem spiritualem, & indelebilem: cum Doctorum Ecclesiæ maxima pars in eam sententiam inclinare, & recumbere videatur* (& tacite redarguens characterem negantes, quasi hoc nomine antiquis ignotum, subdit opportunissime) *Quidni Posteriores ex Priorum cognitione, & scientia profecerint? Plurimi pertransibunt* (inquit Daniel) *& multiplex erit scientia*. Certe aliqui ex antiquis Patribus usurpantes *substantiam, subsistentiam, & Hypostasim*, sicuti & *causam*, & *principium* in sensu alieno; à posterioribus (explicatis optimo in sensu illis vocibus) illustrati sunt; & sicuti virtute Dialecticæ, aut logicæ docentis, ut vocant, quæ nihil aliud est, nisi directio mentis, ne in suis actibus erret; inventa est distinctio inter id, quod est complementum naturæ in esse *naturæ*, & id, quod est complementum ipsius in esse *suppositi*, aut *Personæ*: discretio item illius, quod dat esse alteri *contingenter, & in tempore*, ab eo quod dat esse tamquam origo *necessaria, & coæterna*, indeque sublata fuit æquivocatio: ita pariter vocem *characteris* universalis Ecclesiæ consensione, usurpare cœperunt, recentiores Patres, & Theologi, ad designandam perpetuitatem aliquorum effectuum sacramentalium, qui, ea antiqua notione *signaculi*, & *sigilli* &c. non satis apte explicari, prout temporum ratio exigebat, arbitrati sunt.

CVI. Unde ut raptim saltem apologiam instituamus pro Dialectica, & Dialecticis, quos Crozæus hic, & pluribus in locis conviciis proscindit; quasi essent omnium malorum causa, quæ in Religionis negotio irrepunt (odit Noctua lucem) id solum quasi per transennam dicimus, ne altius camarinam istam moveamus; nempe ignorari penitus, qua ex causa, tot dira Dialecticæ, & Dialecticis imprecatur? Anne quia lites, & dubia cient? At plurima dilucidant, atque sedant. Fortasse quia pravi quidam homines Dialectica abutuntur, ut ceteris imponant, atque ludificent? Tamen hoc vitium est Dialectici, non Dialecticæ; deinde sunt quamplurimi, qui recte, & honeste ea utuntur. Quod si idcirco proscribenda esset Dialectica, & Dialectici propellendi, eadem de causa propelli deberent aurum, arma, & libri: Juris etiam scientia, Medicina, & aliæ Artes cum Professoribus ipsarum: aurum enim, quo non mortalia pectora cogit? Armis perimuntur homines; libris mores corrumpuntur. Medici impune occidunt; Jurisperiti rapiunt; pauperes etiam opprimunt. Omnes ne, ac omnia ista, in Oasim deportanda? Id nullus sui compos dixerit; hoc unum tantummodo ex effato Pauli *Rom.12.* Dialecticis inculcandum est: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; & quod commune est, ceterarum Artium cultoribus: *Ne quid nimis*. Ceterum strenue Dialecticæ incumbendum esse, multis conficere possemus; sufficiat exemplum unum in medium afferre, quod ad rem nostram maxime facit, & ferme ob oculos ponit, quam perverse ex communione laica Presbyteris inferatur, aut chara-

Digitized by Google

characterem in eo fuisse deletum, vel illum non esse Sacerdotem, aut ejus ordinationem invalidam eo ipso reputaturum fuisse ab Ecclesia: quo insuper palam fit id, quod potissimum intendimus, scholasticos scilicet maximum esse, in re ancipiti, præsidium Ecclesiæ.

CVII. Diu olim, atque multum inter se commisit Episcopos Galliæ, tempore Ludovici Imperatoris controversia illa, de ordinationibus factis ab Archiepiscopo Rhemensi Ebbone, gradu dejecto, atque deposito; a quo ordinatos, iterum Hincmarus ordinandos esse, mordicus asserebat; quippe ordinati ab eo, qui, ut multi opinabantur, nullam haberet ad id potestatem; eo quod legitime fuisset depositus, & laicæ communioni addictus: quamobrem hanc opinionem Hincmarus sequutus illos omnes exauctoravit. Ex quo quot Deus immortalis turbæ excitatæ sunt! Concilium Suessionense iterationem approbat: Nicolaus I. improbat: Gallia vexatur hac quæstione, annis vicenis & septem. Porro Hincmarus, sicuti & adversarii, confundebat potestatem Jurisdictionis, cum potestate Ordinis. Existimabant omnes & quidem recte, ordinationem a Catholico Episcopo factam canonice, deleri non posse; at non recte putabant isti vim ordinandi, adeo in Episcopo deposito reprimi, ac hebetari, ut potestatem non haberet, ordinandi alios. Alii ex adverso dicebant, vim potestatis semel acceptæ deleri non posse. O felix Gallia: si eo seculo nono illuxissent ei Scholastici; Petrus Lombardus, ejus successor Petrus Pictaviensis; Albertus Magnus; & Scholasticorum lumen Divus Thomas; qui ipsam post quatuor sæcula tot nominibus illustrarunt! Plane *vel uno verbo* nodum illis viris adeo implexum dissolvissent. Sed ne id tanquam ex nostra sententia dictum, suspicione apud aliquos laboret, audiatur Cl. Gallus Jo: Morinus (*a*); non admodum in Scholasticos propensus.

CVIII. *Part.*3. *de Sac. Ordinat. Exercit.*4. *cap.*4. ubi litem istam describit: *Profecto hoc tempore difficultas illa, quæ Galliam præcipue annis* 27. *vexavit, propter quam enodandam tot Concilia celebrata sunt, & iterata; nullo negotio ab annuo Theologiæ Tyrone dissolveretur: illicite diceret, sunt Ordinati, non tamen invalide*. Videsis laudatum Morinum, qui totam illius facti seriem expendit. Excipiendi ergo sunt Scholastici; id quod nostris hisce temporibus fere in desuetudinem abiit, lubenti animo, atque liberali; illi vero qui Dogmatis, & Historiæ Ecclesiasticæ, Dialecticam jungant; ut qui omne tulerint punctum; summe allaudandi; vice versa inter homines parum S. Ecclesiæ utiles computandi sunt ii, qui sacræ Scripturæ, Patribus, Dogmatis, & Ecclesia-

(*a*) Inter auctores Scholasticis infensos, computatur Morinus a P. Natali Argone in Miscellaneis, quæ sub nomine *Vigneul de Marville edidit*; *& tom.*2. *pag.*345. Scholasticorum osores recenset, Leonem Allatium, Joannem Morinum, Joannem Launoy & Lucam Holstenium: qui tamen Augustinianis carissimus maximam suæ Bibliothecæ partem Angelicæ Urbis Bibliothecæ legavit. Ceterum omnium validius Scholasticos exagitat Constantinus Grimaldus *variis voluminibus Lucæ editis anno* 1725. Ex laudatis autem auctoribus duo, nempe Holstenius, & Morinus, protestantium religione ejurata, Romanæ Ecclesiæ fidem amplexati sunt: teste eodem Argone *tom.*1. *Miscell. pag.*215. Natalis *iste Argone*, appellatur ab aliis, Bonaventura.

Digitized by Google

siasticæ historiæ dant operam, sola Dialectica naturali (quæ neminem e viventibus destituit) suffulti; eo enim die ii erunt Theologi, quo qui congerendis lapidibus, & miscendis tantum coloribus intentus, posthabitis, immo spretis architectonica, & optica tanquam redundantibus, Architectus evadat, aut Pictor: eo tamen jam res deflectunt, ut verendum sit, ne accidat nobis, si ab heterodoxis lacessemur; quod Israelitis, dum eos Philistæi adorti sunt in Galgala, 1. *Reg.*13.: *Cumque venisset dies prælii non est inventus Ensis, & lancea in manu totius Populi*; eo quod *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel*, sed neque vomeres, ligones, aut præferrati conti; quos illi præ manibus habebant, usui esse potuerunt, quia cum non esset *Faber*, qui eos exacueret ad cotim: *Retusæ erant acies vomerum, & ligonum*.

CIX. A pag.253. ad finem usque Synodi, æquiorem se, pacatioremque exhibet Crozæus: ast ut dixit Petrarcha, nescio quo in loco: *Non serenum omne, statim optimum*. Jure igitur arguere videtur Patres *Diamperenses pag.*261. *& sequenti*; tum quia reprehendunt eos Christianos, quod sabbato carnibus vescuntur, tum quia obligatoriam non censebant abstinentiam feriæ quartæ; tum etiam quia consuetudinem appellant Judaicam dies festos & jejunia non a media nocte usque ad mediam noctem, sed a vespera in vesperam computare. Siquidem Orientales omnes pro Sabbato, in quo jejunium servat Ecclesia Romana, feriam illi quartam, non secus ac sextam ex obligatione colunt.

CX. Ad alterum de inchoatione festorum, & jejuniorum, licet recte appellari posset consuetudo Judaica, ea observare a vespera in vesperam: attamen non sola Synodus Diamperitana ita sensit, sed etiam Concilium Magfeld. anno 1362. *ab hora diei Sabbati vespertina inchoandum, non antea præveniendum, ne Judaicæ professionis participes videamur* (si scilicet maturius inciperent) Hebræis enim præceptum erat levit.23. *v.*32. *a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* (*a*) ipsi tamen ante vesperam incipiunt. Vide Maurocenum *pag* 1330. ceterum non erat peculiaris ille ritus Judæorum; antiquissima enim ea fuit consuetudo in Mesopotamia, & Chaldæa; nimirum inchoare a Vespere dies; ut etiam nunc in Divino Officio Ecclesia Romana, a primis vesperis ad secundas, solennitates suas ducit, atque celebrat. Extat in Bibliot. Orient. *Dissert. de Syris Nestorianis pag.*359. *canon Joannis Isæ* de hac re: *Placuit Spiritui Sancto, & præcepit per manus Patrum, in die feriæ sextæ non licere Christiano comedere carnem omnino: antequam sol occidat, parsque nocturna Sabbati incipiat*. Dignum etiam est, quod adnotetur in Concil *Forojul. anno* 791. *cap.*13. asseri *Diem Dominicum inchoante noctis initio, id est vespere sabbati, quando signum insonabat, ad Vesperarum Officium incipere festum*; at subjungit; *Judæi celebrant Sabbatum, quod & nostri rustici observant*. In Concilio etiam Compendiensi in

(*a*) Idem cavetur in Capitular. Haonis Episc. Basile. *anno circiter* 821. *num.*8. *feriandum* (ait) *per omnem Dominicam a mane usque ad vesperam, ne Judaismo capiantur*. Vide Constit. Abatis de Flay, de cautiori observatione Dominicæ, factam anno 1203. *tom.*2. *Concil. Angliæ*: & Synod. Diamper. *Actio*. 8. *Decr.*16. *p.*229.

in Diœcesi Svessionensi sub Gregorio IV. *anno* 833. & habetur *cap.*1. *de Feriis* statutum fuit: omnes dies Dominicos a vespera (*a*) in vesperam observari. Addimus Concilii *Aenamensis anno* 1009. Sermon. Synodal. *diem Dominicum & alias festivitates absque opere servili a vespera, usque ad vesperam celebrari docete*. Synodus etiam *Helenensis anno* 1027. *ab hora Sabbati nona, usque in diem lunæ hora prima*, prohibet præliari. Tandem *Magfeldense* superius laudatum in *Mandat. de Festis celebrand.*

CXI. At vellicandi non erant Diamperenses, quod iis contraria statuere vellent, ut ita conformior illa Ecclesia redderetur Romanæ; cum etiam Barhebræus Jacobitarum (*b*) Maphrianus (Antistites inter eos primas) nullo ad id jussu Pontificis Romani stimulatus; conatus fuerit Jacobitas suos, ut refert Asseman. *loco mox laudato* ad morem occidentalis Ecclesiæ reformare (quem etiam Græci tenebant) adeoque ille in hunc morem invehitur, ut asserat *lib. Candelab. Fundam.*2. *cap.*3. *sect.*1. *Scopo.*6. quod jejunium solvere feria 4. & 6. in fine diei, id est, dum sol occubuit, & ante mediam noctem: *Id ex relaxatione disciplinæ, non alia de causa a Syris usurpari*. Aliis deinde etiam seculis, non una fuit in hac re consuetudo Regionum; cum Alexander III. ut refertur *cap.*2. *de Feriis* unicuique Ecclesiæ servare suam consuetudinem indulserit, etiam ubi a media in mediam noctem festa observabantur: *licet scriptum sit; de vespera in Vesperam celebrabitis sabbata vestra; Festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diversarum Regionum consuetudinem, debet attendi*. In tota autem pene Europa, obtinuit deinceps consuetudo celebrandi festa, de media in mediam noctem. Adeas Thomasin. *de Fest. lib.*3. *c.*5. Gonzal. *in cap. omnes lit. C. de Feriis*, & Oraculum consulas, & fidei, & eruditionis omnigenæ Benedictum XIV. *Notif.*12. *num.*8.

CXII. Pag.263. quia *Decret.*18. *Act.*8. ubi statutum fuit; ut Orationem Dominicam, & alias; cum Symbolo fidei, præceptis Decalogi, & Ecclesiæ; sicuti & Catechismum, non lingua Syriaca (quam non multi callebant) sed vernacula Malabarica, traderent Parochi; ait Crozæus, *id quantum ad preces, videri sibi, consuetudini Romanæ Ecclesiæ adversari*: adponit insuper textum (*c*) Lusitanum, ut unusquisque *conclusionem, quæ sibi placet, eliciat*. Pactum acceptamus, & istam inferimus conclusionem: ergo Crozæus ita hic agit, ut cum Biblia, & Liturgiam, lingua vernacula scribi, in Ecclesia Romana obtinere non possit; instituat paritatem a precibus ad conficiendum vel omnia lingua vernacula tradi debere; aut neque orationes, & catecheses; cum pro iis

(*a*) Qui plura velit hujus observantiæ exempla etiam in nostra Ecclesia Occidentali adeat S. Greg. Turon. *lib.*3. *de miracul. S. Martini, cap.*31. & 56. & Cl. Mabillonii *acta Benedictina Sec.*2.

(*b*) Vide Bibl. orient. *tom.*2. *pag.*215.

(*c*) Lusitanus textus, talis est: *O Vigairo, ou outro Cazanar, ou Chamaz, de seu mandado ensinara a Doutrina a os minimos: 5. o final da Cruz, Padre nosso, Ave Maria, Creo em Deos Padre, os Mandamentos da Lay de Deos, e da Igreja, artigos da Fe, e mais cousas da doutrina Christiana, em lingoa natural Malavar, que todos entendão; e nao na Suriana em que nao sabem o que dizem &c.*

Digitized by Google

iis par omnino ratio militare videatur. Quia tamen, quod attinet ad Biblia Sacra, & Liturgiam; hæc est vetus hæreticorum cantiuncula & crambe ab illis centies recocta, remittimus Crozæum ad Auctores Dogmaticos, & præsertim ad *Epist.* 3. P. Bachini *adversus Piceninum a* § 30. *& deinceps*. Quantum vero ad preces, & orationes, distinguere debuisset orationes publicas a privatis; atque ita addisceret, praxim Ecclesiæ fuisse, illas lingua latina fere semper fundere; istæ vero, permittere, ut vernacula lingua recitentur, & multo magis ut ita fiant Catecheses, cum multum intersit fidei doctrinam ab omnibus intelligi, & percipi; atque hunc fuisse Ecclesiæ morem comprobatur ex Concilio *Bituricen. anno* 1584. dicente *tit.* 1. *can.* 3. *lingua vernacula publice psallere, aut orare nemini liceat, nisi concionatori. Et ibidem Can.* 10. prohibet varios precum libellos, etiam lingua latina; & non tantum vernacula, ne *specie recti vulgus seduceretur*. Et quia officium parvum, ut vocant, B. Mariæ, publice in choro ex præscripto Ecclesiæ aliquibus diebus recitari debet, illud *vernaculo idiomate editum vetuit haberi* S. Pius V. *anno* 1590. & Conc. Tolosan. *cap.* 11. *num.* 6. etiam in Concil. Avenionen. *tit.* 7. *anno* 1594. prohibitum fuit, lingua (*a*) vernacula, & etiam *Hispanice, vel Italice, vel Germanice*. E contra dicimus, de oratione Dominica potissimum, de qua in Concilio Bituricense *laudato*; *tit.* 2. *Can.* 7. legitur eisdem pene verbis, quod in Synodo Diamperitana statuitur; quod nempe componatur Catechismus, cum illis orationibus &c., & quod Populo, & præsertim pueris, a Parocho explicetur: qui profecto vernacula lingua edendus erat.

CXIII. Mos etiam priorum temporum, id innuere videtur; in Concilio enim Forojuliensi *anno* 757. initio statuitur, ut *Symbolum, & Orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat: omnis ætas: omnis sexus*. Leges etiam Ecclesiasticæ *Edgari Regis Anglorum anno* 967. *in Canonibus Can.* 17. præcipiunt, ut omnes, *liberos suos doceant, Pater noster, & Credo. & Can.* 22. qui illa *non calluerit prius*, interdicitur Cœmeterio, & Eucharistia; quæ quidem pro lingua vernacula stare videntur. In Concilio Mexican. *anno* 1585. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 3. statuitur, quod *servis Æthiopibus, & Chichimensis tradatur Doctrina Christiana* (& Orationes) *Hispana lingua, Indis vero ceteris, lingua Materna*. Ex quibus, id saltem certi elicimus; indifferenter vel latine, vel vernacule, sicut in præsenti observatur, eas orationes, privatim dictas fuisse; quodque eos, qui latine sciebant, eas vel latino, vel vernaculo sermone recitasse, ceteros vero omnes, quæ maxima pars esse deberet, lingua vernacula (*b*), illam orationem dicere consuevisse; ut constat ex Concil. Mogunt. *ævo Caroli Magni, anno scili-*

(*a*) Hæc verba desumta videntur ex Concil. 3. Mediolan. *an.* 1573. §. 4 dicente. *Libri de officio & precibus horariis B. Mariæ V. vulgariter, vel Italice vel Hispanice, vel Gallice, vel Germanice: non vendantur &c.*

(*b*) In Capitular. Hartonis Episc. Basiliensis anno circiter 821. præscribitur n. 2. *Ut oratio Dominica & Symbolum ab omnibus discatur, tam latine, quam barbarice*. Et explicatur in margine *aliat Germanice seu Francice*.

Digitized by Google

cet 813. *Can.*45. ubi præcipit, Symbolum, & Orationem Dominicam discere: *Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat*. Unde qui latine nesciebant, vernaculo sermone recitabant; optabat autem Ecclesia (ut etiam in præsentiarum) quod plures, latinitate valerent; nunquam autem vetitum fuit, ejusmodi orationes, precesque, patrio sermone privatim recitare.

CXIV. Tandem Crozæus percurrit totam Synodum, atque in ejus decursu, levi brachio punctim, cæsimque ferit, quidquid placitis Religionis Reformatæ non cohæret. Cumque terminus pene lectionis instaret, vehementer mirabamur; quod ille opiparam suis mensam sociis instruxisset, conviciis refertissimam adversus omnes, qui Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Religione addicuntur; quodque eam, omnino absque consueto festivo sale, parasset. Nihil contra Monachos? Id erit, inquiebamus, profecto insolentissimum ostentum, & præter gentis indolem. At dum versamus paginam 277. ecce hac aurea clave suum obserabat libellum in Synodum: *Hoc maxime animadvertendum, Monachismum inter Christianos Divi Thomæ, neque stabilitum, neque cognitum fuisse*. (a) *Hæc una fortassis est Ecclesia antiqua, quæ immunis ab illa superstitionum vena, conservata sit*. Papæ! quam bellum libelli umbilicum! Id jam dudum nobis præsagibat animus. Id prisco tempore in iis versatissimus Augustinus præsensit; atque etiam quid agendum Monachis esset, cum ab heterodoxis ita adorirentur, sapientissime præscripsit *in Psal.*132. *Quam bonum, & quam jucundum* his verbis: *Ex voce hujus Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis*. Insultandi causam assignat *Quando vos recte hæreticis, de Circellionibus* (de Ministris) *insultare cœperitis, ut erubescendo salventur, illi vobis insultant de Monachis*. Quid ergo agendum? respondendum ne? Non prorsus, ait: sed rogare eos, ut attendant nostrorum vitam, atque suorum; si enim opus est, ut nos verbis defendamus, signum est, quod non recte valemus: *Si verbis* (infit) *vestris opus est, jam laboratis. Non opus est, nisi admoneatis unumquemque, ut adtendat: solum adtendat, & comparet. Quid opus est verbis vestris? comparentur ebriosi cum sobriis; præcipites cum consideratis; furentes cum simplicibus; vagantes cum congregatis*. Dum ergo semetipsos adtendunt, & sincere se Monachis nostris componunt, ad ea quæ de facto asserit Crozæus, aliquid reponendum est à nobis.

CXV. Duo autem dicit, & Monachismum incognitum fuisse illis Christianis, & illum esse superstitionum venam; horum autem primum fal-

(a) Holophantæ isti (tali enim nomine dignus est, qui mercede conducitur, ut mentiatur, & convicietur) opportune reponit Asseman. *Tom.*4. *pag.*402. aliter sensisse *Patres, Doctoresque Ecclesiæ Catholicæ, æqui rerum æstimatores, qui vitam monasticam summis laudibus extollunt; atque per Sanctissimos Monachos profligatam superstitionem, debellatas hæreses, atque veritatem orthodoxam, terris aut restitutam aut illatam, ubique prædicant*. Qui autem scire aveat, qua de causa Religiosi odio a plurimis habentur, adeat S. Paulin. Nol. *Ep.*22. & 23. & Rupert. Ab. Tuitiensem in *libris de Vit. vere Apostol.* præcipue; *column.*999. *apud Martem. Collect. Vet. Scriptor. tom.*9.

Digitized by Google

falsitatis (a) arguitur ex Cosma Indico-pleuste *lib.3. pag.179.*, qui anno circiter 530. scribit esse apud Indos nostros *Monachos*, & *Hesychastas*, idest silentiarios; quo nomine veniunt solitarii, & Eremitæ: id præstatur etiam ab aliis, quos consulere poteris in Dissertatione *De Moribus Christianorum D. Thomæ*. Præterea paulo ante appulsum Lusitanorum in Malabaricam Regionem, Episcopi, qui eam regebant, Monachi erant; nimirum Thomas, Joannes, Jaballaha, Jacobus, & Denha; quorum postremi, ad Patriarcham suum Lusitanorum significarunt adventum. Et quod mireris, ipse Crozæus *pag.236. & 243.* meminit Rabban Hormisdæ Nestoriani, quem vocabant Indi, *Sanctum Hormucium*, cuique Templum erectum erat, & eum, non secus ac Malabares, & *Abbatem*, & *Monachum* appellat. Unde certum est, apud Christianos illos, Monachos extitisse; qui etiam usque ad *annum* 1590. in Malabare perseverabant; cum eo anno Monachi missi fuerint ab Indis in Mesopotamiam, ut Episcopos acciperent: ut habetur Bibl. Orient. *tom.2. p.* 487. Quod autem Synodi tempore jam prorsus defecerint, id et versutiæ gentis, & Judæorum, Saracenorum, atque Ethnicorum artibus adscribendum est; quod enim Nestoriani essent, non est ad rem; cum apud Nestorianos etiam, plurimum floruerit Monachismus; adeo ut Episcopatus frequentissime, vel Monachos inveniret, vel faceret tales, qui antea non erant, quod his verbis expressit Asseman. *tom. 2. Dissert. De Monophys*: *In Oriente usus* (Monachismi) *adeo invaluit, ut Monachatus ante Episcopatum tanquam Ordo Sacer, ante Superiorem Ordinem, necessario præmitti debeat*. De Occidente idem habet Thomasin. *tom.1. Discipl. Eccles.* adeas etiam ipsum Asseman. *Dissert. de Syris Nestorian. cap.14.* ipsorum enim videbis plurima Monasteria, in Mesopotamia, Assyria, Perside, aliisque Regionibus.

CXVI. Alterum quod effutiebat; nimirum, Monachismum esse radicem errorum, & superstitionum; quia per summam dicitur calumniam, patienter condonamus, ac taciti præterimus; neque enim opus est, pro illis apologiam texere, quos Ecclesia, Patres, & Doctores, sua tandèm ipsorum merita, & virtus, in tuto collocant; ingentis tantum incogitantiæ arguere Crozæum intendimus; eructat enim, quod illi resorbendum est. Si enim Monachismus est origo superstitionum; cum ex ipso Crozæo tot, tantique apud eos Christianos vigerent errores, veneficia, auguria, & superstitiones, videtur ex hoc confici, apud eos aliquando Monachismum extitisse. Et à contrario: si apud

(a) Falsissimum est, illis Christianis incognitum fuisse Monachismum; sive enim sermo sit de Chaldæis, ante Nestorii hæresim, sive post illam, etiam ad regiones Malabaricas propagatum esse, infinita suppetunt testimonia, quibus demonstratur, floruisse inter eos monasticam vitam non secus ac in aliis regionibus. Insigniorum Monachorum syllabum habes ap. Assem. *Tom.4. pag.403.* ubi conficitur Monachos extitisse, tum ante; tum post Nestorianismum; non tantum in Mesopotamia, verum etiam *in Media, Hyrcania, Bactriana, Tartaria, India, & Sina*. Extra rem igitur est, quod Crozæus assumit, nempe quod in Malabaria, nulli tunc extarent Monachi; hoc etenim quid probat? Aliud enim est alicubi Monachos desiisse, aliud & longe diversum ibidem loci nunquam extitisse.

Digitized by Google

eos Monachi non erant, neque illis unquam, nec usquam cognitus fuit Monachismus, & nihilominus, erroribus, & superstitionibus scatebant: Ergo vena fecunda superstitionum, alia est à Monachismo. Quia igitur impotenter adeo Monachismum exsufflat, unum ex iis degulare debet, ac resorbere, ut evomuit; atque ita fiet, ut ipsi sit facillimum, quod nemini facile fuit; ut ajebat *in Mostellar. Plauti*, Theuropides *Act.3. Scen.2.*

Simul flare, sorbereque, haud facile
Est.

Si tamen livorem, quem in Monachismum eructat inspiciamus; rogandus est ille de scopo, in quem tela mittit. Sunt ne Homines, an Status Monasticus? Si status (ut in persuasis habemus) perquam congrue, & apte semel tandem agit Crozæus; homo (non dicam hæreticus) sed acatholicus, & schismaticus, atque ab Ecclesiæ unitate divulsus; cum enim dicente Augustino, Monachus dicatur à *Monos*, quod est unus; ideoque status Monasticus definiatur ex ipso Augustino: *Multa Corpora, sed non multa Corda*; vel *qui sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant*. Hoc posito sequitur: *Merito insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præciderunt. Merito illis displicet nomen Monachorum. quia illi nolunt habitare in unum*, Aug. *in Psal.132.* Congrue, & aptissime, immo juremerito, ut cum Augustino loquamur, agit hic Crozæus; dum quæ congruunt suo divisionis, & schismatis statui; adversus contrarium unitatis statum, verba effundit.

CXVII. Si vero non cum statu, sed cum Monachis particularibus res illi est; inane prorsus in illos intorquet telum, quod in omnes homines esset intorquendum; quid enim arguere poterit? Esse ne, Monachos pravos, atque scelestos? Id in cujuslibet conditionis (immo & in Angelis) offendet; & consequenter in omnes illi debacchari licebit: audiat igitur Augustinum *in Psalm. 132. sunt & qui Monachi falsi sunt, & nos novimus tales. Sed tam sunt Monachi falsi, quam & Clerici falsi, & fideles falsi: omnia ista genera habent bonos suos, habent malos suos*. Nihil ergo conficit Crozæus ex iis, quæ intendebat: nisi si id tantum sibi proposuit obliqui nempe contra Monachos; & ipsos utcumque conviciis, atque contumeliis afficere; quod si ita sit ut non abs re putamus, reponimus cum eodem Augustino *Epist.125. Fratres in Monasterio constitutos particeps fuisse contumeliarum tuarum, utrum probari possint, ignoro*: felices, qui à Crozæo male mulctantur; miserrimi tandem, cum ab eo, eique similibus laudabuntur; *ab antiquo enim illo* Dracone edocti, male feriati isti, ait P. Aug. *Epist.78. alias 137. num.6. Quid aliud captant, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant?* Id tantum hodie novum est; quod cum illis duobus hominum statibus, mitius jam agitur; corio autem posteriorum, non sine ingenti applausu, semper luditur. Et hactenus vindiciæ contra Crozæum, Synodum nostram recta impetentem, ut oblique universam Ecclesiam Catholicam devenustaret; & qui finem Attellanæ suæ, isto per-

Digitized by Google

perridiculo in Monachos exodio adornavit; nos pariter exodium canimus illi, quod Plauti Asinaria non incongrue, ipsi aptandum, cecinit.

Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet,
Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.

CXVIII. Quum vero vindicem æquum, & honestum, ita deceat candor, & integritas, ut nihil magis; ingenue fatemur, Patres Diamperitanos non pauca castigasse, quæ consultius intacta præteriissent; sequentia igitur subiicimus, quæ obelis suis Crozæus, & quilibet jure (ut nobis videtur cum eruditissimo Assemano *Dissert. de Nestor. p.* 345.) transfixerit. Nimirum.

Quod Patres illi putaverint; ut etiam apud Possevinum habetur *tom.* 2. *Apparat.* Nestorianos plura loca Novi Testamenti perperam corrupisse; etenim si locum excipias Epist. ad Hebr. cap. 2. *ipse enim præter Deum &c.* reliqua habentur in vulgata Syrorum versione, quæ ante Nestorium legebatur: de quo vide adnotata ad *Act.* 3. *Syn. Dec.* 1. *&* 2. Quod Libros Rituales proscripserint, eo tantum, quod cum ritu Latino non conveniebant. Quod sibi persuaserint, ea verba Baptismi: *Baptizatus est, & perfectus N. in nomine Patris Amen &c.* formam esse Baptismi apud Nestorianos; quæ tantum erat proclamatio Baptismi jam facti. Quod usum Sacrorum Oleorum incognitum dixerint in illa Regione, & consequenter quod Confirmationem, & extremam Unctionem ignoraverint; sicuti & existentiam Purgatorii. Quod usum vescendi carnibus die Sabbati, mortalis noxæ esse putaverint; cum is fuerit Orientalium usus, & inter Occidentales, in ultima Thule Hispania, hodiedum in latiore ipsius parte vigeat. Inconsiderate etiam prorsus egerunt, dum tot emendationes in Liturgiam scrupulose nimis invexerunt: dum Ritum Syriacum quoad Missale, Altaria, vestes Sacerdotales, Eucharistiæ materiam, & formam mutaverunt: dum jusserunt trinam Missarum celebrationem, in Natali Domini; benedictionem Cinerum; & Signum Crucis a sinistra ad dexteram ducere: denique dum pronuntiarunt, solius esse Episcopi, legitime Confirmationem ministrare, cum is tantum sit Minister Ordinarius (*a*) non tamen privative unicus; ut patet ex non infrequenti praxi, delegandi Presbyteros tam in Oriente, quam in Occidente, ad Confirmationem ministrandam. In hæc igitur lapsi sunt; vel ex orientalium rerum ignoratione, quod illo ævo mirum videri non debet; vel nimio studio, Indos ad Romanos traducendi ritus, ut longius eos ab antiquis erroribus abducerent; eo ferme pacto quo Sancti Patres, præcipue juxta aliquorum

(*a*) Chrisma inter Nestorianos, non consecratur ab Episcopo, sed a Presbytero inter baptizandum; an id valeat fieri quoad Chrisma confirmatorium; vel sit solius Episcopi & jure divino? Disputant auctores. Inter Græcos, Presbyteri, omnia olea, uno dempto Chrismate consecrant: extat etiam Decret. Clem. VIII. quod *Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea sancta præter Chrisma, ab Episcopis latinis Diœcesanis accipere: cum ejusmodi olea, ab eis, in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex vetere ritu conficiantur, seu benedicantur.*

Digitized by Google

rum sententiam Augustinus, cum Heterodoxis egerunt, ut enim eos ad veritatis centrum ducerent, in partem ex diametro oppositam, aliquanto plus justo deflexisse videntur.

CXIX. Jam vero per supradicta omnia, conati sumus, Synodi nostræ Vindices agere; si ita loqui fas est, ex illo trito: *Nos quoque poma natamus*. Quod si hoc minus digne præstitimus, aut parum, urbano sale usi sumus, vel fortassis etiam desipuimus, satis nos tuetur scitissimum illud Pauli apophthegma: *Factus sum insipiens, vos me coegistis*; quid quod id, nisi fallimur, suo loco & tempore præstitimus; ex Horatio autem *lib.4. Od. tom.2. v. ult.*

Dulce est desipere in loco . . . . . .

Et Callias, inter excerpta Grotiana: *Apud insanos, insanire decorum*: aberrandum enim est illi, qui hoscem extra viam errantem insequitur; sicuti etiam: *sapientiæ pars est* (Lips. Cent.2. Misc. Ep.7.) *leviter desipere, & paullum extra viam rectam ire ad vitandum violentum aliquem occursum*. Gratum quinimmo id futurum fore putavimus ipsi Crozæo; complanatis enim levigatisque iis paucis locis (quamplurima, & prope infinita superant) suæ Historiæ Indorum, minus salebrosa, strigosa minus habebitur, illa Opella; alias erudita; cultior deinde atque gratior; veniam ergo dabit si inter expoliendum, & pumicandum aliquid doloris ipsi attulimus. Animus nobis erat, non ipsum deglubere; immo ne vellicare quidem, sed ornatiorem cultioremque reddere; sed ut ex Dousa habet præclarus Augustinensis Albertus le Roy *in comment. ad Sermon. Petri Scholirii, lib. 3. Serm. 10. num.6. pag.316. Edit. Hermopolit.* difficillime hæc sejunguntur:

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ORNOR.

Quod si ita expoliri, ornarique recusat Præstantissimus Vir, re tandem infeliciter gesta, canet receptui, & sua re criminationum castra reducat, quæ adversus Religionem nostram, nec reformatam, nec reformabilem metabatur: ne tamen id ipsi dedecori detur, & omnino inglorius, stationem relinquat; egregiam illam opellam, *De Christianismo Indorum*, in perennaturum anathema, & μνημόσυνον Deo illi suspendat, cui Templum (a) erectum fuit in Urbe, extra portam Capenam; quum pari infortunio; at minori audacia, Annibal Castra movit, quæ imprudens, & jactabundus, (ut Crozæus adversus Sacram) ipse contra Romam profanam, collocaverat: nempe; DEO RIDICULO.

DIS-

(b) Paul.2. ad Corint. cap.12. v.11.

(a) Ex Tit. Livio apud Ficoronum: *Le Vestigia di Roma*: edit. Romæ apud Mainardum anno 1744. & habetur lib.1. cap.24. pag.162.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

De Indorum Orientalium Diœcesi.

Indorum Ecclesia priscis temporibus Ecclesiæ Persidis subjecta, ac proinde Patriarchæ Antiocheno CXX. *Institutis Catholicis, seu Procuratoribus Generalibus Patriarcharum, atque Archiepiscopis, verisimile est Indiæ Sedem Archiepiscopalem fuisse* CXXI. *Etiam Metropolitanam* CXXII: *Archiepiscopalem rursus, & Episcopalem alternis temporibus* CXXIII. *Christianorum Indiæ numerus* CXXIV: *Pagorum ac nobiliorum Urbium notitia* CXXV: *De Missionibus apud Indos susceptis* CXXVI: *De politico eorum Christianorum regimine* CXXVII: *De Hierarchia Ecclesiastica illius Diœceseos* CXXVIII: *Series Episcoporum Indiæ* CXXIX: *Omnium prior nominatur seculi IV. initio* CXXX: *Episcopi Latini post Synodum Diamperitanam* CXXXI: *Novo exorto Schismate, scinditur series, in cujus altera parte Catholici, in alia Schismatici recensentur* CXXXII. *De alia S. Thomæ Diœcesi, in tractu Coromandelis, nonnulla annotantur* CXXXIII.

CXX.

Anum e tabula pene subducebamus, cum is se nobis ingessit scrupulus, fore nempe, ut ad plenam Christianorum S. Thomæ notitiam, Diœceseos illorum descriptio desiderari posset; quapropter ut omnibus fiat satis, postremam Dissertationem instituimus de Diœcesi Indica, in qua elucidatur, quantum fas est, illius Diœceseos status, Dignitas Episcopalis, Archiepiscopalis & Metropolitica; illorum Christianorum, & Ecclesiarum numerus atque nomen; deinde de Missionibus, regimine, & Hierarchia Ecclesiastica nonnulla indicantur; series tandem Episcoporum cum Catholicorum, tum Schismaticorum accurate contexitur.

Et quidem ex eo quod Indico-pleustes habet, nempe in India, in Urbe aut Emporio Callianæ Episcopum extare, in Perside ordinari solitum, perspicuum fit, quod sicuti Ecclesiæ Antiochenæ obnoxia fuit a primis temporibus Ecclesia Chaldæorum (ita dicta, quia in regione Chaldæorum & Babylonia primaria ipsius sedes constituta fuerat, per Marim S. Addæi sive Thaddæi discipulum, cui Addæo Sanctus Thomas, Apostolus earum regionum curam commiserat) quæ etiam Babyloniam & Persidem complectitur cum Seleucia atque Ctesiphonte, ubi S. Addæum constitisse asserit P. le Quien. *tom.* 2. *Orien. Christ. col.* 1078. ita, inquam, Ecclesia Indica obnoxia fuit a priscis temporibus Persidis Ec-

Ecclesiæ; nec enim Cosmas ejus rei meminit tamquam suo seculo recentis.

CXXI. Tempore autem Ahad-Abowiæ, qui Catholicus quintus post Marim numeratur, propter persecutionem Romani Syriæ Præfecti, indultum est ab Episcopis Antiochenæ Sedis, ut Seleuciensis Episcopus apud suos in posterum ordinaretur, atque remotiores Orientis Ecclesias (inter quas Indica jure recenseri debet) Antiocheni Pontificis vice curaret: ob quam delegationem ex ipso le Quien *col.* 1079. *Catholicus* appellari cœpit, quasi *Procurator Generalis* alterius Antistitis. Quum vero Constantini Magni ævo subscripserit Concilio Nicæno quidam *Joannes Episcopus Persidis & magnarum Indiarum*, nec ita pridem a celebratione ipsius Concilii Nicæni S. Martyr Simeon juxta Sozomen. *lib.* 2. *cap.* 9. *Regiarum Persidis Urbium*, *Seleuciæ & Ctesiphontis Archiepiscopus* appelletur; cumque IV. & V. seculis, titulus Archiepiscopi illis tribueretur Præsulibus, quorum sollicitudini atque regimini plures commissæ erant Ecclesiæ, nullus dubitandi relinquitur locus, quin Episcopus etiam ille Callianæ, Archiepiscopi munere fungeretur in India; maxime cum in illis regionibus asserente Indico-pleusta, *Ecclesiæ extarent propemodum infinitæ*.

CXXII. Titulo etiam *Metropolitæ* honestatum fuisse Indiæ Antistitem, ex eo elucet, quod ante Timothei Patriarchæ Nestorianorum ætatem, nempe ante *annum* 768. asserat Sobensis *in Epitom. Can. Par.* 8. *cap.* 15. Episcopum Indiæ, dignitate *Metropolitæ* auctum *fuisse*. Quia tamen tempus certum non designatur a Sobensi, idcirco Assemanus, *tom.* 4. *Bib. Orient. pag.* 337. ad ævum id rejicit, Patriarcharum Seleuciensium, Salibazachæ nimirum *anno* 714. Silæ *anno* 503. aut forte, ad tempus Achæi, qui eam Sedem iniit *anno* 411. Paulo etiam post tempora laudati Timothei, habetur in Synodica Theodosii Patriarchæ, qui præfuit Nestorianis ab *anno* 852. usque *ad* 858. quod *Metropolita Indiæ*, & ii qui in regionibus longinquis degunt, non teneantur Patriarcham frequenter adire sicut alii, sed teneantur tantum quolibet sexennio, consensionis atque unionis literas omnino mittere. In tabula etiam Amri, quam affert Assem. *tom.* 2. *pag.* 458. tertiodecimo loco ponitur *Metropolita Indiarum*, post Sinensem. Et Josephus Indus qui regnante Alexandro VI. Romanam venit, *in Navigat. Nov. Orb. pag.* 133. testatur, Catholicum Nestorianorum, duos consuevisse inter alios creare *Metropolitas*, unum *in India*, alterum in Cathaya. Episcopi denique Indiarum, Thomas, Jaballaha, Jacobus, & Denha in Epistola, quam dederunt *anno* 1504. ad Patriarcham, sicuti Joannem vocant Metropolitam Atelæ, hoc est Masinæ, sive Cathajæ, ita *Jaballaham Metropolitam Indiæ* appellant. Quod autem Abdjesus, qui *anno* 1562. Romæ inauguratus a Pio IV. Chaldæorum Patriarcha, in sua Fidei professione, apud Morin. *de Sacram. pag.* 436. plures Indiæ Metropolitas designaverit, id verum non est, nisi abusive, ut optime animadvertit Assem. *tom.* 4. *pag.* 439. Metropolitæ nomen usurpaverit. Nec prætermitti debet quod in Angamale Sedem constituerint ab *anno* 1555. usque *ad* 1597. ut in *Hist. Synod.*

Diam-

Digitized by Google

Diamp. videre licet, tres ultimi Nestorianorum Metropolitæ Josephus, Abraham, & Simeon. Cumque post seculum XII. Antiochenus Patriarcha, Ecclesiæ Catholicæ reliquias, per quindecim Provincias sparsas, per duos *Catholicos*, quos ad illas mittebat, procuraret, atque regeret, Bagdadensem nimirum, & Romagyriensem (cujus auctoritas à Byzantio usque ad Cathayam extendebatur) ab illo Bagdadense, instituebatur Antistes Indiarum, qui inter Metropolitas post Sinensem numeratur primus; *Metropolita Indiarum*; quo titulo, ut optime notavit Le Quien *col* 1089. adhuc insigniebantur Antistites Indiarum, post adventum Lusitanorum in Malabariam; cum ex horum scriptis constet, ut *in Histor. Syn. Diamp.* initio diximus, Babylonia sive Bagdadi Patriarcham consuevisse, demortui Metropolitæ successorem designare, ac ordinare, in Indiam ac Sedem Angamalensem mittendum; ut post Abrahami Angamalensis obitum contigisse, eo loci meminimus. Atque hic etiam adnotavimus, moris fuisse Patriarchæ Babyloniei, nunquam instituere Metropolitas Indiæ, ex ipsius Indigenis, sed exteros e Persiade aut aliunde; ne immerito Clemens VIII. & Menessius arguantur a Crozæo, quod Chaldæos Indos Episcopis Latinis commiserint instituendos.

CXXIII. Per plures deinde annos, sub clientela Regum Lusitaniæ, *Archiepiscopi* appellati sunt Antistites Indiarum, translata Sede e Meliapore, primæ persecutionis tempore, ad Montes Malabaricos, in Angamalam, & Carturte, ut dictum est *in Hist. Syn. supra*, *pag.*29. demum in Cranganoram, opera Alexii de Menesses jam celebrata Synodo Diamperitana, atque designato a Clemente VIII. Episcopo Angamalense, per Bullam, quæ accepta fuit *anno* 1601. & deinde per Paulum V. translata Sede illa Angamale Cranganoram *anno* 1605. cum antiquo *Archiepiscopi* titulo; (Miræus vero id asserit contigisse *anno* 1609.) atque deinde Cranganorensi Archiepiscopo primo (post ejuratos Nestorii errores ab illis Christianis) P. Francisco Roz Soc. Jesu Hispano Gerundense. Anno tandem 1653. post mortem Francisci Garziæ, suscitato novo Schismate inter illos Christianos, novum sibi Præsulem a Nestorianorum Patriarcha præfici curarunt, atque interdum Thomam quemdam a Campo dictum, Indigenam, duodecim Cassanariis ipsi manus in Chirotoniæ Sacræ modum imponentibus, Archiepiscopum ordinare temerario ausu tentarunt; Alexander vero VII. nuncio accepto obitus Garziæ, P. Josephum a Sancta Maria Carmelitam Discalceatum in Malabariam delegavit; post tres autem annos sui accessus in Cranganoram, *anno nimirum* 1663. ea Urbe & Cochino Batavorum exercitu expugnatis, Alexandrum de Campo Indum, Episcopum illorum Christianorum inauguravit; quod munus adeo strenue gessit, ut Archidiaconum illum Thomam, sibi cognominem, qui se pro Episcopo venditabat, procul abegerit. Denique post expugnationem Batavicam, rursus Meliaporensis Civitas quasi postliminio, Antistitem revocatum accepit, qui *Episcopus de Sancto Thoma* appellatur. Atque hoc pacto ait Crozæus *Hist. Christ. Ind. pag.*331. Diœcesis Angamalensis, *Primatialis*

tialis Indorum Ecclesia esse desiit; qua prærogativa a mille annis gavisa erat; ac tandem Archiepiscopi Goensis suffraganea effecta est.

CXXIV. De Ecclesiarum atque Christianorum Indiæ numero, nullam certiorem notitiam nacti sumus, neque antiquiorem ea, quam habet Indico-pleusta, qui *Topograph. Christian. lib.3. & 11.* scribit, non modo apud Bactros, Hunnos Persas, Medos &c. sed etiam apud *reliquos Indos* (quo potissimum nomine nostram Indiam designasse videtur) *Ecclesias infinitas esse, Christianosque Populos magno numero*: & hoc quidem VI. Seculo, quo ille florebat: dixerat autem paulo ante unum Episcopum Callianæ extare, in Perside ordinari solitum, qui Christianis illis per totam Indiam dispersis præerat. Conjectare autem licet ingentem fuisse Ecclesiarum, atque Christianorum numerum in India, ex eo quod ait ipse auctor; nempe in Insula Taprobana, etiam *extare Ecclesiam cum Presbytero* (Episcopum intelligimus hoc nomine indicari; sicuti de Insula Socotræ aut Socotoræ intellexit le Quien, cum dicit illuc a Perside *Clericos* mitti) *Diacono, & reliquo Ecclesiastico ministerio*; qui tamen omnes, advenæ essent ex Perside; *Indigenas vero, & una Reges, alieni cultus esse*. Etenim ex iis videtur, eum indicare voluisse, Christianos Indos, non advenas, ut in Taprobana, sed Indigenas fuisse Indiæ; quasi in illis regionibus, altas egisset radices Christiana Religio, atque per plurimos ipsius Christianos cultores, ingenti numero aucta fuisset. Plures propterea aliquando Episcopos, in India extitisse *in* comperto est, ex iis quæ Abdjesus laudatus habet, in sua Fidei professione, in qua memorat Episcopos (imo vocat eos Metropolitas) Gufchin (Cochim) Cananor, Goæ, & Calicuthi *in India*, quam ipse appellat *Lusitanam*. Ceterum ante ea tempora, *anno nimirum* 1503. missus fuerat in Metropolitam Indiæ ab Elia Patriarcha, *Jaballaha*; Episcopi etiam Thomas, Denha, & Jacobus.

Indorum Christianorum numerum, valde imminutum esse *anno* 1300. asserit Haytonus *lib. de Tartar. cap.6.*: *Ibi* (ait) *Fides nostra est multum diminuta, nec est ibi nisi quædam Civitas, in qua habitant Christiani, omnes vero alii, Fidem Christi totaliter reliquerunt*. Ex Epistola Episcoporum Indiæ, quæ extat apud Assem. *tom.3. pag.594.* scripta *anno* 1504. habemus fuisse tunc ibi, *triginta fere millia familiarum Christianarum*. Vincent. Maria *lib.2. cap.1. pag.142.* agens de illorum Christianorum numero, ait Ecclesiam Angamalensem aut Cranganorensem, adeo auctam esse fidelibus, ut suo ævo, numerus Communicantium esset, ultra bis centum millia, in octoginta sex Parœcias Diœcesi distributa. Crozæus scribit *pag.68.* illam Diœcesim continere supra mille & quadringentas Ecclesias, tondemque Urbes aut Vicos. P. Tachard in *Epistola Bengala exarata anno* 1711. illorum Christianorum plusquam centum millia in Malabaria degere testatur, quorum (ait) nonnulli, adhuc Schismatici sunt, alii cum Ecclesia Romana conjuncti, opera Alexii Menessii. Tempore autem quo celebrata fuit Synodus Diamperitana, ut in *Hist. Synod. pag.46.* scripsimus, Cassanarii Synodo interfuerunt 153. & Electi, seu Procuratores 671. ex quo rudi

Digitized by Google

rudi quadam inita ratione elici posse ibi dicebamus, 168. fuisse Pagos, qui ad Synodum Procuratores suos miserunt.

CXXV. Quantum vero attinet ad Urbium Pagorumque numerum, in quibus Christiani S. Thomæ floruere, eminet inter omnes Urbes *Meliapor*; Malabarensibus dicta *Majale*, & Latinis *Calamina*, in qua Martyrii Lauream S. Thomas promeruit; atque suppari resplendent honore *Cranganora* & *Calliana*, quo nomine *Calecuthum* designari contendit P. Montfauconius *in Præfat. ad Topograph. Indico-pleustæ*; nec non illæ oræ maritimæ, quas ab Occidente veniens, ante omnia alia loca, idem Apostolus invisit ac illustravit. Urbes vero & Pagi, in quibus Christiani habebant Templa, sunt sequentes, ut ex secunda lustratione Menessii, post Synodum peracta erui potest: nimirum *Diamper*, *Cottette*, *Paru parva*, *Molandurte*, *Paru magna*, *Cochin*, *Angamalle*, quæ in duas Parœcias divisa fuit a Menessio, uti in ipsa duo sunt Reges, quorum alterum Regem Nigrum vocant, & alium Regem Album; *Agaparambim*, *Mangate*, *Vaypicota*, *Mutano*, *Paliporano*, *Calucate*, *Cranganor*, *Nhagrica*, *Baiquetta*, *Porca*, *Calecoulan*, *Coulan*, *Travancor*, *Tevalecare*, *Gundara*, *Calare*, *Caramnate*, *Catiapeli*, *Colicorangare*, *Podiagabo*, *Naranano*, *Changanor*, *Chenganare*, *Polignnde*, *Pronto*, *Carturte*, *Corolengate*, *Ignapeli*. Ex prima etiam Ecclesiarum illarum inspectione, notæ fuerunt Ecclesiæ *Calecut*, *Vaipin*, *Turguli*, *Canur*, *Diamper* altera, *Tecancate*, *Mangalan*, *Nagpili*, *Narame*, *Palurti*, *Caramalur*, *Paliporan*, *Batimma*, *Mavelicare*, *Caramate*, *Pallur*, & *Todamala*; quibus adde ex Vinc. Maria, *Matanger* & *Rapolin*. In supplici etiam libello, quem Christiani Catholici S. Thomæ, Clementi XI. *anno* 1704. Carturti congregati porrexeruut, cujus exemplar penes non est, recensentur centum decem & octo Ecclesiæ; quarum pars major, nempe 71. Ecclesiæ, Catholicæ Romanæ erant omnino addictæ; e reliquis, 18. erant, quarum dimidia Cassanariorum pars, Schismatica, & altera Catholica ferebatur; & 29. reliquæ erant omni ex parte Schismaticæ, & tantum Nestorianis constabant. Accuratiorem autem notitiam nacti sumus Romæ, e quadam Carta Chorographica MS. in qua loca Malabariæ potiora, in quibus Ecclesiæ Chaldæorum, aut Syrorum Christianorum D. Thomæ extant, adnotatis Ecclesiis Latini ritus, sicuti & Schismaticis, graphice adumbrantur; Ecclesiæ nonnullæ Regularium, Turcarum Moschææ, & Judæorum Synagogæ; quæ omnia in sequentem formam digessimus.

NOTITIA
TOPOGRAPHICA MALABARICA

Ecclesiarum Christianorum D. Thomæ.

AMblacate. *Syri; Jesuitæ.*
Corulligia prope Amblacate.
Quejecca prope Amblacate.
Mottone.
Varapoli. *Latin. Carmelitæ.*
Cottacolongate.
Mattatil.
Cottapili.
Parur.
Blangati.
Cittua. *Latini.*
Enamaco: *Oratorium Jesuitarum.*
Balianat. *Syri.*
Calparombil. *Syri.*
Cormor. *Syri.*
Chalauri. *Syri.*
Potincera. *Syri.*
Muricolor. *Syri.*
Cuttiotungel. *Syri.*
Angamale. *Syri.*
Vinecca Palli.
Ceria Palli.
Covere.
Mangate. *Syri, Jesuitæ, Carmelitæ, Moschæ.*
Manhapara.
Meliatur.
Canchur.
Vallet.
Codangolt: *Schismatici.*
Carpumpiali.
Rapolin. *Syri: Moschæa.*
Paru: *Syri Schism.; Moschæa.*
Canotta. *Syri, Moschæa.*
Tirtiport. *Latini.*
Cranganor.
Palliport: *Latini.*
Gnarica.
Vaipin. *Latini prope Crus dos Milagros.*
Crus dos Milagros: *Latini.*
Baleport: *Latini.*
Cittiati: *Lati. Carmelitæ.*
Trepuntare.
Angicaimal. *Syri.*
Bendiuti: *Latini.*
Diamper: *Syri.*
Cantanate: *Syri.*
Palurti: *Syri: ibi Basar Jud. & Turc. & etiam Palatium Regis Cochim.*
Matingeri: *Latini.*
Dumida: *Latini.*
Cochim.
Nr. Seghora da Salude *Latini.*
S. Luis: *Latini.*
Castella: *Latini.*
Palliport: *Syri.*
Cantanasi: *Syri. Palatium Reg. Cochim.*
Pallicare: *Schism. & etiam Cathol.*
Paru: *Syri.*
Palliport: *Syri.*
Mutton. *Syri Oratorium.*
S. Andre: *Latini Oratorium; & duo alia prope illud.*
Cembil.
Molandurti: *Schismatici.*
Colongeri: *Schismatici.*
Bucin: *Schismatici.*
Caromattan.
Momuacheri. *Schismatici.*
Canna Cuili: *Schismatici.*

Ra-

Digitized by Google

Racati: *Schismatici*.
Maila Cambil.
Negapare.
Modelacort.
Giuucotti.
Coronatil.
Tracore.
Pugnatil.
Romram.
Anacalungel.
Advombare.
Codnelur.
Corolengati.
Mulicolor.
Elognil.
Mutieri: *Syri*.
Farete.
Carturti.
Bariate: *Syri, Palatium Regis Baticanur*.
Bechur: *Syri*.
Tattompali: *Syri*.
Porca: *Syri*.
Calaorati: *Syri*.
Allapare: *Syri*.
Codamalur.
Minetre.
Calete.
Pulala.
Idatur.
Poreitanate.
Cerpungel.
Cottete.
Cadagol: *Schismatici*.
Cottete Ceria: *Schismatici*.
Pudupalli: *Schismatici*.
Cauhara Palli.
Roipur.
Chonganari.
Pulingune.
Calurceri: *Schismatici*.
Cengenur: *Schismatici*.
Neonaor: *Schismatici*.
Cottare: *Schismatici*.
Omalor: *Schismatici*.
Pudiacabo: *Schismatici*.
Tembucur: *Schismatici*.
Calur Para: *Schismatici*.
Calera: *Schismatici*.
Tevalecare: *Schismatici*.
Curiem Colongare: *Schismatici*.
Gundare: *Schismatici*.
Manirgat: *Schismatici*.
Moramanor: *Schismatici*.
Bemmani: *Schismatici*.
Moramanu: *Schismatici*.
Color Superior; *Schismatici*.
Coilor.
Aramola.
Temburcu; *Schismatici*.
Turguli.
Candanate.

Si qui autem errores in iis recensendis, sive Personarum, sive locorum nominibus obrepserint, id liberaliter benigneque censores indulturos esse confidimus, si meminerint cum Severino Binio in *Notis ad subscript. PP. Nicænorum*, quod nimirum: *Nihil est in auctoribus temporum injuriæ, & librariorum erroribus magis expositum, quam propria locorum personarumque nomina*. Unde fit quod in *Epist. Indor. Episcop. anno* 1503. ad Patriarc. Nestor. Urbes Indiæ *Cranganora*, *Pallaorum*, *Coulanum & Cochinum* appellantur *Carangol.*, *Palor*, *Colom & Coce*. Cranganora aliquando vocatur etiam *Scigla*, & *Chrongalor*; sicuti & Palor *Pharaor*; eo quod familiare sit Syris de India loquentibus, literas *L* & *R* permutare. Memoratur etiam *Basain*, a Josepho III. Indiæ Metropolita, quæ a Goa 60. *leucis* distat, in *Cod. Syria. Vatican.* 14. ubi ille exscripsit Epitomen Canonum Sobensis *anno* 1557. in Cœnobio ut apparet S. Francisci, quem ipse *Mar Fransc* vocat. In illa autem Urbe,

Digitized by Google

be, septem recenset *Aedes* (Cœnobia) *magnifica & gloriosa, in quibus commorantur centum fere Cœnobitæ; est* (ait) *& alia Ecclesia, quæ S. Mariæ appellatur; & aliud Cœnobium, quod S. Pauli dicitur, aliud S. Sebastiani, & alia Ecclesia, quæ Misericordiæ & Gratiæ appellatur; habeeque insuper hæc benedicta Regio Indiarum, altaria, sacras ædes, Ecclesias, & Cœnobia, quorum numerum nemo novit.*

CXXVI. De Missionibus etiam hoc loco agendum esset; nisi de hoc argumento omnium manibus tererentur libelli quamplures, immo & non pauca facta volumina quæ utinam in Christianæ Religionis bonum cederent, potius quam christianæ charitati non leve detrimentum inferrent. Id itaque unice adnotaverimus, quod quum *Dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania*: Matth. 13. v. 25. Angli etenim, Batavi, atque Dani, Pseudo-Apostolos suos miserunt in Indiam; e quibus celebriores habentur, inter Danos qui *anno* 1621. illam missionem instruxerunt, *Plutschou*, & *Ziegenbalg*, qui Poetam (affines sunt iis, Acatholici) convertit, ut scribit Crozæus *lib.7.* qui tamen paulo post, ipso teste, fidei Danæ versum ille cecinit retrogradum. Inter Anglos vero memoratur *Stevenson*; qui ex India & Castro S. Georgii, Epistolam scripsit hortatoriam, *anno* 1716. Londinum, ad Newman Secretarium Collegii Londinensis *De propaganda fide* ita illud nominat Crozæus *Hist. pag.*556. appellatur etiam *Societe qui travaille a l'avancement du Christianisme*, ut ait De la Roche *tom.*8. *Memoires de la grand Bretagne*; in qua alios in arma ciens, media opportuna offert, quibus *probabiliter* (spe dejicitur ante pugnam) Indorum conversio ad religionem Protestantium poterit obtineri. Quid ad ista reponemus? Cum plura possemus, tria tantum: 1. ex quo Deus misit Prophetas suos, qui Populum electum docerent, Diabolus suos etiam legavit Pseudo Prophetas, de quibus conquerebatur Dominus, quod dicerent: *Hæc dicit Dominus* (*a*), *cum ego non sim loquutus*: cum loquatur per eos ille, qui Domino dixit *Et Ego* (*b*) *ero Spiritus mendax in ore ipsorum*; ab eodem autem Spiritu Missionarios istos missos esse, compertum est. 2. nihil timendum a religionibus, quæ Clericorum ordinata Hierarchia, & Monachorum carent Cœnobiis. 3. tandem, istos quicumque sint, vanas tantum esse umbras, & Missionariorum Empusas nullo pietatis spiritu animatas, uno etiam tantum pede (ut earum est) incedentes, nihil stabile, nihil constans afferre posse. Zelus etiam eorum jam dudum deferbuisset, ni opportunum reficiendis viribus solamen primus inter Pseudo-Apostolos Indiarum, suis successoribus præscripsisset; Rem Crozæus ipse non sine pudore narrat, Histor. pag.554. cum ergo ille quadam die e suggestu declamaret, & vox faucibus hæsisset, præsto fuit qui prægrandem phialam, aut amplissimam lyaei pateram afferret, quam ille pene exhausit; quam ob causam parum abfuit, quin Apostolum lapidibus impeteret Natio illa, super omnes alias abstemia: jure igitur atque merito dici posset, de Apostolis Protestantibus, quod non nisi per contumeliam dicebant de veris Christi Apostolis,

(*a*) Ezechiel. *cap.*15. *v.*7. (*b*) Lib.3. Reg. *cap.*22. *v.*22.

stolis, pervicaces Hierosolymitani: *Quia* (a) *musto pleni sunt isti*. Recensitos Missionarios, exceperunt initio istius seculi Joannes Ernestus Grundler, Joan: Georgius Beuving., & Polycarpus Jordan. Ex quibus emendari debet P. Kazemberg Minorita *in Colum. Verit. edit. August. Vindelic. anno* 1738. *pag.*244. ubi ait, *Protestantes hærent jam per* 200. *annos in una aut altera Provincia: siquidem Prædicantes libentius domi dormiunt cum suis ... quam vadant ad Indias*; laborant enim, atque desudant plurimum infelices isti Sisyphi atque Ixiones, rotam volvendo errorum, & Catechismorum suorum saxa; adeo tamen adverso fato, ut cum Alepi, anteactis annis, Catechismus quidam Protestantium, Arabice conversus recitaretur, exhorruerint & ineptias, & tantam a Romana fide discordiam, qui aderant Syri, Armeni, & Melchitæ; teste egregio V. Petro Benedicto Maronita, qui ibidem tunc aderat; *in Præfat. ad Tom.*2. *Syro-Latinum oper. S. Ephræm.*. Et quamvis præ Viris garrulos alios Apostolos, feminas nempe, ad munus prædicationis arcessiverint; quod ipsæ strenue nec inficete obeunt; parum incrementi, ipsorum Religioni accessurum arbitramur, e propudiosa ista feminarum prædicatione; quarum prior, paucis verbis, hominem innocentem, ejusque posteros, misere pervertit. Ceterum istis, qui se Evangelicos jactant novos, novum etiam Missionis genus hoc congruebat; in veteri enim veroque Evangelio legimus Christum misisse, *illos binos*; quod autem miserit *illas binas*, nusquam legimus. Suppetias insuper ferunt Missionariis Protestantibus, in India, e Mahometi cloaca Missionarii Arabes, atque Persæ; ut Alcoranum doceant Indos; quod asserit ipse Crozæus *lib.*7. *pag.*522. & comprobatur ex recensitis superius Moschæis, in Indice Chorographico Malabariæ: nec desunt ibidem Judæi, suas Talmudicas morologias, æque ac spem venturi liberatoris disseminantes; ut ex hoc aliquale capiat solamen Aaron Monceca, quem inducit querulum Marchio d'Argens in *Epistol. Judaic. Tom* 4. *Epist.*124. eo quod adeo oscitanter egerint Hebræi prisci, ut Missionarios in Ethnicorum regiones non miserint. Et de iis Missionibus hactenus.

CXXVII. Quod vero ad regimen attinet Indorum illius Diœceseos, omnium causarum cognitio, tam in civilibus quam criminalibus, pœna capitis excepta, ad Episcopum spectat, ut præter ea, quæ scripsimus *in Hist. Syn. cap.*3. §.1. *num.*3. & ad *calcem Synodi*, constat ex M. Paulo Veneto *ap. le Quien tom.*2. *Orien. Christ. col.*1257. qui loquendo de Insulis Socotora, & adjacentibus, & præcipue de Insula masculina ait: *Viri Regem non habent, sed Episcopum suum Dominum agnoscunt*; & hoc quidem, ex antiquo Ecclesiæ usu; ut cum Augustino, adversus Giannonium, non semel in notis, sustinuimus.

CXXVIII. Quod autem spectat ad Hierarchiam Ecclesiasticam Diœcesis Angamalensis, eam valde confusam, atque imminutam extitisse Synodi nostri tempore, compertum est. Cum etenim Ecclesiæ omnes Ne-

(a) Act. *cap.*2. *v.*13.

Nestorianorum, ultra Episcopos aut majores Antistites, constent *Lectoribus*, *Hypodiaconis*, *Diaconis*, *Archidiaconis*, *Presbyteris* (celebratur etiam *ordinatio Presbyteri caci*, ad nonnulla dumtaxat Ecclesiastica munia) *Chorepiscopis Periodentis* (Visitatoribus) *OEconomis*, & *Diaconissis*; tempore tamen Synodi, tantum recensentur *Archiepiscopus*, qui in more habet, se subscribere *Episcopus*, *Porta totius Indiæ*; ut infra ad annum 1701. dicetur. *Chamazii*, *Cassanarii*, *Archidiaconus*, & *Catatiaræ* seu Presbyteræ: de iis vide Assem. *tom.4. pag.789. & seqq.*

Series Episcoporum Indiæ.

CXXIX. INdiarum Provincia demum tertium locum obtinet in notitia Amri, atque Sinensi posterior est, Metropolita Indiæ; non quia Fides Catholica prius Sinas, quam Indos Persis finitimos, Christo subjecerit atque consecraverit, sed fortasse, quia posterioribus temporibus, ut notat le Quien *Orien. Christi tom.2. col.1275.* cum a Patriarcha Chaldæorum se subtraxerint Christiani Indi, atque alteri se submiserint, & postea rursus opera Mar Thoma (Hic est Thomas Cana, de quo inferius ad *annum* 800.) in illius gratiam redierint, id in causa fuit, cur Indiarum Metropolita Sinensi postpositus sit, in Notitia Amri Matthæi, qui floruit *anno Christi* 1340. de quo vide *Asseman. tom.3. Bibl. Orient. pag.581.* Et quamquam prope modum *impossibile* sit, Metropolitarum Indiæ perpetuam & accuratam seriem contexere, conamur tamen quantum licet, meliori in luce, atque ordine collocare quæ de illis assequuti sumus.

Anno 325. Joannes I.

CXXX. IS est omnium primus Indiarum Episcopus, de quo Scriptores, & Acta Ecclesiastica mentionem faciunt; hic enim celeberrimæ Synodo Nicænæ interfuit, atque Fidei Symbolum subscripsit, tamquam *Episcopus Indiæ Magnæ*, qui simul Persidis Episcopus erat; ut constat ex *Act. Synod. Nicæn. par.2. c.28.*

Anno 535. Anonymus.

EJus enim nomen, Cosmas Indico-pleusta, a quo hanc qualemcumque de illo notitiam accepimus, omnino silet; idque unum profert, *lib.3. Topog. pag.178.* In Calliana, nobili Indiæ emporio, *Episcopum ævo suo fuisse, in Perside ordinari solitum.*

Anno 655. vacat Indiæ Sedes.

HOc enim tempore, interrupta communione Episcoporum cum Sede Seleuciensi, regiones illi obnoxiæ, Episcopis & Sacerdotibus destitu-

Digitized by Google

stitutæ sunt, tantumque non ab antiqua sua fide defecere. De quo vehementer queritur Jesujabus Adjabenus, qui obiit *anno 660. in Epistola 14. ad Simeonem Episcopum, Metropolitam Ravardsciri*, qui Primas Persidis, in urbe *Ravardsciro* commorabatur. Asserebant Episcopi Persidis, se Patriarchæ Nestorianorum seu Catholico Seleuciensi, nequaquam esse subjectos, sed Catholico Persidis, contra quod contendebat Jesujabus, affirmans a Seleuciensi Throno, Ecclesiasticam omnem potestatem ad Persas Indosque profluxisse. Simeoni igitur in laudata Epistola ob oculos ponit, perversionem incolarum urbis *Maru*, sive *Meruæ* in Chorasana, qui excusso Seleuciensi jugo, fidem subinde abjecerant; eo quod ab ipsis Taii (id est Arabes) dimidium bonorum exigebant. Unde cum ipse Nestorianorum Patriarcha, non posset amplius in eas regiones Episcopos mittere, non enim (ut apparet) etiam missi reciperentur; neque ille Persidis Catholicus ordinationes eorum celebraret, Indiarum Populi Episcopis orbati remanserunt; quæ omnia ita expresit „. Cum per legitimos traductores, perque canonum semi-
„ tas, donum Dei fluxerit fluatque, en plenus est terrarum orbis Epis-
„ copis: at in vestra regione, ex quo ab Ecclesiasticis Canonibus defe-
„ cistis, interrupta est ab Indiæ Populis Sacerdotalis successio; nec
„ India solum, quæ a maritimis Regni Persarum finibus, usque ad
„ Colon (*Insula est trans Malabariam, quæ nunc Chilae dicitur*) sed &
„ ipsa Persarum regio vestra, divinæ doctrinæ lumine, quod per Epis-
„ copos veritatis refulget, orbata; in tenebris jacet. De quibus consulæ Asseman. *tom.4. pag.27. & tom.3. pag.131.* Cosmæ autem Indico-pleuste tempore, Persarum Archiepiscopus, vel idem erat qui Seleuciensis, sive Patriarcha Nestorianorum, vel certe isti erat subjectus; ævo tamen hujus Jesujabi Adjabeni, ab illius obedientia Persidis Catholicus se subduxerat; quod circa *annum* 780. Timotheo Patriarchatum Nestorianorum gerente, adhuc durabat; asserentibus Persis & Indis (quod etiam Malabarenses Catholicis Romanis objiciebant, ne Romano Pontifici obedientiam præstare cogerentur) *Nos Thomæ Apostoli Discipuli sumus, & nihil nobis cum Sede Maris* (id est Seleuciensi a Mari fundata) *commune est*.

Ad hæc tempora, in quibus Persidis regiones atque Indiarum, & hæ potissimum destitutæ erant Episcopis, non incongrue, ut putamus, referenda sunt, quæ ex Itinere Menessiano Gouveæ excerpsimus, in *Hist. Synodi pag.9.* de illo Diacono, qui unus in sacris constitutus supererat, in Ecclesia Malabarensi, quemque illi Christiani coegerunt Missas celebrare, & reliqua Presbyterorum munia obire: ea præsertim de causa, quia ab hoc tempore usque ad *annum circiter* 800. nulla Episcoporum Indiæ mentio fit ab Scriptoribus; deinde quia post Seculum VIII. nulla præ ista major Episcoporum interruptio, aut Ministrorum penuria apud illas gentes apparet. Congruentius igitur huic tempori, factum illud historicum assignatur, nisi cum P. le Quien *tom.2. Orient. Christ. col.1275.* qui illud contigisse autumat, post mortem Mar Xabro labente seculo IX. aliis videatur, ad illud tempus revocandum esse.

Anno 800. Thomas Cana.

CL. Assemanus ex testimonio Thomæ Margensis *Hist. Monast. lib. 4. cap. 20.* istum Thomam, Episcopum Indiæ fuisse asserit, *circa annum* 800. Christi; atque eumdem esse cum illo Thoma Cana, qui, Xarano Perumalo Imperatore Malabariæ, in eam regionem venit; de quo Gouvea & Crozæus, ut in *Hist. Synodi pag. 8.* diximus, Mercatorem Armenum fuisse affirmant; binas insuper Uxores habuisse, alteram Angamalæ, Cranganoræ alteram, quarum una, legitime illius fuit Sponsa, alia Concubina; ex utraque filios procreasse; ex legitima autem progenitos, utpote Nobiles, cum natis ex concubina, nullum voluisse commercium, aut communicationem inire, matrimonia ducere, nec Presbyteros ex iis accipere: ab illo demum Thoma genus omne Malabarensium Christianorum profluxisse. Sicut autem hoc postremum, falsum esse, evidenter ostendi posset, ita reliqua plurimum nobis suspecta ac incerta videntur. Itaque cum laudato Assemano *tom. 4. pag. 442. & seqq.* probamus, Thomam illum, non alium fuisse a Thoma Episcopo, qui circa *annum* 800. a Timotheo Patriarcha Nestorianorum missus fuit ad prædicandum Evangelium, cum sociis Jaballaha, Kardago, Davide aliisque; cumque Kardagus Ghelanitis, & Jaballaha Dilamitis, *Metropolitæ* ab ipso Timotheo designati fuerint, ex quindecim *Monachis*, quos ii secum assumserant, plures postea in Episcopos ab *ipsis ordinatos* (quos inter Thomas erat ille) in varias regiones miserunt, Thomas vero in viciniam Indiam penetrasse dicitur. Nec is *fuit* Armenus, sed *Aramæus*, id est, Syrus, affinitate autem istarum vocum deluti Lusitani ipsum Armenum fecere; binæ autem uxores & filii; cum Indi illi, maximopere loquutionibus parabolicis delectentur, iisque frequenter utantur; ut ipse Gouvea, non semel nec uno in loco adnotavit; binas significant Ecclesias, ab illo Thoma simul gubernatas; Cranganorensem scilicet, & Angamalensem; & Christianos *illarum*, qui eum tamquam Patrem, non carnalem, sed spiritualem venerabantur.

Anno circiter 850. Mar Xabro & Mar Prodh.

EX Malabarensium traditione scripsit Gouvea, hos duos Episcopos, ad eas Ecclesias missos fuisse, *paulo post fundationem Urbis Coulan*, in qua *annis* 733. ante annum, quo id scribebat Gouvea, *nimirum* 1602., Ecclesiam S. Thomæ condiderunt; unde eruitur id accidisse *anno Christi* 879. Quia tamen præ ceteris accuratiorem computandi rationem circa Epocham fundationis Coulan Vischerianam esse comperimus, ut videre est *in Hist. Syn. pag. 5.* & hæc annum 825. fundationi illius respondere demonstrat, idcirco ipsorum in Indiam appulsum, non ultra *annum* 850. protrahendum esse putavimus, ne majorem annorum intercapedinem interponendo, non paucis, ut traditio est Indorum, sed multis post Coulanum fundatam annis, eorum adventus recenseatur. Itaque recc-

Digitized by Google

recedendum nobis est, quod alias ægre faceremus, à CL. viris & rerum Orientalium eruditione plurimum valentibus, Assemano, & le Quien; quorum ille *Tom.4. pag.442. Bib. Orient.* horum Episcoporum adventum *anno* 922. affigit; iste vero *Tom.2. Orien. Christ. col.*1275. annum circiter *Christi* 880. assignat; etenim ut *pag.5. Hist. Synod.* demonstravimus, ex nuperis Malabarensis Ecclesiæ testimoniis Civitas Coulani fundata fuit *anno* 825. ut omnium optime Vischerius asseruerat. Hos perpetuo vocat Gouvea, & Synodus Diamperitana *Mar Xabro & Mar Prodh*, qua de causa acriter adversus illum, ut adnotavimus, invehitur Crozæus, quos nominat *Mar Sapor* & *Mar Perozes*. Atqui P. le Quien loco mox laudato eos appellat simili pronunciatione (*a*) *Mar Xabro*, & *Mar Proud*; immo & *Xabra*, *Xabro Sabra* & *Sebra*, eo quod hæc nomina non sunt aliena penitus (aliter discurrit de voce *Proud*) ab Idiomate Chaldaico, quæ omnia *Spem* significant. In eo omnes conveniunt, ipsos multas Ecclesias extruxisse, ac præsertim in Urbe Coulan, Ecclesiam S. Thomæ ædificasse, plurimosque ad Fidem Christi adduxisse, atque per ipsos in Regno Diamperitano, Christianam religionem auctam esse. Anno circiter 890. Joannes II.

Anno circiter 1129. Joannes III.

NOn sine falsi formidine, inter Episcopos Indiæ, istum *Joannem* recenset le Quien ad annum 1122. (de quo silet Assemanus) & hoc quidem ex Chronico, quod vocant *Alberici*, in quo ad *annum* 1122. refertur *Ex gestis Callixti Papæ II.* qui *anno* 1119. sedit; quod quidam Patriarcha Indorum Joannes nomine, anno 4. Pontificatus Callixti, C Polim accesserit, ad sumendum Pallium, quique inde cum Legatis Papæ Romam venerit, ubi coram Pontifice & Cardinalibus, inter alia narravit, se in Ecclesia Indiæ residere, ubi corpus D. Thomæ illæsum conservabatur & stans, vestibus etiam illæsis; quodque quotannis in ipsius festivitate, Patriarcha cum Episcopis ante eum genuflexus hostias consecratas offert, quibus accedentes e Populo singulos, manu sua ipse D. Thomas communicat: si quis autem infidelis, vel peccato infectus accesserit, manum retrahit & claudit. Hæc ejus Episcopi est narratio. Et quamquam non minus caute & religiose ac le Quien, ejusmodi narratiunculas excipiamus, tamen hoc ipsum paucis immutatis legimus comprobatum, non solum ab Helinando Monacho, S. Antonino, Bellovacense, Gesnero, & Nauclero, quibus suum addit calculum Stapletonus *de S. Thoma Apostol. in tom.4. pag.942.*; verum etiam ex testimonio Auctoris Synchroni, nempe Odonis Abbatis S. Remigii in *Epist.*

(*a*) Vita functis Mar Xabro & Prodh, miserunt Malabares in Babyloniam sive Bagdadum, ut ab ea Sede Episcopos acciperent; Catholicus igitur ille, Archiepiscopum, sive Metropolitam ordinavit *Joannem* aut *Johannem*, qui sedem suam in India, Cranganoræ constituit; atque duo alii Episcopi, ipsius suffraganei designati sunt, quorum unus *Mar dua* Insulæ Socotoræ præesset, alter *Mar Thomas* Masinæ, aut Cathajæ. Ex Gouvea, & le Quien *tom.2. Orien. Christ. col.*1275.

Digitized by Google

ad Thomam Comitem, inter *vetera Analecta* Mabillonii *pag.464. Edit. Parisinæ Montalantii anni* 1723. in qua scribit ad Thomam, *ea* (ait) *quæ in Curia Romana vidi & audivi, anno præsenti* (Mabillonius putat id scriptum esse anno circiter 1135.) *feria scilicet sexta post Dominicæ Ascensionis sollennitatem*; recenset deinde adfuisse coram Papa cum Legatis, quemdam Indiæ *Archiepiscopum* (quod verius puto, quam quod ex Alberico dicitur, nempe fuisse *Patriarcham* Indiarum) qui postquam causam adventus sui aperuit, fere eadem, quæ excripsimus superius enarravit, eo excepto quod de communione dicit Albericus, simile tamen protulit in Curia, asserens Archiepiscopum cum sociis sui Ordinis (Episcopis) accedere quotannis munera oblaturum Apostolo, qui manum aperit, & quæ a fidelibus offeruntur, gratanter accipit, ab hæreticorum vero muneribus abstinet, manumque retrahit atque claudit. Addit quod cum Papa id a domesticis audivisset: *Adesse jussit Episcopum, & ne amplius in Palatio falsa seminaret, sub anathemate prohibere voluit: Episcopus autem assensu Domini Papæ, Sacrosancti Evangelii juramento, ita esse comprobavit: credidit tandem Dominus Papa, credidit & omnis Curia*; at nos cum in Curia tunc temporis non fuerimus, quæ circa hæc sit nostra fides, scripsimus supra, ubi hæc retulimus, *in Dissert.2. ad calcem ipsius*. At vero ex iis omnibus utcumque liquido comprobari videtur, quod nostri erat instituti; ad illa tempora recenseri debere, *in* serie Episcoporum & Metropolitarum Indiæ, istum *Joannem*. *Mitto* aliis chronologicam curam, annum 4. Callixti II. *anno* 1135. *conciliandi*, quo post Honorium II. sedebat in Petri Cathedra Innocentius II.

Anno 1490. Joannes IV.

AB illo ævo mox recensito, usque ad annum 1490. nullius Indorum Episcopi nomen innotuit. Ex Epistola autem Episcoporum Indiæ, quæ habetur apud Asseman. *tom.4. a pag.590.* constat, quod *anno Græcorum* 1801. *Christi vero* 1490. quemdam Georgium miserint Malabarenses ad Simeonem Patriarcham Nestorianorum, cum itineris socio Josepho, ut ab eo acciperent Episcopos pro India. *Simeon* autem ambos Sacerdotio initiavit, & insuper binos selegit *Monachos ex Cœnobio* S. Eugenii, quibus Josephi nomen commune erat, ipsosque Episcopos inauguravit, & alteri quidem Thomæ, alteri vero *Joannis* nomen imposuit, qui omnes in Indiam profecti sunt, ubi plurimis consecratis aris, atque Sacerdotibus ordinatis, *Joannes* in India permansit; Thomas autem primitias, ac oblationes illorum Christianorum Patriarchæ allaturus, ad ipsum remeavit, atque apud illum remansit usque ad *annum* 1503. quo cum aliis Episcopis regressus est in Malabariam ut mox dicemus. Joannes etiam (alterum fuisse ab illo putamus) Masinæ Episcopus eodem tempore designatus fuit a Simeone.

An-

Digitized by Google

Anno 1503. Jaballaha.

EX præmemorata Indorum Episcoporum Epistola constat, quod *anno Christi* 1502. Græcorum vero 1813. obierit Simeon Patriarcha Nestorianorum, cui successit Elias. Hic *anno* 1503. Thoma illo Episcopo urgente, tres alios Monachos laudati Cœnobii S. Eugenii, Episcopos ordinavit, Davidem nimirum Metropolitam, Georgium, & Masudum Episcopos; quibus nova nomina imponens, primum appellavit *Jabalaham*, alterum Denham, tertium denique Jacobum, qui omnes cum Thoma Episcopo eodem anno in Indiam profecti, adhuc inter vivos agentem Joannem Atelæ, seu Masinæ Metropolitam viderunt. Et licet ex illius Epistolæ contextu non constet, quisnam horum Joanni IV. successerit, putat tamen Cl. le Quien id muneris *Jaballahæ* collatum verisimiliter fuisse; missis in alias Indiæ Sedes reliquis duobus, Denha atque Jacobo.

Anno circiter 1540. Josephus I.

JOsephum istum Malabarensium Metropolitam recenset le Quien: *tom.2. col.* 1278. atque Cranganoræ Episcopum fuisse asserit, qui Cochini in Franciscanorum Cœnobio S. Antonio dicato extremum diem clausit *anno* 1544.

Anno circiter 1550. Junabus & alii.

JUnabum hunc, aut *Junab*, ut vocat le Quien, ex ipsius tantum Catalogo agnoscimus, quem, ait, post Josephum Indiæ Metropolitam sedisse; nec non illi alios quosdam successisse, ad *annum usque* 1555.

Anno 1555. Mar Josephus II.

EJusdem le Quien narratione, scimus, quod cum *anno* 1555. Paulus Papa IV. *Simeonem Sulakan*, alias *Sind*, Chaldæorum Patriarcham aut Catholicum, qui Romam venerat, successionem hæreditariam Patriarchatus illius impugnaturus (quam nimius in Nepotes & consanguineos amor induxerat) in eo munere atque dignitate confirmasset, duos illi Episcopos, comites dederit itineris, *Mar Hermetem*, seu *Hormisdam Eliam*, & *Mar Josephum*; iste vero Mar Josephus, qui Ninives Episcopus audiebat, missus fuit in Indiam futurus Metropolita, ipsi etiam designato suffraganeo; quinimmo, si fatis concederet, successore Ambrosio de Montecæli, Ordinis Prædicatorum alumno, qui cum aliquandiu Goæ apud suos Magistrum egisset, Cochinum profectus, ibidem obiit *anno* 1557.; Addit ipse de Mar Josepho, quod postha bita fidei professione, quam Romæ emiserat; Nestoriana dogmata re assumserit.

Ab

Ab anno 1556. usque ad 1597. Josephus III. Abraham & Simeon.

CAtholico Sulaka vita functo, qui illi in Patriarchatu successit Mar Abdichio seu Abdjesus, ordinavit *Josephum* alterum, Indiæ Metropolitam; quia vero Nestorianos errores, suorum more divulgabat, id non sustinentes Lusitani, eum ex India in Lusitaniam relegarunt; dum vero is abesset ab India, Malabarici Christiani S. Thomæ alterum Episcopum nomine *Abrahamum* a Nestorianorum Patriarcha Abdjesu impetrarunt. Cum autem Chaldæorum Ecclesia in duas partes tunc temporis scissa esset, Catholicus alter, qui Mosuli in Assyria, adversus Sulakæ successorem sedebat, audita Josephi in Lusitaniam deportatione *Simeonem* quemdam in Indiam misit, qui Carturte consedit. Hic ab Abrahamo æmulo male habitus, suggerentibus PP. Franciscanis Romam venit, ubi a Sixto Papa V. deprehensus fuit, atque ex *suismetipsis*, quas secum attulerat, Schedis, uti *in Hist. Synod.* dictum est, comprobatum est, nullo Ecclesiastico ordine insignitum unquam fuisse. Redux autem ex Europa Josephus, denuo hæresis reus factus, *anno* 1567. Cochino in Lusitaniam, inde Romam anno sequenti mittitur, ubi interiit. Interim Mar Abraham Ecclesiam Malabaricam solus regebat; Simeon autem cum a Sixto V. in Lusitaniam, Roma pulsus fuisset, in Cœnobio Franciscanorum *anno* 1599. e vivis excessit. *anno* 1597. Mar Abraham interiit, & moriens Ecclesiam Malabaricam sollicitudini Georgii Archidiaconi illius Ecclesiæ commisit. Quæ omnia latius persequi, importunum esse arbitramur, cum ea omnia penticulatius *in Histor. Synod. cap.* 1. scripta legantur.

Anno 1599. Alexius Menessius Augustinensis.

CXXXI. EPiscopis omnibus Nestorianis vita functis, *Alexius Menessius* ut miseram illam gentem tot tantisque erroribus deturpatam sinceritati fidei restitueret, *designatus fuit illius* Ecclesiæ Inspector & Antistes, ex commissione *Clementis Papæ* VIII.; Hic strenue constanterque commissum munus adimplens, Diamperitanam nostram Synodum coegit *anno* 1599. in qua, ejuratis antiquis Nestorianorum deliramentis, catholicam puram fidem susceperunt *illi Christiani*: utque rursus in eadem non prolaberentur, Ecclesiæ Romanæ, Babylonicam ejurantes, obedientiam atque subjectionem in omnibus professi sunt. Consensione igitur illorum Christianorum, etiam Archidiaconi Georgii, Latini ritus deinceps Præsules acceperunt, qui de pristino more Angamalæ sederent; inconsultis tamen, & perpetuo obsistentibus Patriarchis Nestorianis; Quibus tamen frustra obsistentibus, Latini continua, nec interturbata successione Ecclesiam illam moderati sunt, ab *anno* 1600. ad annum *usque* 1653.

An-

Digitized by Google

Anno 1600. Franciscus Roz Soc. Jesu.

MUnere suo egregie functus Menessius, suam Archiepiscopalem sedem revisit, atque sub id temporis, designatus est Episcopus Angamalensis *P. Franciscus Roz*, a Clemente Papa VIII. Hispaniarum Rege Philippo III. postulante; qui cum Angamalæ primum sedisset, postmodum Cranganoræ, Archiepiscopi titulo honestatus, sedem constituit: vitam autem finivit *anno 1617.*

Anno 1617. Hieronymus Xavierre Soc. Jesu.

FRancisco Rozio suffectus est *Hieronymus Xavierre*, ex eadem Societate, Hispanus Navarrensis; qui tamen ubi Goam appulit, ibidem vivere desiit, eodem *anno* 1617. Hic (ait le Quien) est celebris ille *Vitæ Christi Domini* Persica lingua scriptor. Crozæus addit ipsum scripsisse etiam *Vitam S. Petri Apostoli*, qui tamen, ut nulla in re insipientiam suam & animi pervicaciam dissimularet, de Vita Christi ait, *speciem quandam Alcorani præseferre*; Vitam vero S. Petri *fabulis importunis atque ridiculis refertam esse*: ita habet *Hist. Christ. Ind. pag.* 335. Horum librorum latinam versionem adornavit, testibus P. Alegambe, & ipso Crozæo, Ludovicus de Dieu, Linguarum Orientalium Magister, homo acatholicus, cui notationes apposuit, flammis non luce dignas, juxta Alegambe, quæ tamen, juxta delirium Ludovici, & Crozæi adversus sacri textus corruptores Jesuitas, vindicias continent ineluctabiles: at in iis talpæ de luce, ut vetus paræmia habet, & *Inimici nostri sunt Judices*, ex Deuteron. 32. v. 31.

Anno 1618. Stephanus de Britto Soc. Jesu.

XAverio successor datus est ex eadem Societate, *Stephanus de Britto*; qui indivulsus ipsius comes fuerat, Missionum apud illas gentes, ut ex Francisco Barreto Lusitano Soc. Jesu habemus in *Relat. Status Christian. Malabaren. anno* 1645. *edita Romæ*; qui etiam refert, Stephanum XVII. annos illam rexisse Ecclesiam; unde fato functus est, decimo septimo Episcopatus sui anno; atque propterea assignandus est annus illius emortualis 1634. & emendandus typographorum error; qui *pag.* 168. *tom.* 4. Assemani obrepsit, ubi *annus* 1641. assignatur, tanquam ipsius morti respondens.

Anno 1636. Franciscus Garcia Soc. Jesu.

POst obitum Stephani, ipsius Sedem obtinuit *Franciscus Garcia* ejusdem Societatis alumnus, qui antea ejus in Episcopali munere Coadjutor fuerat, juxta Asseman. *in loco mox laudato*; atque *anno* 1634. Cranganorensis Archiepiscopus renuntiatus fuit. Ex regestis autem

Ur-

Digitized by Google

Urnis constat, quod Franciscus Garzia Mendez Presbyter Soc. Jesu, Episcopus Ascalonensis, & futurus successor Archiepiscopi Cranganorensis, confirmatus fuit a Sede Apostolica die 23. Junii anni 1636. atque ex hac, aliorum Chronologiam emendandam esse, arbitramur. Undevigesimum Episcopatus annum, imperturbate egerat Garcia, cum vel instigante pacis inimico, vel quia Malabarenses pertæsi tum Præsulum Latinorum, tum diuturni regiminis Garciæ, ingratum sibi jugum excutere vellent, conspirantes in illum, Episcopum declararunt Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, nomine Thomam, atque illius Archidiaconi Georgii, qui Synodo Diamperitanæ interfuerat, affinem & successorem. Quæ contigerunt *anno* 1653.; & licet Garcia quantum valuit, obstiterit, tamen vi cedere coactus est, atque discedere, ac tandem Cochini decessit anno 1659. ut aliqui recensent.

Hæc Christianorum Malabarensium conspiratio atque scissura, nos etiam compellit, cœptam Antistitum seriem in duas scindere partes; quarum prima latini ritus Antistites, a vero Ecclesiæ universalis capite, Summo Pontifice Romano ad eam Syrorum Ecclesiam regendam missos, continebit; altera vero Schismaticos Episcopos missos a Patriarchis Orientalibus quotquot nobis innotuerunt, ex adverso exhibebit.

EPIS-

Digitized by Google

EPISCOPI LATINI

Anno circiter 1655. Joseph a S. Maria Carmelita Discalceatus Gubernator.

CXXXII. ALexander VII. Pontificatus initio, novi Schismatis accepto nuntio, illi Ecclesiæ opem ferre sedulo sategit; itaque post obitum Francisci Garcia, *Josephum a S. Maria* Carmelitam Discalceatum, Hierapolis Archiepiscopum *anno* 1660. ordinatum, in Indiam misit Episcopum Gubernatorem illius Diœcesis; hic cum socio ejusdem instituti Vincentio Maria a S. Catharina Senensi, Suratam, proximum Indiæ portum appulit, ac deinde Goam *anno* 1661. atque Cranganoræ tres annos sedit, & Pseudo-Episcopum Thomam valide repressit, ac procul abegit. Cum autem ab *anno* 1661. usque *ad* 1663. Batavi Coulanum, Cranganoram, atque Cochimum expugnassent, pulsis inde Lusitanis, fugere coactus est Josephus; qui tamen ante quam inde discederet, Episcopum illorum Christianorum inauguravit Alexandrum, & Goam venit, & inde Romam 6. *Maii anni* 1665.

Anno 1663. *Alexander de Campo Indus.*

EX Commissione Apostolica, qua fungebatur Josephus, Episcopum illis Christianis consecravit, Cassanarium illius Ecclesiæ, Indigenam, nomine *Alexandrum de Campo*: non quidem titulo Archiepiscopatus Cranganorensis, cum hæc Urbs Lusitanis erepta esset, sed Episcopatus Cranganorensis, cum hæc Urbs Lusitanis erepta esset, sed Episcopatus

EPISCOPI SCHISMATICI

Anno circiter 1654. Abatalla.

QUam tot laboribus Menessius Indis illis restituerat veram fidem, atque subjectionem Pontifici Romano debitam, quamque vel ipsi Nestoriani cum Sobense, qui floruit *anno* 1318. agnoverunt, *Epist. Can. part.* 9. *cap.* 1. *ap. Assem. Tom.* 3. *pag.* 348. per hæc verba, omnibus sinceræ Fidei addictis albo lapillo notanda: *Et quoniam prædictis Civitatibus* (agit de Sedibus Patriarcharum Babylone, Alexandria, Antiochia, Roma, & Byzantio) *non ex Principatu, & antiquitate solummodo, Patriarchalis dignitas, & prærogativa accessit, sed etiam propter Apostolum, qui in ea docuit, & Regem, qui in ea regnavit, magnæ Romæ data fuit* (prærogativa) *propter Petrum Apostolorum Principem, & Paulum Doctorem gentium; ipsaque est SEDES PRIMA & caput Patriarcharum: secunda Alexandrina &c.* quibus quid Crozæus cum acatholicis reponere valeat, omnino non videmus; istam inquam, veram Fidem abjecerunt *anno circiter* 1654. obtentu quidem difficilis ingenii Episcopi Garciæ, re autem vera, amore Nestorianismi, quem ore tenus ejuraverant. Clam itaque Cassanarii vel a suo Patriarcha, vel, ut ait Vinc. Maria, a Patriarcha Coptorum, aut Jacobitarum, alium Episcopum expostularunt, atque ad eos misit ille Syrum Episcopum *Abatallum*, nomine Arabico, Græco autem *Theodorum*; qui Damascenis præfuerat. Homo hic sane discolus

EPISCOPI LATINI

Episcopatus Megarensis; & sacræ ceremoniæ in Ecclesia Carturtensi peractæ sunt. Et hic quidem primus fuit Episcopus Indus illorum Christianorum, cum ante hac omnes fuerint vel Syri, a Patriarchis Bagdadensibus missi, aut Europei, a Pontifice Romano constituti, post Synodum Diamperitanam a Menessio coactam. Obiit autem *anno circiter* 1676. eodem tempore aut paulo post quam ejus æmulus, Thomas de Campo fato concessit.

Anno 1676. *Raphael Figruedo Indus.*

EX Epistola exarata Vaipim in Malabaria 3. *Dec. anno* 1676. a P. Bartholomæo a Spiritu Sancto, Carmelita Discalceato, ac Præfecto Missionibus Malabaricis, cujus apographum, uti & aliarum de quibus infra, in Urbe nobis hoc *anno* 1744. liberalissime exhibuere viri, omni exceptione majores; id inquam constat, Alexandrum de Campo, petiisse a Sum. Pontifice, Episcopum sibi Coadjutorem, & Successorem designari; cumque ipsius precibus Pontifex benigne annuisset, quatuor Carmelitas Discalceatos in Indiam misit, ut quem aptiorem deprehenderent, Apostolica auctoritate, Episcopum & Successorem Alexandri designarent. Quum vero Batavorum novissima expugnatio, aditum non parum difficilem redderet, Cæsaris interpositione missi, commeatum obtinuerunt, a Collegio Amstelodamensi. Ut autem in Indiam appellentes, ejusmodi literas Batavo

EPISCOPI SCHISMATICI

cum Meliaporem appulisset, mancipatus Lusitanorum studio, literas dedit Archidiacono, quibus certiorem reddebat illum de suo adventu, quodque illuc mitteretur Patriarcha a Pontifice Romano, astute asserebat. Malabarenses conspiratione facta, ut Episcopum Ahatallam libertate donarent, ingentes turbas ciere cœperunt, atque manu facta viginti quinque mille armatorum, Archidiacono ductante copias, Garciam in obsidem libertatis Ahatallæ, capere conabantur Cochimi. Indignatione vero penitus exarserunt, cum illis nuntiatum est, Ahatallam *Goam* adductum fuisse, atque a Tribunali Inquisitorum seculari *brachio* traditum esse, flammisque *absumptum*. Et quamquam *per id* temporis Monophysitæ, seu Syri Jacobitæ Episcopi, in Indiam penetraverint, Ahatallam, non tamen Jacobitam, sed Nestorianum fuisse; tenet contra Crozæum Asseman. *tom.4. pag.*462.

Anno circiter 1654. *Thomas de Campo Indus.*

ACcepto nuntio de nece Hæretici ipsi jure ac merito illatæ (quid quid reclamet Crozæus) novo facto tumultu, Archidiaconum illius Ecclesiæ *Thomam de Campo* Indigenam, atque alterius Archidiaconi Georgii propinquum, Episcopum inaugurare ausi sunt, quem novo prorsus ritu, duodecim Cassanariorum sacrilega Chirotonia initiavere. Hic etiam potius Episcopi larva quam Epis-

Digitized by Google

EPISCOPI LATINI

vo Commendatori Van-Redo inspiciendas porrexerunt, constanter ipse asseverare cœpit, se nullam alterius electionem probaturum, quam *Matthæi de Campo*, Alexandri de Campo Nepotis. Quod ideo dicebat, quia verebatur, ne Commissarii eligerent, ut ferebatur, *D. Custodem* Episcopum Hierapolitanum, natione Indum, ac stirpe Bracmanem. Pollicebatur etiam, si Matthæum instituerent, expeditam adeundi Cochimum facultatem, tum Batavorum gratiam, quæcumque demum ad victum necessaria; quod si secus facerent, se Matthæum renuntiaturum Episcopum; Christianos S. Thomæ ad obedientiam illi præstandam coacturum; Commissarios tandem in Persidem deportandos fore minitabatur; cujus etiam horæ brevissimum tempus, ut decernerent quod facto opus esset, designavit. Igitur Carmelitæ, qui se eum in Episcopum tuta conscientia eligere non posse arbitrabantur, sub hac restrictione respondent; paratos nempe se esse, eum in Episcopum designare, dum ea observarentur, quæ Sacri Canones, & quæ ipsis, Sum. Pontifex præscripserat, atque in mandatis dederat. Quo accepto responso Van Redo, ut legitur in alia Epist. scripta *Verapoli* 26. *Aprilis anni* 1678. (a) Commissarios discedere jussit, ut factam

(a) Hanc Epistolam subscribunt F. Bartholomæus ab Spiritu Sancto, Præfectus: F. Angelus Franciscus a S. Theresia, & Bartholomæus Anna, Clericus Syrus Patria Aleppensis, & Linguæ Syriacæ in Provincia *Serræ* Malabariæ Professor,

EPISCOPI SCHISMATICI

Episcopus cuncta Dignitatis munera expeditissime obire cœpit, atque Lusitanum transfugam nomine *Diez* Presbyterum irritu conatu inunxit. At vero Joseph a S. Maria, ut diximus, Apostolicus in Malabaria Vicarius, illius Ecclesiæ Episcopum ordinavit Alexandrum de Campo, nequidquam reluctantibus refractariis; Thoma autem decedente *anno circiter* 1676. nullus Chaldaici ritus Præsul Malabarensibus præfuit, usque ad initium Seculi XVII. Ordinationem & Chirotoniam Thomæ, acriter juxta ac futiliter propugnat Crozæus *pag.*349. cujus tamen conatum invicte dejicit Assem. *Tom.*4. *pag.*404. P. le Quien ait, Thomam Alexandri Successorem, Metropolitam fuisse Christianorum Australis Malabarici tractus, *anno* 1714. vehemens tamen falsi suspicio in ista narratione nobis subolet; quia sexaginta circiter annos Episcopum egisse, ab anno nempe 1654. usque ad 1714. verisimile non est: constat aliunde istum Thomam fuisse Jacobitam & alium a Thoma de Campo, ut mox dicemus. Joseph a S. Maria Carmelita *Itiner.*2. *in Indi.* ait, quod post interitum Ahatallæ, in Malabariam venisse ferebatur, Stephanus quidam Armenus mercator, jactans se esse Nepotem cujusdam Syri Pontificis, qui in locum Defuncti Papæ Alexandri VII. electus fuerat, ab eoque in Malabariam missum se esse, asserebat, ut Thomæ Archidiaconi ordinationem legitimam declararet; & Breve quidem Apostolicum, quod ipse Stephanus cum Iti Thoma

EPISCOPI LATINI

ctam a se electionem, Episcopo Alexandro, atque ipsi Matthæo ejus Nepoti annuntiaret: immo invaluit rumor, Commendatorem Van-Redo ex commissione Romanæ Curiæ, atque clientela Societatis Batavicæ, Matthæum de Campo Episcopum constituisse. Commissarii vero Apostolici secedentes Mangatem, ex eo loco palam testati sunt, notumque cunctis fecerunt, rumorem illum falsissimum esse; utque Pontificis jussibus parerent, illico in Episcopum designarunt, *D. Raphaelem de Figruedo*, Nobilem Indigenam, Canonicum olim, Visitatorem, & Vicarium Generalem Episcopatus Cochimensis Sede vacante. Hæc omnia ægre ferebat Van-Redo; quia ipse, & Alexander pacto convenerant, de faciendo Episcopo Matthæo ejus Nepote, & vicissim Alexander promiserat, Milites ex Christianis S. Thomæ conscribere, qui auxilio essent Batavis, Cochimi existentibus, adversus quoscumque Europæos; quam fraudem ut occultaret, causabatur se ferre æquo animo non posse, ut eligeretur Episcopus, quasi hæreditario jure, de stirpe Archidiaconorum de Campo, (a) ut fieri consueverat;

(a) Commendator Batavum Jacob Lobet in Epist. scripta D. Thomæ de Castro Episcopo Fulsivilensi 26. *Aprili* 1677. conqueritur de Discalceatis Commissariis, quod recesserint in electione: *Da antiga linha dos Arcidiagos amigos, que de presente passaron em Bispos*. verum nec Alexander, nec ipsius Nepos Matthæus, ex illa antiqua Archidiaconorum stirpe erant progeniti, quamvis cognomen *de Campo* illis esset commune; illa enim linea Thomæ

EPISCOPI SCHISMATICI

Cassanario Schismatico confinxerat, lectum fuit in Ecclesia Tungolina, quod non parum illius gentis pervicaciam auxit; quæ an vera sint, in suspenso manet.

Ab anno 1663. usque ad 1720. Gregorius, Andreas, Basilius, Joannes, & Thomas II. Jacobitæ.

CHristiani S. Thomæ, *anno* 1663. in duas erant factiones divisi; quarum altera partes Thomæ de Campo sustinebat; altera Alexandro & Campo favebat, quem Hierapolitanus Episcopus Joseph a S. Maria Carmelita, *Antistitem* illi Ecclesiæ Malabarensi *præfecerat*, eodem anno. Patriarcha interea Jacobitarum, opportunam occasionem erroris sui in India disseminandi, sibi elabi non est passus; atque illo Episcopos mittere deinceps statuit, misitque 1. *Gregorium* Hierosolymitanum Syrorum Metropolitam, qui omnium primus, eos Indos de errore *in errorem* traduxit, *nimirum* e Nestorianis, Jacobitas *fecit*: *Gregorio* suffectus fuit *Andreas*; huic *Basilius* Maphrianus; Basilium excepit *Joannes*. Joanni tandem subrogatus est *Thomas* Jacobita, qui *anno* 1704. Malabarensibus Episcopus præerat; & quidem ante *annum* 1709. quo Epistolam scripsit ad Ignatium Jacobitarum Patriarcham, alteram etiam ad eundem dederat *anno* 1720. Alterius etiam Epistolæ ejusdem Thomæ ad Ignatium, meminit Crozæus, & cum illo Assemanus *Tom.4. pag.300.* scri-

EPISCOPI LATINI

rat; sed hac ipsa in re egregie deceptus est, cum Alexander fuerit primus, ex illa stirpe *de Campo* Episcopus; inter quam & aliam Thomæ de Campo, e qua nominabantur Archidiaconi, nulla intercedebat propinquitas. Alexander tamen rebus bene perpensis, electionem Raphaelis approbavit, immo ipsi expeditam viam ad Montana Malabarica præbuit, atque omnes illi Christiani obedientiam ipsi præstiterunt.

Anno 1694. *Didacus ab Annunciatione, Cong. S. Joannis Evangelistæ.*

QUo anno extremum diem obierit, Raphael Figruedo, incompertum est nobis. Comperimus autem ex Urbis Archivis, quod die 19. Aprilis anni 1694. inauguratus fuerit Archiepiscopus Cranganorensis Didacus ab Annuntiatione, e Congregatione Sancti Joannis Evangelistæ in Lusitania florescente; qui tamen post septem annos, nimirum anno circiter 1701. ea dignitate per liberam dimissionem, se abdicavit.

Anno 1701. *Joannes Ribeiro Soc. Jesu.*

POst abdicationem Didaci, ei successor datus fuit Joannes Ribeiro; cujus dignitatis expeditæ fuerunt ex Urbe literæ Apostolicæ

EPISCOPI SCHISMATICI

scriptæ *anno* 1714. quam latinitate donavit Carolus Schaaf, Lugduni Batavorum linguarum Orientalium Professor, cui etiam Præfationem adornavit. Quam vero scripsit, *anno* 1720., ex Archivo Sac. Cong. de Propaganda Fide Syriace exscripsit ipse Assem. ac latine redditam publici juris fecit *Tom.4. pag.466.* de isto autem Thoma intelligendum est, quod P. le Quien asserit, Thomam nempe Malabarensium Episcopum fuisse *anno* 1714. non vero de illo alio Thoma Alexandri de Campo successore.

Anno circiter 1704. *Gabriel.*

EX Relationibus Actorum, a Missionariis Lutheranis Daniæ editorum, asseruit le Quien ex Assyria venisse in Malabariam *Mar Gabrielem, anno* 1704. ipsumque sedisse ad Borealem Malabariæ plagam; Assemanus vero loco supra memorato *pag.447. anno* 1709. in regionem illam eum penetrasse scribit; licet verum sit, quod ipse, ineunte *anno* 1704. è Mesopotamia ad Sac. Congreg. de Propaganda Fide, formam suæ fidei professionis Romam transmiserit, ut ad communionem Romanæ Ecclesiæ admissus, expeditum in Indiam aditum sibi pararet; fore confidens, ut ita a Schismaticis admitteretur, quia Babyloniæ erat addictus, & a Catholicis, eo quod ipsius fides Romæ probata erat. At vero eodem *anno* 1704. rescripsit Gabrieli Sacra Congregatio, commendans quidem ejus studium,

non

de Campo erat; ab istaque longe diversa: immo Alexander erat primus Episcopus ex illa familia electus.

Digitized by Google

EPISCOPI LATINI

ex die 5. Decembris anni 1701. Hic ad Ecclesiæ Malabarensis Sedem evectus est, atque assumtus, e Societate Jesu; cum antea per plures annos, Missionarii munus apud eas gentes sedulo obiisset, ut habetur in Epistola scripta a P. Tachard in Bengala, anno 1714. ineunte. Cum autem ille tumultuantes adhuc animos, ex antiqua conspiratione invenisset, infensos sibi experiri cœpit, cum Batavos, tum etiam Christianos D. Thomæ, tam Schismaticos, quam Catholicos.

Et Catholici quidem illi, qui regionem incolebant, a Puttotta versus meridiem; ea de causa Ribeiro adversabantur, quia e Carmelitarum tantum alumnis Episcopum ipsis designari, uti non semel acciderat, peroptabant; ut constat ex Conventione inter eos facta, quam ex Urbis Archivis depromimus, quæ est hujusmodi.

Conventio & juramentum factum a Christianis S. Thomæ, ob adventum Archiepiscopi (Ribeiro).

EPISCOPI SCHISMATICI

non tamen fidei professionem, quam nec integram nec sinceram agnoscebat; proinde illi transmisit professionis formam, ab Urbano VIII. editam, quam propriæ manus subscriptione munire illum jubebat. Verum ille iis tantum literis Congregationis fretus, Indiæ iter arripuit, atque in Malabariam pervenit *anno* 1709. uti constat ex Epistola Thomæ Jacobitarum *in* Indiæ Episcopi, cujus supra meminimus: unde audiendus non est Crozæus, qui ejus appulsum *ad annum* 1708. consignat. At cum ille, nec in sua Diœcesi sederet, nec fidem orthodoxam sincere coleret, Angelus Episcopus Metellopolitanus Vicarius Apostolicus, eum inde abigere conabatur, quod fecisset, nisi ille, novam fidei professionem (animo tamen simulato) emisisset, quam habet Asseman. *to.4. pag.*299. larvam tamen exuens *anno* 1715. se Nestorianum perpetuo fuisse, certis argumentis commonstravit. Fuerat is primum Adorbiganæ Provinciæ, quæ 15. est in notitia Amri, Antistes; quæ quartum locum obtinet apud le Quien. Hujus Gabrielis meminit Crozæus *pag.*421. atque illum in Indiam *anno* 1708 pervenisse affirmat, ac fese acriter opposuisse Thomæ Episcopo Jacobitæ, a Jacobitarum Patriarcha ad Malabarenses misso.

Anno a Nativitate Christi 1704. *& anno Collam* 879. *die* 20. *Junii, Carturti in Ecclesia parva, nos omnes Deputati Ecclesiarum, quæ sitæ sunt, a Puttotta versus meridiem, in unum congregati, coram Domino Archidiacono, statuimus & scripsimus hoc negotium; nempe permanere ita quousque nostræ querimoniæ rationem audiens Summus Pontifex, decernat ac indulgeat; quod sicuti anteactis temporibus usque in præsens,*

Episc

Digitized by Google

Episcopus ex Ordine Carmelitarum, ejusdemque Ordinis Patres, in nostris molestiis ac acerbitatibus consolati non sunt, & nostrum promoverunt profectum, ita deinceps facere pergant. Deinde refractarios conventionis hujus & juramenti excommunicando, ita clausulam extremam imponunt: *In cujus rei testes advocamus D. N. Jesum Christum, Beatissimam Virginem, ac Apostolos duodecim*: & subscribunt *Abraham Sacerdos: Georgius Sac: Thomas Sac: Georgius alter, Sac: Alexander Sac: Jacobus Sac; Joseph Sacerdos*. Quæ tandem acta attestatur Verapoli die 20. Novembris 1704. F. Angelus Franciscus a S. Theresia Episcopus Metellopolitanus.

Nec minus invisus erat Schismaticis Archiepiscopus Ribeiro, quam Cassanariis Catholicis; immo ab illis illiberaliter plane habitus est; atque eodem anno nimirum 1704. una cum Episcopo Thoma, hæretico Jacobita, libellum supplicem scripserunt ii Schismatici Summo Pontifici, in Ecclesia S. Georgii Martyris, Rapolini congregati: in quo primum conqueruntur de Paulistis (hoc nomine appellabant Jesuitas, a Collegio D. Pauli) causantes quod propter vexationes sibi ab ipsis illatas jam pridem sub Archiepiscopo Garzia, ab Ecclesia Romana discesserint; deinde gratulabantur Papæ, de Missione Patrum Carmelitarum; postulabant exinde, quod ritus & consuetudines Syriacas, in tota Malabaria observari juberet; exponebant demum, fore ut Ecclesia illa, non aliter optime gubernaretur, quam si Angelus Episcopus, una cum Episcopo Thoma, regiminis habenas moderandas susciperet. Subscribit deinde libellum, *Thomas Episcopus pauper, & humilis: Porta totius Indiæ*; ac infra subscriptionem, acinacem depingit recurvum, & cuspidem flammis coronatam. Quæ subscriptionis forma, in alia ejusdem Thomæ Epistola legitur, quam Assemanus ex Archivo Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Syriace exaratam & latine, exscripsit *Tom. 4. Bibliot. Orient. a pag. 464. usque ad* 467. scripta ab illo Pharahur Patona (Pharaor) anno 1720. Ignatio Patriarchæ Antiochiæ; quæ tamen hic paululum immutata, ita habetur: *Porta totius Indiæ*. Post Thomam igitur subscribunt supplicem libellum e præcipuis Sacerdotibus duodecim, & novem supra viginti Ecclesiæ. Libellum istum deinde misit Angelus Episcopus Metellopolitanus, Patri Augustino a S. Elzeario existenti Banderabasi *die 19. Decembris anni* 1704., ut eum Romam petens, Summo Pontifici offerret; simulque ei injungit, ut ab eodem literas Apostolicas postulet, ut Sacerdotibus Serræ Malabaricæ, liceat indiscriminatim celebrare, sive in azymo, sive in fermentato; ita sibi spondere, quod dissidia mitescerent, & Schismatici ad sinum Ecclesiæ Romanæ redirent; *illi saltem* (ait) *qui jam sunt, quamquam invalide, ordinati in fermentato*. Ubi notandum, illo adhuc tempore præjudicium de invaliditate ordinationis, exclusis azymis, apud Theologos illos obtinuisse. Rescripsit autem Episcopo P. Augustinus, literas se accepisse, at vero crure fracto, ac propemodum morti proximum detineri.

Alterum ejusdem fere argumenti libellum Summo etiam Pontifici obtu-

obtulerunt Catholici laici; id tantum adjungunt, ope Alexandri Episcopi, ac Patrum Carmelitarum, post exortum Schisma, unam supra septuaginta extare Ecclesias, omni ex parte Romanæ Ecclesiæ addictas; ac præterea decem & octo, easque media ex parte Catholicis, ex altera autem media Schismaticis constare: reliquas esse octo supra viginti, omni ex parte Schismaticas; *Istas tamen* (ajunt) *optimo Patrum Carmelitarum exemplo, facile adduci posse, ut Papæ obediant, si ut P. Innocentio eorum Præfecto, pro parte ipsarum significatum est, eumdem in Episcopum illius Diœceseos Sum. Pontifex designaret; & quia Ecclesia istbæc in duas partes divisa est* (eos loqui putamus de parte Australi, & Boreali Malabariæ, in quarum prima ut habetur ex quadam Epistola scripta anno 1714. a Missionariis hæreticis Danis e Malabaria, sedem habebat Mar Thomas Jacobita, in altera vero Mar Gabriel Nestorianus) *quasi duas Diœceses; postulamus a Summo Pontifice, idem quod petunt Schismatici*; nimirum ut apparet, vel quod a duobus illis Episcopis, Angelo & Thoma gubernarentur; aut ab Innocentio, & illorum altero.

Id autem negotii plurimum facessebat Ribeiro, quod tumultuantibus adversus eum, cum Schismaticis, tum etiam Catholicis, & Ecclesiasticis & Secularibus, auxilium opemque illis omnem ferebant Batavi. Itaque Gubernator Batavus, coacto Ministrorum Batavorum *Consilio*, Cochimi die 9. Julii; edictum conscripsit, quod post paucos *dies* nimirum die 17. ejusdem mensis anni 1704. promulgatum fuit, cum testificatione Danielis Giuntis, qui erat Consilio a Secretis, *Adversus quemdam* (ita erat scriptum) *Sacerdotem Romanum, in Lusitania natum Ordinis Paulistarum, Joannem Ribeiro nominatum; eo quod* Episcopi *munera, & Dominium, super omnes Ecclesias Christianorum S. Thomæ, in oris Malabaricis usurpare pergit; quippe hoc ex diametro opponitur, & menti Altissimorum Dominorum Batavorum, & pactis conventis, quæ ipsi cum diversis Regibus Malabaricis constituerunt; nempe quod nullus alius in Malabaria Episcopus admittendus esset, præter Angelum Franciscum Carmelitam Discalceatum, aut ex ipsius Sociis alterum; quapropter interdicunt dicto Ribeiro, aliquam authoritatem, aut jurisdictionem exercere in Ecclesiis Romanis in Cochimensi Regno existentibus, aut in terris quorumcumque aliorum Principum Malabarensium: præcipiunt tandem, quod nullus dictum Ribeiro Episcopum agnoscat, aut ipsi obediat sub pœnis &c.* Constat autem posterioribus nuntiis, quod Joannes Ribeiro omnibus exantlatis molestiis illis, atque acerbitatibus, Ecclesiam Malabarensem usque ad annum 1720. moderatus fuerit; sive id tribuendum videatur hujus Viri prudentissimo zelo, & in rebus gerendis solertiæ, sive eximio Patrum Carmelitarum studio, in procuranda pace.

Digitized by Google

Anno 1721. Antonius Pimentel Soc. Jesu.

JOanne Ribeiro vita functo, Sedis Cranganorensis Episcopus designatus fuit, P. Antonius Pimentel ejusdem Societatis Jesu Presbyter ac Alumnus; cujus Dignitatis, Apostolicæ literæ missæ sunt ex Urbe, die 20. Januarii anni 1721.; Atque hactenus quantum nobis licuit, de Episcopis Malabarensis Diœcesis Divi Thomæ.

CXXXIII. Alia præterea in tractu Coromandelico extat, D. Thomæ (a) nuncupata, Ecclesia & Diœcesis; cui præest Episcopus Meliaporensis, vulgo *De Sancto Thoma*, sub clientela Regis Lusitaniæ, cujus etiam est, Antistitem illi Ecclesiæ præficere, a Summo Pontifice inaugurandum. Hujus Ecclesiæ Antistites nonnullos hic adjungere libet, ut ii saltem innotescant, nec memoria excidant.

Anno 1606. die 9. Januarii confirmata fuit a Sum. Pontifice electio P. Sebastiani a S. Petro, nostri Augustiniani Ordinis; Lusitani e Diœcesi Conimbricensi: qui quo tempore Ecclesiæ Meliaporensi præerat, Castrum Paleacate, impensis propriis per obsidionem Batavis eripuit, ac Regi Lusitano restituit; Meliaporem item a Rege Bisnagano obsidione cinctam, strenue propugnavit; muris etiam atque propugnaculis, ære proprio eamdem munivit atque exornavit: tandem ob ejus præclara merita, e Sede Meliaporensi, ad Archiepiscopalem Goensem Ecclesiam evectus est, ac totius Indiæ Primas creatus.

Post Sebastianum, ejusdem Augustinensis instituti duos, Meliaporenses Episcopos legimus: nimirum Ludovicum de Britto, & Dominicum a Trinitate, antea Episcopum de Sale. Alium Episcopum ejusdem Ecclesiæ Salensis memorant Tabularia Urbis Augustiniana, nomine item *Dominicum*, cognominatum tamen *a Pietate*; & hic quidem recensetur inter primos ex ordine nostro Augustinense Missionarios, qui die 18. Martii anni 1572. in Indiam Orientalem provecti sunt, nempe Simon de Morales auctore Rege Sebastiano; Simon a Jesu; Anselmus de Paradiso; Emmanuel de los Reyes; Georgius a S. Maria, electus deinde Episcopus Fezzanus in Mauritania; Joannes de Gratia; *Dominicus a Pietate*, postea Episcopus de Sale; Petrus Scrupulosus; Joannes a S. Monica; Ludovicus Camelo; & F. Emmanuel Conversus; qui omnes strenuam navarunt operam (maxime autem post aliquos annos, in eas Regiones penetrante, præclarissimo Alexio de Menezes) in convertendis ad veram Fidem Indis, atque Persis. Quod propterea animadvertimus, ne alucinatio circa illos Episcopos suboriatur aliqua; ne etiam eximii nostri Ordinis Viri promerito elogio fraudentur.

Laudatis Episcopis, in Sede Meliaporensi successit F. Paulus de Stella. Vi-

(a) Antiquissima hæc Calamina aut Meliapor, Urbs D. Thomæ nuncupata, Lusitanis erepta est, atque Regi Mogolis Mahometano subjecta; quam paucissimi Christiani Lusitani incolunt; in depressiori autem monte S. Thomæ Ecclesia extat Patrum Soc. Jesu; in eminentiori vero Ecclesia alia non inelegans, uno tantum æditiuo.

Digitized by Google

Vita functo Paulo, designatus fuit pro illo Episcopatu D. Gaspar de Alfonso Soc. Jesu, cujus Episcopatus literæ Apostolicæ exaratæ fuerunt in Urbe die 19. Novembris anni 1691.

Gaspari Successor datus est D. Franciscus Laines:

Post Franciscum obtinuit Ecclesiam Meliaporensem Emmanuel Sanchez Goulan Ægitaniensis Diœcesis, cui ex Urbe, die 8. Junii anni 1718. expeditæ fuerunt Apostolicæ literæ.

Anno 1721 vacavit Sedes Meliaporensis, cujus Episcopatus designatus fuit Gubernator P. Antonius a Plagis, qui dementia captus obiit anno circiter 1721. Erat autem Ordinis Minorum observantium alumnus.

E vita sublatis Emmanuele & Antonio, nominatus fuit in Præsulem Meliaporensem Iosephus Pinheiro, ejusdem Ægitaniensis Diœcesis, atque ex Urbe collatæ literæ Apostolicæ die 21. Februarii anni 1725. qui obiit anno circiter 1744.

Anno circiter 1744. suffectus est è nostra Augustinensi Familia Ludovicus a Conceptione Ulyssiponensis, ex Congregatione Excalceatorum Lusitana

EMME-

Digitized by Google

ΕΜΜΕΛΕΙΑ

Et Consensio Diamperitanæ Synodi cum posterioribus Apostolicis Constitutionibus, circa Disciplinam, & Ritus Malabarenses.

Tsi Disciplina Ecclesiastica, pro multiplicitate varietateque Ecclesiarum, multiplex atque varia, immotis tamen Fidei dogmatibus, habita semper fuerit; veruntamen posteaquam Alexius Menessius, Malabarenses antiquos Christianos, eorumque Chaldaicam Schismaticam Ecclesiam, coacta nostra Synodo, ad indivisam Fidei unitatem, unionem præterea atque obedientiam Ecclesiæ Romanæ adduxit, usque ad præsentia tempora; tanta tamque mirabilis concinnitas, & consensio; quam jure εμμελειαν nominamus; inter Decreta Diamperitanæ Synodi, & nuperas posteriores sanctiones Apostolicas, observata est, in expediendis complanandisque difficultatibus subortis circa ritus, & ceremonias Malabarensium; ut Viri docti atque eruditi omnes in eam sententiam concesserint; nostram nimirum Synodum (quo majori in pretio habeatur) posterioribus Summorum Pontificum Decretis, quodam illorum rudimentum delineasse, iisdemque mirum in modum prolusisse.

Enim vero cum Carolus Tournonius ex commissione Clementis XI., ut nihil dicamus de aliis Pontificibus, præsertim Alexandro VII. quibus à tempore, quo celebrata fuit Synodus, usque ad ævum laudati Clementis XI. maxime cordi fuit, Indorum ritus ab ethnica superstitione perpurgare; die 23. Junii anni 1704. Sanctionem illam celebratissimam Pondicherii ediderit, qua ritibus formam, modum, limites etiam accurate præscribebat; variæ illico subortæ sunt, circa ipsius sensa dubietates; ex dubietatibus insuper, ut est frequentissimum, & disceptandi pruitus, æstus atque contentiones. Quibus opportune ut principiis obstaret, neque mala invalescerent, die 7. Januarii anni 1706. jussit ipse Clemens F. Joanni Damasceno Minorum Conventualium S. Francisci alumno, ac in Urbe S. Officii Consultori, ut ea, quæ de ritibus Malabarensibus actitata fuerant, in unum perdiligenter colligeret. Paulo etiam ante mortem, id muneris Eximio

Viro Prospero de Lambertinis, nunc Summo Pontifici fel. reg. commisit, ut omnia illa suis locis restitueret, ac pro ejusdem eruditione, atque clarissima scribendi methodo, in summam redigeret. Innocentius etiam XIII. qui Clementi suffectus est, inter lectissimos aliquos Viros, quos ad id negotium delegit, eumdem Prosperum, speciali benevolentia adscivit. Quo item vita functo, Benedictus XIII. cujus memoria in benedictione est, finem rebus imposuit, atque suis Literis in forma Brevis; *Ad aures nostras*, anno 1727. emanatis, Turnonii decreta confirmavit. Novis autem post eam Constitutionem exortis, iterumque auditis dubitantium momentis, Clemens XII. die 24. Augusti anni 1734. Apostolicas eas literas *Compertum*, dedit; cumque iis omnes morem gessissent, editum Breve universi Missionarii Orientis subscripserunt; ceterum illud quod cuncti sua subscriptione signaverant, cum sincera observantia non omnes comprobassent, novam edixit Constitutionem, *Concredita nobis*, die 13. Maii anni 1739. qua cunctis strictissima injungitur obedientia, atque juramenti formula, cum pro Missionariis, tum pro Episcopis, conceptis verbis, quo amplius tergiversari non liceat, accuratissima exaratur; quæ omnia sub gravissimis pœnis atque censuris, contra obluctantes quoslibet muniebantur. Utque caverentur solennissime cuncta, Missionariorum Regularium Generales Præfectos, ut ejusmodi literas ad suos mittant, earum publicationem curent atque urgeant, juramenti etiam *præstiti ad* amussim illius formulæ exemplar exigant, tota animi contentione adstringit. Cum vero Clemens XII. fatis concessisset; atque laudatus Prosper de Lambertinis Cardinalis amplissimus, e Bononiensi, ad primam Ecclesiæ Universalis Sedem, ingenti Bonorum atque Literatorum omnium applausu evectus fuisset, sub nomine BENEDICTI XIV. novam ab eo, quippe illis rebus instructissimo, totius negotii & ampliorem expositionem, Missionarii illi postulaverunt; atque tria in iis potissimum expetebant. Primum nempe, ut juramenti atque censurarum fulminatam vim averteret. Alterum prorogaretur dispensatio, super omissione Sacramentalium, insufflationibus *nimirum*, saliva aliisque in conferendo Baptismate. Tandem ut *majorem lucem* atque explicationem, circa modum erudiendi assistendique Parreis, ceterisque generis ignobilioris Indis admoveret, & adjiceret. Enim vero summus hic, prudentissimus atque piissimus Universalis Doctor atque Pastor, quæ tre res difficillime coeunt, rerum gerendarum peritiam, religionis sinceritatem, propositi etiam constantiam, felicissime adhibens, Sanctuarii Lance nunquam fallaci cuncta pensitans, appositissimam illam Constitutionem edidit; *Omnium sollicitudinum* die 12. Septembris anni 1744. suique Pontificatus V. in qua, principio juramentum servari jubet, & censuras confirmat; concedit prorogationem circa omissionem Sacramentalium ad decennium; certis tamen in casibus, in quibus aliter fieri non possit; jubet præterea, ut eos Malabarenses, qui in hac materia perperam opinentur, ad Baptismum suscipiendum non admittant, & quod interea eos instruant atque perdoceant:

Digitized by Google

ceant: spem demum ulterioris prorogationis omnino tollit. Quoad ultimum punctum, deputari jubet certum Missionariorum numerum, qui Parreis in ipsorum etiam casis assistant. Et quidem præterea de istius implemento Decreti doceri vult intra quinquennium, quantum ad Parreas; quod vero attinet ad Sacramentalium adhibitionem, certum nuntium intra decennium, deferri præcipit; secus alios Missionarios se missurum in Indiam, refractarios illos in Europam evocaturum, omnibus facultatibus expoliatos præmonet atque minitatur. Conqueritur deinde, quod posthabitis antiquis Decretis, plura vigeant inter illos Christianos superstitiosa uti est, gestatio Taly aut monilis nuptialis; fractio Cocci atque exclusio aut non admissio feminarum intra Ecclesiam, cum mensium profluvio detinentur. Injungit denuo eorum Decretorum observantiam, hortatur ad id Episcopos & Missionarios; clausulas tandem efficacissimas nec eludendas apponens, finem laudatæ Constitutioni imponit. Et hæc totius rei summa; Constitutionem autem hanc infra apponimus quo omnia probe teneantur.

His in antecessum prælibatis, expeditior fiet via assequendi percipiendique dilucidius, consensionem Synodi cum posterioribus Constitutionibus, quam promissimus, quamque Patres Augustinenses Congregationis Persicæ, auctore P. Constantino ab Spiritu Sancto, singularis pietatis zelique Viro, nuper in Urbe defuncto, aliquomodo tentarunt.

Igitur quod primum in Decreto Tournonii præscribebatur, nimirum quod in baptizandis tam infantibus, quam adultis, nullo pacto Sacramentalia omitterentur; id quidem prohibuerat nostra Diamperitana Synodus *Act.* 4. *De Baptismo Decr.* 14. ubi præcepit in virtute Spiritus Sancti, ut omnes Cassanarii, & Vicarii aut Parochi, hujusmodi conficerent Sacramentum, cum ritibus, ceremoniis, exorcismis, & precibus, quæ in Rituali Romano continentur. Cui rei ante proluserat *Act.* 3. *Dec.* 21. exponens, Synodum omnino optare, quod auferantur omnes & quicumque abusus, & consuetudines, quæ Decretis Tridentinæ Synodi adversarentur; hæc tamen *Sess.* 7. *De Sacram. in genere Can.* 13. hæc habet: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato, a Ministris pro libito omitti posse &c. anathema sit*. Unde unum idemque stabilitum esse circa Sacramentalium omissionem utrobique, manifestissime apparet.

Secundo statuit Cardinalis Tournonius, ne baptizandis imponantur nomina alia, quam ea quæ in Romano Martyrologio recensentur, nec falsæ Religionis aut Idolorum nominibus utantur. Hoc vero caverat Diamperitana Synodus *Act.* 4. *De Baptismo Decr.* 16. & 17. ubi ait, quod cum in illa Diœcesi, imponerentur Baptizandis, non modo nomina Sanctorum Veteris Legis, verum etiam alia Indigenarum propria, nempe Ethnicorum, ita ut perpauci essent, qui nominibus Sanctorum novæ Christi Legis insignirentur; id circo præcipit, ut Cassanarii nomina in Baptismo imponant illis a Sanctis Legis gratiæ desumta,

ta, & potissimum Apostolorum eorumve, qui in Ecclesia celebriores habentur.

Tertium Decretum, Evangelicos monet Operarios, ut tempus Parentibus præscribant, quo filios ad Ecclesiam deferant baptizandos; eo quod Parentum injuria, diu illis Baptismus protrahebatur. Synodus autem nostra idem præcepit; tempusque præfinivit *Act. 4. De Baptismo. Decr.5.* cum enim, ait, maxima Christianorum Diœcesis incuria, non adducantur parvuli sacro fonte expiandi infra octo dies ab eorum nativitate, juxta consuetudinem Ecclesiæ, præsertim eorum, qui Colonias aut pagos vulgo *Bazares* incolunt, quorum plurimi post multos menses, immo & annos Sacramentum illud suscipiunt; propterea stricte præcipere, ut omnes parvulos, octavo die ab eorum nativitate, sacra unda abluantur, juxta morem Ecclesiæ universalis, si ante hoc tempus vitæ discrimen non immineat.

Decrevit 4. idem Cardinalis, quod infantes sex vel septem annorum aut etiam inferioris ætatis, indissolubile Matrimonium non contraherent per Taly impositionem. Id quod prohibuerat Diamperitana Synodus, quamquam suppresso nomine *Taly*; etenim ait *Act. 7. de Matrim. Dec.1.* quod justis de causis, & quo aptius Christianorum conscientiis consuleret, utque longius propulsaretur nuptialium Ethnicorum rituum imitatio, qui matrimonium contrahere *parvulis* permittunt; propterea præcipere quod nullus Matrimonio *jungatur* Vir, qui ætatis annos quatuordecim; sin autem femina *fuerit*, annos duodecim ætatis, non exegerint. Decreto item 12. *ejusdem Actionis*, prohibet Synodus, Matrimonium contrahere, ducto filo seu funiculo quodam (qui eadem laborabat superstitione ac Taly, collo appenso) ab sponsæ jugulo. Declarat etiam Synodus matrimonia sic contracta, talia re vera non esse, sed merum concubinatum.

Jusserat 5. loco Cardinalis Tournon Missionariis, ut ceremonias qualescumque superstitiosas, atque Ethnicorum ritus in Christianorum nuptiis, Gentilium more adhiberi solitos, perquam diligenter vitarent, cum ea omnia noxia gentilitatis labe tenerentur; præcipue fractio fructus, vulgo *Coco*, ex cujus fractione signum sibi prosperitatis vel infortunii contracti Matrimonii spondebant; circuli etiam super sponsos descripti & alia hujusmodi. Nostra vero Synodo *Act.7. & Matrim Decr.14.* scripserat; quod cum Christianos non deceat, ceremoniis uti superstitiosis, e quibus fortunatos sibi eventus incassum polliceantur; compertum etiam fuerit Synodo, alios pravos Christianos, Gentilium Sectatores, ipsos Gentiles aliosque superstitiosos Cassanarios adire, ut sibi faustos nefastosque dies, & horas, pro contrahendis nuptiis, prænunciarent; hæc omnia diris omnibus devovet atque prohibet.

Decrevit 6. idem Tournonius, ne feminis fluxu mestruo laborantibus, aditus Ecclesiæ intercluderetur, aut accessus ad Sacramentum Pœnitentiæ; quodque purificationis tempus, ad ea præstanda non opperiretur. Et hæc quidem implicite prohibuit Synodus, statuens,

ne

Digitized by Google

ne mulieres ab Ecclesiæ ingressu arcerentur per 40. aut 80. dies a puerperio; & *Actio* 9. *De Reformatione Decr.* 5. habet, quod Populus Christianus, non modo Ethnicas, verum etiam Judaicas ceremonias, ubique jam latissime Christi fide promulgata, cavere debet, atque reiicere; quamobrem, licet Synodus laudet, & summopere commendet, laudabilem consuetudinem, qua Matres liberos suos in Templum asportant, offerendos Domino, 40. a puerperio diebus exactis, in honorem ac imitationem Sacratissimæ Deiparæ, quæ non aliter Filum suum hostiam Deo Patri, pro nobis in Templo obtulit; improbat tamen quam maxime, quod Mulieres, pro 40. dies si masculum, per 80. vero si feminam pepererint, remotæ ab aliis degant, aut veluti turpes reputentur, nec audeant in Ecclesiam convenire.

Septimum instituit Decretum laudatus Cardinalis, ne Missionarii Sacramenta denegarent ægrotis, abjectioris stirpis, aut *Castæ*, quos Parreas nominant, nec ab ingressu casarum, in quibus habitant absisterent. Synodus autem id præscripserat *Act.* 6. *De Sacram. Pœnit. Decr.* 4. ubi habet, Parochis omnino id muneris impositum esse, nempe de suis ægrotantibus Paræcis diligenter inquirere, eorum Confessionem excipere, vel per semetipsos, vel per alios a se deputatos; idque quocumque ad hoc tempore vocentur, ut ita nullus absque Pœnitentiæ Sacramento e vita excedat. *Actio. item* 3. *De Reform. Dec.* 2. inter superstitiosa collocat, contactum abjectorum hominum vitare, aut cum illis non communicare; cui rei certos etiam limites constituerat *Actio* 8. *Decr.* 36. quo Lectores remittimus.

In 8. Tournonii Decreto prohibetur Christianis, qui rei musicæ vacant, in Idolorum superstitiosis solennitatibus, tibiis aliisque musicis instrumentis ludere, cum in hoc cultum & honorem Dæmoni exhibere videantur. Id quod Synodus Diamperitana *Action.* 9. *Decr.* 4. generatim interdixerat, præcipiendo cunctis, ut non modo solennitati dictæ *Ona* nullatenus adessent, verum etiam quam longissime ab aliis Ethnicorum festis absisterent; nec eorum alicui celebritati applauderent; etiamsi in illis nullus Idolis cultus adhibeatur aut Pagodis; cum omnes prædictæ solennitates in ipsorum Pagodum aut Idolorum cultum (etiamsi earum superstitione carere videantur) plane ferantur.

Statuit 9. Tournonius atque declaravit, Constitutionem Apostolicam Gregorii XV. super lavacris apud eas gentes frequentibus, æque ac reliquos, Missionarios etiam Evangelicos afficere atque comprehendere; prohibuit etiam usum cineris, e vacino stercore confecti. Parochis deinde atque Missionariis præcepit, ut nullo obtentu, Sacræ vivificæ Crucis, rerumque sacrarum nomina, item Sanctorum, in aliud Idioma transferre, exceptis Latino aut etiam Indico. Prohibuit etiam, Virginis menstrui prostravii primordia celebrare, aut hujus signa propinquis & amicis nota facere. Et quamquam de iis Synodus Diamperitana nullum verbum habeat, eatenus id accidisse putandum est, vel quia tunc temporis apud Malabaricas gentes ea nota non essent superstionis genera,

nera, vel etiam fortasse quod in desuetudinem abierint, aut emendatione fuerint expulsa. Vix enim percipi potest, quod Synodus earum rerum correptionem prætermisserit, aut silentio involutas reliquerit, si eo tempore apud illos homines superstitiosos viguissent.

Ultimo tandem in loco, prohibet Tournonius sub pœna excommunicationis, legere vel retinere libros falsæ religionis, auguriorum, aut libidinis argumentum continentes. Synodus autem id multis egerat *Acti. 3. Decr. 14. & 15.* in quibus pensiculatius ejusmodi libros recenset, eorumque retentionem, & lectionem prohibet.

Quod si animum oculosque vertimus ad nuperam SS. D. N. Constitutionem: *Omnium sollicitudinum*, ejusque Decreta circa Parreas, adamussim respondet Diamperitana Synodus; cum particulares Parochos atque Ecclesias deputando pro solis Parreis aut abjecti generis hominibus; tum etiam tolerando ejusmodi superstitiosam contactus fugam, dum aptiora media non suppetant; quorum primum præstat *Act. 8. Dec. 36.* Alterum *Acti 9. Dec. 2.* Quodque magis est: hæc tolerantia permittitur, dummodo illi ea non laborent opinatione, *quod* nempe res istæ ad religionem pertineant; quibus sub conceptis verbis BENEDICTUS XIV. omissionem rituum tolerat. Quia tamen *ista*, sat, ut putamus, erunt, ut ex iis mira, quam dicebamus, *concinnitas* & consensio inter Synodum nostram Diamperitanam, & *posteriores* Apostolicæ Sedis Constitutiones, luculentissime appareat, *ab iis* amplius urgendis, calamum subducimus; novissimam autem Constitutionem Summi Pontificis fel. reg. oculis subiicimus.

Procemium.

„ BENEDICTUS Episcopus servus servorum Dei
„ ad perpetuam rei memoriam. Omnium sollicitudi-
„ num, quæ demandatum Nobis, Divino prorsus consi-
„ lio, nulloque merito nostro, supremi, universalisque
„ Pastoris munus gravissimum præter modum, formi-
„ dandumque constituunt, potissima sane, quæque ma-
„ gis animum nostrum exstimulat, *Nosque perpetuo*
„ trepidantes, & anxios habet, *ea est, ut concreditum*
„ Nobis Fidei depositum, *integrum, illibatumque* ser-
„ vemus; ideoque omne *studium nostrum*, operamque
„ in id conferamus, ut late diffluentes super faciem Ter-
„ ræ Cœlestis doctrinæ latices nullo aut corruptelæ luto,
„ aut erroris inficiantur veneno, dumque Evangelica
„ lux undequaque diffunditur, nulla forte Gentilitatis
„ superstitione obumbretur; atque ut ii, quos e potesta-
„ te tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis
„ vectibus, in admirabile lumen suum vocavit miseri-
„ cors Deus, in spemque evexit æternæ salutis, & hære-
„ ditatis, corde credentes ad justitiam, operibusque

Pontificis studium pro tuéda Fidei & disciplinæ puritate, & Ecclesiarum cócordia.

„ quod

„ quod credunt comprobantes, & mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, digna se membra exhibentes, „ id ipsum dicant, ut Apostolus exoptabat ardenter, & „ sint perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. „ Hinc cum primum Altissimo placuit humilitatem nostram ad summi Apostolatus apicem evehere, nulli „ unquam labori parcere decrevimus, quem non solum „ ad propagandam in omnem Terram Fidei, & salutis „ scientiam, sed etiam ad unitatem spiritus, & doctrinæ „ inter Fideles ubique fovendam, & confirmandam, „ vel, sicubi opus esset, reconciliandam, & stabiliendam, opitulante Deo, proficuum, & necessarium „ fore deprehenderemus.

Refert dissensiones super observantia variorum Rituum in Missionibus Indiarum obortas.

„ Verum quum eam ob causam ad extremas usque „ Orbis Terræ Plagas mentis nostræ obtutus dirigeremus, eosque peculiariter figeremus in novella illa germina Christianitatis, quæ Divina irrorante gratia, in „ novis Ecclesiis Regnorum Madurensis, Mayssurensis, „ & Carnatensis dudum pullularunt, non parvam Nobis „ inde laborum, atque curarum materiam allatum iri „ verebamur, dum animo recenseremus quantum, & „ quamdiu Apostolica Prædecessorum Nostrum desudasset industria, ut ex recens coalescentibus prædictorum Regnorum Ecclesiis, vanarum observationum, „ rituumque a Christiana Religione abhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controversias inter sacros ipsos Regionum illarum Operarios in „ re tam gravi exortas, & quod magis dolendum erat, „ inimici hominis opera, nostris adhuc temporibus perstantes, componerent, atque eliminarent. Attamen „ fiduciam nostram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter, suaviterque inflectit; potissimum vero quum, delatis ad Nos argumentis filialis obedientiæ, qua plerique illarum Partium Missionarii suprema hujus Apostolicæ Sedis Decreta se excipere professi sunt, Nobis expositum fuit, „ ad omnes demum iis de rebus controversias sedandas, „ ac prædictarum Ecclesiarum statum componendum, „ atque firmandum, nil aliud jam reliquum esse, quam „ ut ad nonnulla postulata, quæ ex parte aliquorum „ Operariorum hujusmodi Nobis proponebantur, con-

Quas per præsentium publicationem extinguendas, esse non sine causa confidit.

„ gruæ resolutiones, & responsiones Apostolica auctoritate prodirent: magnam in spem erecti sumus, fore ut, sublatis per opportuna rescripta propositis dubitationibus, ac finitivis demum nostris, & hujus Apostolicæ Sedis mandatis, atque præceptis editis, ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis, molestisque dissensionibus, quæ Prædicationis Evangelicæ in prædictis Regnis olim disseminatæ fructum late inficientes, ipsasque novarum Ecclesiarum soboles vehementi discordiarum turbine agitantes, eo rem adduxerant, ut tot Verbi Dei præcones eximii sine causa adhuc laborasse, largosque sudores, & sanguinem ipsum frustra effudisse viderentur.

Appulsus bonæ. Card. de Tournon Commissar. Apostol. ad Indias Orientales.

„ Ut enim multa prætereamus, quæ retroactis temporibus hac in re acciderunt: graviores, quas innuimus, controversiæ hoc ipso ineunte sæculo eruperunt, seu potius renovatæ fuerunt: quum *a felic. record.* Prædecessore Nostro Clemente *Papa XI.* missus, ad Oram Coromandeli appulit *bon. mem.* Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus *cum* potestate Legati à Latere in Indiis Orientalibus Commissarius, & Visitator Apostolicus, deinde hujus S. R. E. Cardinalis Turnonius nuncupatus. Is enim, eo cum appulisset, ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab aliquibus Missionariis observabantur, vel permittebantur, ab aliis vero tamquam Christianæ pietatis spiritui minime conformes reiiciebantur, unde discordiarum, & funestissimarum disputationum semina, exploratis, ea, qua par erat diligentia, factis, & circumstantiis, e re *Christiana esse*, suique Officii partes exigere *judicavit*, *plures hujusmodi* cæremonias gravi interdicto proscribere, atque damnare, latoque Edicto, seu Decreto certam Missionariis normam præscribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti servarent, ut Divini Verbi semen, præcisis lolio, & vepribus, altas agere radices, & felicissime posset propagari. Quod quidem a se editum Decretum à Missionum illarum Provincialibus & Superioribus sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, a ceteris vero Subditis Missionariis, sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ, in-

Ejusdem judicium, & Decretum super Ritibus Malabaricis.

„ vio-

„ violabiliter observari, & executioni mandari præce-
„ pit, donec aliter Apostolica Sedes provideret. Exem-
„ plum autem Decreti ejusmodi est, videlicet.

Tenor Decreti ab eo editi Pudicheriis die 23. Junii 1704.

Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctissimi D. N. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Prælatus Domesticus, ejus Pontificio Solio Assistens, necnon Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem Consultor, ac in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finitimisque Insulis Commissarius, & Visitator Apostolicus cum facultate Legati de Latere &c.

Proœmium.

Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apostolici Visitatoris munere, nobis licet tanto oneri imparibus, injunctio, ea sane est præcipua, cum nos huc missos esse confideramus ad expurgandum Dominicum agrum a zizaniis novella Christi germina suffocantibus, & de alienis peccatis rationem esse reddituros, qui æternam Dei ultionem pro nostris nunquam satis expiandis jure formidamus: Quamobrem statim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis nostræ oculos per vastissimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum, Missionum necessitates undique inquirere curavimus, ut iisdem pro viribus de opportuno remedio prospiceremus. Et quidem merito inter primas nostræ sollicitudini occurrerunt novæ Domini vineæ in Regnis Madurensi, & Maysfur, recentiusque Carnatensi iisdem fere legibus, parique labore ab Evangelicis Societatis Jesu Operariis Lusitanis, & Gallis plantatæ, ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium persecutiones, ac inter tot vitæ asperitates virentes germinant Evangelii palmites, assiduis Missionariorum sudoribus irrigati; illuc sane fuissemus, non minus laboris, quam gaudii in Christo Jesu participes esse vehementer cupientes, nisi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuisset. Quod autem per nos ipsos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos, & S. Sedem Apostolicam obsequium à Patribus Venantio Bouchet Carnatensis Missionis Superiore, & Carolo Michaele Bartoldo Madurense Missionario, viris doctrina, & propagandæ Fidei zelo præstantibus, opportune suppeditavit. Enim vero cum ab illis in moribus, lingua, & Religione istarum Regionum ex longa in his vitæ consuetudine apprime versatis, plura certius cognoveri-

mus, quæ eosdem palmites enerves reddant, & fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhæreant, quam viti, quæ est Christus; in multo experimento tribulationis abundantia gaudii nostri fuit. Rebus itaque maturo examini suppositis, dictisque Patribus oretenus, ac in scriptis fuse auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, spiritualique Christianorum proventui salubriter in Domino consulamus, utque fiat oblatio Gentilium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto, ad præsens Decretum auctoritate Apostolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

Referuntur causæ edendi Decretum hujusmodi, in quo statuit, ut infra.

Et a Sacramentorum administratione exordium sumentes, districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis cujuscumque sexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter saliva, sal, & insufflatio, quæ ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, ac ob recondita in his sacris cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis mysteria, sancte, & inviolabiliter custodivit; Decreta Sanctæ Universalis Romanæ Inquisitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diversas rationes, & circumstantias, minime obstante.

I. de Baptismo. Quod in eo administrando non omittantur Sacramentalia.

Item præcipimus, ut juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem semper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus Idolorum, vel falsæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenus appellari consueverant; antequam essent per Baptismum Divinæ Gratiæ renati. Nec Parochis, seu Missionariis sub quovis prætextu liceat, Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per translata immutare, nec ea alio idiomate explicare, nisi Latino, vel saltem Indico, quatenus voces Indicæ Regionis latinæ significationi liquido, & ad amussim respondeant.

Quod Baptizato imponatur nomen alicujus Sancti.

Et generaliter nomina rerum Sacrarum non deprauentur.

Et quia audivimus, Baptismum Infantium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria sæpe diu protrahi, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præfigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

Quod collatio Baptismi Infantibus nō protrahatur.

Præ-

II. Matrimonia non contrahantur ante pubertatem.

Præterea cum moris hujus regionis sit, ut Infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de præsenti contrahant per impositionem Tally, seu aureæ tesseræ nuptialis, uxoris collo pensilis, Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant, nec Sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ, juxta formam a Sacro Concilio Tridentino præscriptam, verum, & Canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Tally præsefert imaginem, licet informem Pulleyaris *sive* Pyllajaris *Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi: Cumque dedeceat Christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus, ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Tally, vel Sanctissimæ Crucis, vel Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatissimæ Virginis, vel alia quavis religiosa Imagine ornato: Et cum superstitione non careat funiculus centum, & octo filis compositus, & croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt; prohibemus etiam dictorum Filorum numerum, & unctionem.*

Prohibetur Mulieribus usus Tally ad instar Gentilium.

Et funiculi 108. filorum.

Cæremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non posset, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant, & difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero ut faciliori conversionum viæ & Neophytorum commodo, quantum fieri potest in Domino indulgeamus, Missionariis, & præcipue Missionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo superstitiosa omnia a dictis cæremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem offendat, & Gentilium superstitionem redoleat, & signanter præter eas, quas audivimus jam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Arescionara omnino auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi præscripta qualitas, varietur: Circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia, omittantur; Et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum & prohibitum

Nuptiarum Ritus ab omni superstitione expurgentur.

Digitized by Google

Fructus, vulgo *Cocco* non frangatur ad capienda auspicia.

bitum intelligatur; fructus etiam vulgo dictus Cocco, *ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis reiiciatur, vel, saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, & extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt alieni.*

III. Mulieres non arceantur a Sacramentis ex causa menstruæ purgationis.

Nullus rite, & sufficienter dispositus arceatur a Sacramento pœnitentiæ, ad peccatorum remissionem, tanquam instrumento divinæ Misericordiæ, a Christo Domino instituto, & signanter mulieres menstruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium, cum hæc Sacramentalis vera animæ purificatio, & non alia, sit attendenda a Christi fidelibus, eorumque Pastoribus, quibus præterea non liceat nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore.

Damnatur festiva gratulatio super prima purgatione Puellis contingente.

Dedecet etiam Christianæ Virginis honestatem prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, ac inverecunde publicare, iisque, Ethnicorum more, & ritu, in ejus domum collectis, super re tam sordida festum instituere; Quocirca hujusmodi celebritates, & ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, & abolemus; Missionariisque injungimus, ut non solum eas, verum etiam Genitores moneant, quam dissona sit Virginei pudoris legibus hujusmodi obscæna consuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta; ut ita labefactata puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

IV. Quod *Pareis* omne præstetur spirituale subsidium etiam in ipsorum domibus.

Ferre pariter non possumus, quod a Medicis spiritualibus pro animarum salute ea charitatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles, nobilis etiam generis, seu Castæ, pro corporis salute præstare non dedignantur Infirmis etiam abjectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Pareas. *Quapropter districte mandamus Missionariis, ut quantum in ipsis erit, nemini e Christianis ægrotis, quantumvis* Pareas, *& vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii; & ne ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitæ temporalis periculo, æternæ consulere cogantur, iisdem Missionariis præcipimus,*

Digitized by Google

pimus, ne infirmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitæ discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, absque personarum, aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic Christianæ pietatis officio contrariam.

V. Christiani Tibicines, aliique artis Musicæ Professores operam non præstent in Idolorum Pagodis, & festivitatibus.

Non sine maximo animi nostri mœrore accepimus etiam, Christianos tympanorum pulsatores, Tibicines, aut alterius cujuscumque musici instrumenti sonatores ad Idolorum festivitates, & sacrificia accersiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractæ per hujusmodi artis exercitium, nec facile esse Missionariis eos ab hoc detestabili abusu avertere: quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si hujusmodi Christifideles a Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne imposterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut canere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire; Ideoque Missionarii non solum eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, & publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint.

VI. Quod Constitutio Gregorii XV. circa lavacra, & ablutiones cõprehendat etiam Missionarios.

Declaramus præterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem -- Romanæ Sedis Antistes - ad petitionem Patrum Societatis Jesu editam, qua indigenis Christifidelibus lavacra non alia occasione, & fine, quam corporis reficiendi, & a naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus a Gentilibus adhiberi solent, æque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa, & fine, etiam ad effectum, ut existimentur Sanias, seu Brachmanes, præ cæteris dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti, præsertim statutis eorum horis, & ante vel immediate post quamcumque sacram functionem.

Cine-

Digitized by Google

VII. Prohibetur usus Cinerum; præter modum, & tempus ab Ecclesia receptum, & omnia signa superstitiosa damnantur.

Cineres itidem ex Vaccæ stercore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitæ impingere, sive alia quæcumque signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis Corporis parte utuntur, deferre prohibemus; Mandantes, ut Sanctæ Ecclesiæ consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce signandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur tempore, ac modo ab Ecclesia præscripto, scilicet feria quarta Cinerum, & non alias.

VIII. Quid servandum sit circa librorum Gentilium usum.

Et demum quia ex librorum de falsa religione, & de rebus obscœnis, superstitiosisque tractantium lectura venenum ut plurimum serpere solet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac studium Missionariorum, qui libros sacram Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, pro Indorum Christifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo, & institutione composuerunt; iisdem Christifidelibus expresse interdicimus fabulosos Gentilium libros, eosque legere, & retinere prohibemus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habita licentia Parochi, seu Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem super hoc dispensandi, & libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

Mandat hoc Decretũ publicari & observari, donec aliud fuerit a S. Sede provisum, sub pœnis &c.

Ea igitur universa, & singula authoritate Apostolica, & tenore prædictis damnamus, ac districtiori, quo possumus, modo prohibemus, Mandantes Patri Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæterisque Superioribus Societatis Jesu in Indiis Orientalibus, ut hoc nostrum Decretum notificent singulis Missionariis, sive aliis quibuscumque curam animarum exercentibus sibi subjectis, illudque perpetuo, & inviolabiliter exequi faciant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ quoad Provinciales, & Superiores, & suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ quoad Subditos contrafacientes, seu aliter permittentes. Atque ita decernimus, & mandamus in omnibus, donec aliud

Digitized by Google

aliud fuerit ab Apostolica Sede, vel a Nobis ejusdem authoritate provisum, inviolabiliter servari, non obstantibus quibuscumque.

Et ne ex his, quæ expresse præcepta, vel prohibita a Nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari solitis in istis Missionibus, nostrum assensum, seu approbationem; (cum plura forsan reformatione digna nostram cognitionem effugerint, & alia maturius examen postulantia indecisa remanserint); hanc interpretationem omnino reiicimus, & menti nostræ esse contrariam declaramus. Volumus autem justis de causis, ut hoc nostrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur post illius traditionem a nostro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis Jesu in Indiis, cui propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ onus injungimus, quatuor similia exemplaria transmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Malabaricæ ac ad Patres Superiores Missionum Madurensis, & Mayssur, & Carnatensis, quibus post bimestre, & reliquis Missionariis post trimestre a die consignationis faciendæ dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur. Datum Pudicherii in Sancta Visitatione Apostolica hac die 23. Junii 1704., & publicatum die 8. Julii ejusdem anni 1704. per traditionem factam coram Illustrissimo, & Reverendissimo Domino per me Cancellarium infrascriptum Rev. Patri Guidoni Tachard Patrum Gallorum Societatis Jesu in Indiis Orientalibus Superiori, præsentibus RR. Patribus Francisco Laines, Superiore Missionis Madurensis, ac Venantio Bouchet Superiore Missionis Carnatensis.

Declarat, quod per Decretum hujusmodi non intendit approbare alia, si quæ sint, reformatione digna.

Præscribit publicationis formam, ejusdemq; servatæ effectum

Dat. 23. Junii, & publicat. 8. Julii 1704.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Visitator Apostolicus.

Andreas Candela S. Visitationis Apostolicæ Cancellarius.

„Quoniam autem de re maxima, eaque gravissi-
„ ma agebatur, idem Antiochenus Patriarcha Literis
„ suis totam rei gestæ seriem Apostolicæ Sedi exactissime
„ renuntiavit, latumque ab se Decretum supremo illius
„ judicio subjecit. Quibus ad Urbem allatis Literis,
„ idem Prædecessor Noster Clemens Papa XI. supradi-
„ ctum Vicarii Apostolici Decretum rite perpensum, at-

Relatum Decretum confirmatur a Clemente XI. P.M. cũ clausula *donec* &c.

„ que etiam in Congregatione S. Officii diligenti exa-
„ mini subjectum, in omnibus servandum, & exequen-
„ dum esse statuit, ea tamen addita clausula „ *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint.* „ Ea Pontificis
„ in Congregatione Sancti Officii resolutio sequentis est
„ tenoris, videlicet:

Feria v. Die vii. Januarii 1706.

Tenor resolutionis ejusdem in Congregatione S. Officii die 7. Januar. 1706.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano, coram Sanctissimo D. N. D. Clemente divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Idem Sanctissimus Dominus Noster relato tenore Decreti, editi Pudicherii die 23. Junii 1704. a D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno Commissario, & Visitatore Apostolico in Imperio Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon literarum inde scriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempe die 9. Julii dicti anni 1704. ad præfatos Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales, ac die 10. ejusdem mensis ad R. D. P. Assessorem, diserte super iisdem de more loquutus fuit. Auditis deinde Votis præfatorum DD. Cardinalium dixit, rescribendum esse D. Patriarchæ, commendando illius prudentiam, ac zelum, & quod exacte observari debeant ea omnia, quæ in Decreto supradicto fuerunt ab ipso præscripta, donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint.

Commendat zelum & prudentiam Cardinalis de Tournon pro Decreto edito, quod ab omnibus observari debeat, donec aliter &c.

Mandat reassumi omnia circa Ritus Malabaricos, etiam nondum expresse damnatos, ad Apostolicam Sedem delata.

Jussit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Consultorem Joannem Damascenum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium reassumantur ea omnia, quæ circa nonnullos ritus, ut asseritur, superstitiosos Christianis Malabaris in Indiis Orientalibus a quibusdam Missionariis, ut prætenditur, permissos, jampridem ad eamdem Apostolicam Sedem delata fuerunt a Fratre Francisco Maria Turonensi Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Cappuccinorum Missionario illarum partium, ad hoc, ut

idem

Digitized by Google

idem P. Consultor de iis, quæ sive a fan. mem. Gregorio XV. in suis literis die xxxi. Januarii 1623. in forma Brevis desuper expeditis, sive ab eodem Domino Patriarcha in suo Decreto prædicto expresse damnata, vel prohibita non fuerint, conficiat Summarium, super quo discuti, ac decerni valeat, quid sit agendum.

Quo vero ad quæstionem de quibusdam Ignobilium, ac infimæ sortis hominibus, qui in eisdem Regionibus vocantur Pareas, *& a Nobilibus tamquam infames, & damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod separatim examinari debeat.*

Quæstionem de *Pareis* separatim examinari jubet.

„ Verum hanc providentiam, uberesque, quos inde „ spes erat proventuros, fructus frustratus est falsus ru- „ mor, qui paucos post annos per Indias increbuit, ip- „ sum nempe Clementem XI. Prædecessorem, & rela- „ tum Patriarchæ Decretum revocavisse, & nonnullas „ ex iis cæremoniis adprobasse, quas ille tamquam super- „ stitiosas, minimeque ferendas proscripserat. Cum fal- „ so rumori cursum intercepturus laudatus Pontifex Cle- „ mens XI., utque omnibus manifesta redderet animi „ sui sensa, atque impugnatoribus Decretorum à Pa- „ triarcha prædicto editorum omne penitus effugium „ adimeret, quo a præstanda eisdem Decretis debita „ obedientia se subtrahere quoquo modo possent, die „ prima Septembris anni MDCCXII. extrahi ex Tabula- „ riis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod „ prædicta die VII. Januarii anni MDCCVI. emanaverat, „ & superius transcriptum est, illudque Episcopo Melia- „ purensi transmitti jussit, ut ex eo, & is probe nosce- „ ret, & aliis etiam Episcopis, & Missionariis earum „ Regionum palam faceret, quid eo usque de Patriarchæ „ Antiocheni Decreto Apostolica Sedes judicasset. Ac „ ne ullo modo Pontificiæ mentis Oraculum in dubium „ posset revocari, Decreti exemplo jungendas, alligan- „ dasque voluit Literas Apostolicas in forma Brevis, ut „ sequitur:

Falsus rumor per Indias spargitur de revocatione Decret. Card. de Tournon.

Cui se opponit Clemens XI., & præmissæ resolutionis exemplum in Indias mittit.

Venerabilis Frater &c. Non sine gravi animi nostri molestia istis in partibus evulgatum fuisse audivimus, quod præscripta in quodam Decreto die 23. Junii 1704. Pudicherii edito a bon. mem. Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinensis Imperii oras transmigraturus accessit, a Nobis re-

Epistola in forma Brevis ab eo scripta Episcopo Meliapuren. die 17. Septembris 1712.

scissa, & abrogata, ac simul cæremoniæ, & Ritus, qui eodem Decreto superstitionis labe infecti declarantur, vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac permissi fuerint. Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti momenti non modo Fraternitati tuæ, verum etiam, te curante, cæteris istarum Partium Antistitibus, ac Missionariis aperte veritas innotescat; tibi conjuncta folia a Notario Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis subscripta, ac ejusdem Inquisitionis signo roborata, mittenda duximus, ex quibus abunde, ac luculenter intelliges, quænam ejusmodi in rebus hactenus fuerit, & adhuc sit nostra mens, donec a Nobis, & Apostolica Sede aliter decernatur. Quod superest, Pastorum Principem enixe rogamus, ut in arduis Pastoralis Officii curis cœlesti ope sua tibi jugiter adesse velit. Et Fraternitati tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Septembris anni 1712. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Cum qua eidem trasmittit exempla authentica cõfirmationis Decreti Cardinalis prædicti.

Congregatio de Propaganda Fide ad Episc. Claud. similiter scribit pro relati Decreti publicatione.

„ Quoniam autem unus, & alter annus elapsus jam „ erat, nec dum constiterat, S. Officii Decretum, Pon- „ tificiasque Literas Meliapurensi Episcopo redditas „ fuisse, idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium nego- „ tiis de Propaganda Fide præpositorum novum Decreti, „ Literarumque exemplum Episcopo Claudiopolitano „ in Cucichensi Provincia Apostolico Vicario die xxiv. „ Julii anni MDCCXIV. transmitti curavit, ipsique Pon- „ tificio nomine mandavit, ut si forte priores Literæ „ deperiissent, aliave de causa Decreti promulgatio se- „ cuta non esset, caveret ipse diligenter, ut posteriores „ saltem Meliapurensi Episcopo juridice redderentur, „ eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præ- „ stare, aut reluctante, aut differente, idem ipse Claudiopolitanus Episcopus Apostolicæ Sedis judicium, „ nulla interposita mora, executioni mandaret.

„ Cum tamen Patriarchæ Antiocheni Visitatoris, & „ Commissarii Decretum confirmatum quidem fuisset, „ sed ea addita reservatione „ - *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint* --„ haud difficilem se præbuit Clemens XI. „ audiendis Missionariis, qui post Decreti confirmatio- „ nem,

Clemens XI. ad instantiam Missionariorũ

„ nem, aliisque temporibus, Romam venerant, eorum-
„ que preces benigne excepit, quibus enixe petebant, ut
„ censurarum, quæ in eo Decreto continebantur, sus-
„ pensionem, unaque simul moderationem, aut ipsius-
„ met Decreti interpretationem concederet: utque res
„ maturius expediretur, auditis jam non semel Missio-
„ nariis prædictis, Nobis in minoribus agentibus, San-
„ ctæque Universalis Inquisitionis Consultoris munus
„ obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitus
„ cognosceremus, atque collectis, quæ ex utraque Par-
„ te afferebantur, rationum momentis, de illa ad S. Of-
„ ficii Congregationem plenissime referremus. Hinc
„ productis, ex una Parte a Decreti impugnatoribus, fa-
„ cti, jurisque non exiguæ molis voluminibus, prodi-
„ tisque antiquis, & recentibus documentis, quibus ve-
„ titas Decreto observantias superstitione vacare, omni-
„ que labe carere conabantur ostendere: exhibitisque ex
„ alia, quæ Decreto favebant, rationibus multiplicibus;
„ plenam inde hausimus causæ totius cognitionem, eo-
„ que res, quod ad Nos attinebat, adducta erat, ut
„ possemus jam de ea exacte referre. Verum Clemen-
„ te XI. vita functo, ejus Successor fel. pariter record.
„ Innocentius Papa XIII. huic causæ cognoscendæ pecu-
„ liarem Congregationem ex lectissimis conflatam Viris
„ non minus integritate, quam prudentia, doctrinaque
„ præstantibus (quos inter Nos etiam, etsi prædictis qua-
„ litatibus minime præditi, adscripti fuimus) deputavit.
„ Qui selecti Viri sæpius, per duos, & amplius annos,
„ inter se convenientes, communicatis consiliis, longa
„ rerum indagine, & exquisita adhibita diligentia, arti-
„ culatim rem totam discusserunt, tam voce, quam
„ scripto iterum, ac sæpius auditis. Cum autem eo res
„ pervenisset, Innocentio XIII. e vivis sublato, ad Petri
„ Cathedram evectus est san. mem. Benedictus Papa XIII.
„ qui eorum omnium, quæ in hac causa gesta fuerant,
„ certior apprime factus, nec minori flagrans desiderio
„ eam ad optatum finem perducendi, supradictam Con-
„ gregationem pro ejusdem causæ recto, expeditoque cur-
„ su ab Innocentio Decessore institutam confirmavit, at-
„ que incœptum examen persequi jussit; eaque non multo
„ post examini finem imposuit.

totam Rituum causam reassum.

Ejusque summam, & relationem confici mandat a R. P. D. de Lambertinis, nunc Summo Pontifice fel. regnante.

Innocentius XIII. deputat Congregationem Particularem.

Cujus deputatio a Benedicto XIII. confirmatur.

Eaque examini finem imponit.

His

Resolutio capta à Benedicto XIII.

„ His ita peractis, idem prælaudatus Pontifex Benedictus XIII., causa ad se avocata, Apostolicas Literas in „ forma Brevis anno MDCCXXVII. exeunte, ad universos Episcopos, & Missionarios Regnorum Madurensis, „ Mayssurensis, & Carnatensis dedit, quibus prædicti „ Caroli Thomæ Cardinalis Turnonii Decretum confirmavit, observandumque præcepit. Literæ sunt hujusmodi, videlicet:

Ejus Epistola in forma Brevis ad Episcopos, & Missionarios dictorum Regnorum data die 12. Decemb. 1727.

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis, Episcopis, & Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad aures nostras pervenit, vocationem Gentium, Ecclesiæque incrementa, propter subortas inter Operarios Evangelicæ Messis controversias, magnis isthic difficultatibus laborare. Quæ quidem eo graviorem Nobis dolorem attulerunt, quo remedia salubriter alias adhibita diutius à nonnullis repudiari intelleximus. Jam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate Legati de latere Apostolicum Visitatorem, deinde hujus S.R.E. Cardinalem, pleraque ad gliscentes lites componendas, explicandasque difficultates sapienter præscripta fuerant, decreto condito Pudicherii in Sacra Visitatione Apostolica die xxiii. mensis Junii anni MDCCIV. die vero octava Julii ejusdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquiescentibus, de mente fel. record. Clementis XI. Prædecessoris nostri diversa opinantibus, & evulgantibus, idem Prædecessor noster, datis ad Ven. fratrem Episcopum Meliapurensem literis die xvii mensis Sept. anni MDCCXII. suam de servandis decretis mentem opportune declaravit. Ut igitur nostræ quoque solicitudinis partes ad controversias avertendas, & salutem gentium concordibus studiis facilius à Vobis procurandam adhibeamus; præsertim ne quis ex silentio nostro detractum aliquid esse suspicetur mandatis, & declarationibus antedictis; laudati Antecessoris nostri vesti-

Refert Decretum Card. de Tournon, & Confirmationem Clementis Papæ XI.

Eaque de novo confirmat.

Digitized by Google

vestigiis inhærentes, decreta ejusdem Patriarchæ Antiocheni nostra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam, & observantiam similiter mandamus & requirimus. Decretum quoque de Sacramentis administrandis moribundis hominibus infimæ conditionis, quos Pareas *appellant, ulteriori dilatione remota, pariter servari, & impleri præcipimus. Vestrum autem erit, ut mandata per Antecessorem nostrum, & per Nos ipsos Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in omnibus confirmata, impigre, & obsequenter facientes opus Dei, quod tanta cum animi alacritate suscepistis, rite, unanimiter, studioseque perficiatis. Ac vobis, venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.*

Decretum quoque circa *Pareas* confirmat, & observari jubet.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xii Decembris MDCCXXVII. Pont. nostri anno iv.

„ Tantum vero abfuit, ut qui pro Ritibus eo Decreto „ damnatis pugnabant, huic novæ ejusdem Decreti confir- „ mationi acquiescerent, quin potius anno MDCCXXXII. „ Prædecessori nostro Clementi Papæ XII. in Benedicti „ locum subrogato declaraverint, se nihil de nova con- „ firmatione audivisse, neque aliquid, quod ad eam „ spectaret, Episcopis, & Missionariis Indiarum fuisse „ legitime denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo „ postulaverint, ut, non obstante Benedicti XIII. dispo- „ sitione, dignaretur hanc eandem causam denuo S. Of- „ ficii Congregationis examini, & cognitioni subiicere: „ Et quamquam, aliis earum Partium Missionariis cau- „ sam finitam esse, & in rem judicatam abiisse reputan- „ tibus, seu excipientibus, non deessent, qui postulatis „ hand annuendum esse crederent, iisque adversarentur; „ attamen idem Pontifex Clemens XII., supremum tan- „ dem acerrimis, perniciosisque dissidiis finem fieri per- „ optans, supradictorum preces admittendas existima- „ vit, declaravitque in causa posse procedi. Quare totius „ materiæ instaurata disceptatione, & per duos fere annos „ continuata, documentis certis, & necessariis ex utra- „ que Parte productis, factaque præsertim Decreti im- „ pugnatoribus amplissima facultate afferendi quidquid „ in controversum quemque Articulum deducendum, „ allegandumque è re sua judicarent; post plures Con- „ gregationes habitas in Conventu Sanctæ Mariæ supra „ Mi-

Supplicatur Clementi XII pro versione Causæ in Congregatione S. Officii.

Eaque conceditur, & a prædicta Congregatione, Partibus auditis perficitur.

Digitized by Google

„ Minervam à S.R.E. Cardinalibus in negociis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, hi tandem quid ipsorum judicio in controversis Articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum esset, aperuerunt; eorumque resolutiones probavit, confirmavitque prælaudatus Clemens Papa XII., illasque inserendas decrevit Apostolicis literis in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus, & Carnatensibus Episcopis, ac Missionariis Apostoliça auctoritate mandavit, injunxitque, ut lata ab se decreta tum religiose ipsi observarent, tum ab aliis omnibus summa fide ac diligentia observari curarent. Literæ in forma Brevis sunt sequentis tenoris:

Clemens XII. confirmat resolutiones a Congregatione captas.

Tenor Literarum pro hujusmodi Confirmatione editarum die 24. Augusti 1734.

Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, & Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prolatio Decreti a Cardinali de Tournon Pudicheri facta, ejusdemque Confirmationes referuntur.

Compertum, exploratumque Vobis esse non ambigimus, Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati à latere Apostolicum Commissarium, & Visitatorem, deinde hujus S. R. E. Cardinalem de Tournon à Prædecessore nostro fel. record. Clemente XI. ad Sinas anno 1702. missum, ubi primum ad Arcem Pudicheri appulit, ut gravibus, & urgentibus Missionum in Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi saluberrime dirigendarum necessitatibus opportune prospiceret, condidisse die 23. mensis Junii anni 1704. Decreta nonnulla, quæ die 8. mensis Julii ejusdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus, & Dilectis Filiis, Episcopis, & sacris Indiarum Orientalium Operariis, quibusdam in iisdem Decretis contentis minime acquiescentes, reclamassent, laudatus Prædecessor noster Clemens XI. Literis in forma Brevis ad Episcopum Meliapurensem die 17. men-

Digitized by Google

mensis Septembris anni 1712. *datis, eorumdem Decretorum obedientiam, & observantiam tamdiu requisivit, ac mandavit, donec Apostolica hæc Sedes Causæ momentis fideliter relatis, & accuratius inspectis, quas novisset Justitiæ magis consentaneas, & propagandæ Christianæ Fidei magis idoneas providentiæ suæ vias, ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII. fel. record. itidem Prædecessor noster provide Clementis XI. mandatis, declarationibus, atque vestigiis inhærens, Literis quoque in forma Brevis die* 12. *mensis Novembris anni* 1727. *datis memorata Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore similiter munivit. Nos vero, qui plane immerentes ipsis Summis Pontificibus in Apostolica servitute successimus, nihil optamus impensius, quam ut Sacrosancta Jesu Christi Fides amplius in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut si qua forte magnis ejusdem incrementis, & propagationi occurrant impedimenta, (Deo votis nostris obsecundante) penitus auferantur. Itaque postquam necessaria, & certiora habuimus documenta, Theologorum, ac præsertim Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium per universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragia exquisivimus, quæque iidem Venerabiles Fratres nostri Cardinales confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis remittenda Nobis consulere decreverunt, ex sequentibus Dubiis hic insertis plene vos dignoscetis.*

Clemens XII. finalem Causæ resolutionem cum voto Congregationis S. Officii edere intendit.

Dubia pro Missionibus Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi, exorta occasione Decreti clar. mem. R.P.D. Caroli Thomæ Maillart de Tournon Patriarchæ Antiocheni, postea S.R.E. Cardinalis, editi Pudicherii die 23. *Junii* 1704. *proposita in Congregationibus Generalibus S. Officii, habitis in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam coram Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, præsentibus DD. Consultoribus infrascriptis diebus: Super quibus Dubiis iidem Eminentissimi suam protulerunt sententiam, prout infra, videlicet.*

Dubia in Congregationibus proposita.

Feria 4. *die* 21. *Januarii* 1733.

I. Dub. super præcepto adhibendi Sacramentalia in conferendo Baptismo.

Primum Dubium: *An, & quomodo Decretum clar. mem. Eminentissimi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Districte prohibemus, ne in baptizandis, tam Pueris, quam Adultis cujus-*

cumque sexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter Saliva, Sal, & Insufflatio, quæ ex Apostolica Traditione Catholicæ Ecclesia recipit, & ob recondita in iis sacris Ceremoniis Divinæ erga nos bonitatis Mysteria sancte, & inviolabiliter custodivit, Decreto Sanctæ, & Universalis Inquisitionis de anno 1659. pro Sinis facto, ob diversas rationes, & circumstantias, minime obstante.

Resolutio. Eminentissimi dixerunt: *Confirmandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon, sed consulendum Sanctissimo, quod Missionariis Regnorum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis Dispensationem concedat ad Decennium duraturam, omittendi in collatione Baptismi Salivam, & occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, & in quibus gravis, & proportionata necessitas urgeat, super qua conscientia Missionariorum oneratur: dummodo non laborent errore habendi Salivam, & anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inserviendum pro Sacramentalibus Ceremoniis in Baptismo, utpote omnino incapaces Baptismi; Eique Missionariis injungendum, ut debitam instructionem, aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio Populorum à Saliva, & insufflatione amoveatur, & de instructione, aliisque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus Decennii certiorent.*

Monitum ad Missionarios. *Insuper monendos esse Missionarios super gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda facultate dispensandi, & male se gessisse Episcopos concedendo hujusmodi Dispensationem, inconsulta Apostolica Sede.*

II. Dub. super impositione nominis alicujus Sancti in Baptismo. Secundum Dubium -- *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis -- Item præcipimus, ut, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, semper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis Nominibus Idolorum, vel falsæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophiti hactenus appellari consueverunt, antequam per Baptismum essent Divinæ Gratiæ renati.*

Resolutio. Eminentissimi Dixerunt -- *Moderandum esse Decretum, deleto verbo:* Præcipimus: *Cum clausula:* Curent quantum fieri potest; *firma remanente Interdictione, quo-*

ad

Digitized by Google

ad nomina Idolorum, & falsæ Religionis Pœnitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

Tertium Dubium -- *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis -- Nec Parochis, seu Missionariis sub quovis prætextu liceat Sanctissimæ Crucis, Sanctorum, & rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea alio Idiomate explicare, nisi Latino, vel saltem Indico, quatenus voces Indicæ Regionis latinæ significationi liquido, & adamussim respondeant.*

III. Dub. super translatione nominum rerum sacrarum in aliud idioma.

Eminentissimi dixerunt -- *Quod servetur Decretum Eminentissimi de Tournon, & declaretur, non habere locum in vocibus, & nominibus jam ab Institutione Missionis communiter recep-is, quæ tamen per hanc declarationem nec approbantur, neque reprobantur.*

Resolutio.

Quartum Dubium -- *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis -- Et quia audivimus, Baptismum Infantium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria, sæpe sæpius diu protrahi, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præfigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Ecclesiam deferant Sacro Fonte abluendos.*

IV. Dub. super Baptismo Infantium non protrahendo.

Eminentissimi dixerunt -- *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.*

Resolutio.

Quintum Dubium -- *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis -- Præterea cum moris hujusmodi Regionis sit, ut Infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de præsenti contrahant per impositionem Taly, seu aureæ Tesseræ Nuptialis Uxoris collo pensilis, Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant, nec Sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ, juxta formam a Sac. Concilio Tridentino præscriptam, verum, & Canonicum Matrimonium contraxerint.*

V. Dub. super Matrimoniis impuberum.

Eminentissimi dixerunt -- *Exequendum esse Decretum Eminentissimi de Tournon; cum declaratione tamen, servandam*

Resolutio.

Digitized by Google

dam esse formam pro Matrimoniis a Sac. Concilio Tridentino præscriptam in locis, in quibus Decretum dicti Concilii in cap. primo sess. 24. de Reform. Matrim. publicatum est, & inposterum publicabitur, neque ejus observantia sit impossibilis; & Missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis Missionum illarum Partium dictum Decretum Concilii publicetur.

VI. Dub. super prohibitione Mulieris facta deferendi Taly in signum Matrimonii contracti.

Sextum Dubium — *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis — Et quoniam apud Peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Taly præsefert Imaginem, licet informem, Pulleyaris, seu Pyllajaris Idoli nuptialibus Ceremoniis præpositi; Cumque dedeceat Christianas Mulieres talem effigiem collo deferre in signum Matrimonii; districte prohibemus, ne inposterum audeant Taly cum hac effigie collo appendere; & ne Uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Taly, vel Sanctissimæ Crucis, vel Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi, vel Beatæ Virginis, vel alia quavis Religiosa Imagine ornato.*

Resolutio.

Eminentissimi dixerunt — *Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon, quamvis Missionarii asserant, nunquam permisisse gestationem dicti Taly.*

VII. Dub. super prohibitione delationis Funiculi 108. filorum, cui dictum Taly appenditur.

Septimum Dubium — *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis — Et cum superstitione non careat Funiculus centum, & octo filis compositus, & croceo succo delinitus, quo plerique dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum, & unctionem.*

Resolutio.

Eminentissimi dixerunt — *Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon.*

VIII. Dub. super superstitiosis Nuptiarum Ritibus abolendis.

Octavum Dubium — *An, & quomodo dictum Decretum, sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis — Ceremoniæ etiam Nuptiales juxta harum Regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatæ, ut tutius, remedium aptari non possit, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant, & difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero, ut faciliori conversionum viæ, & Neophitorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, Missionariis, & præcipue Missionum Superioribus injunginus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo, superstitiosa omnia a dictis Ceremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur,*

Digitized by Google

tur, quod Christianam pietatem offendat, & Gentilium superstitionem redoleat, & signanter, præter eas, quas audivimus jam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Arescionara omnino auferatur, ferculorum numerus non minus, ac cibi præscripta qualitas varietur; Circuli super caput Sponsorum ad tollenda maleficia omittantur; Et quod de ferculis diximus, de luteis Vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, & prohibitum intelligatur.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.* Resolutio.

Feria 4. Die 23. Julii 1733.

Nonum Dubium: *An & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino à Christianorum Nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, & extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.* IX. Dub. super fractione fructus vulgo *Cocco* nuncupat.

Eminentissimi dixerunt: *Dilata.* *Vide infr. post Dub. XI.*

Decimum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Nullus rite, & sufficienter dispositus arceatur à Sacramento Pœnitentiæ, & signanter Mulieres menstruali morbo laborantes, non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium; Cum hæc Sacramentalis vera Animæ purificatio, & non alia, sit attendenda à Christifidelibus eorumque Pastoribus, quibus præterea non liceat, nec per seipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis Mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore.* X. Dub. super admissione Mulierum ad Sacramentorum participationem tempore purgationis.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.* Resolutio.

Undecimum Dubium: *An, & quomodo exequendum sit dictum Decretum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Dedecet etiam Christianæ Virginis honestati prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, & inverecunde publicare, iisque Ethnicorum more, & ritu in ejus domum collectis, super* XI. Dub. super festivis gratulationibus pro prima Puellarum purgatione abolendis.

re

re tam sordida festum instituere; Quocirca hujusmodi solemnitates, & ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, & abolemus, Missionariisque injungimus, ut non solum eas, verum etiam Genitores moneant, quam dissona sit virgineis pudoris legibus ejusmodi obscæna consuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, labefactata Puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

Resolutio.

Eminentissimi dixerunt: *Quod curent Missionarii abolere festum sub titulo Menstrui, sed sub titulo Nuptiarum permittant.*

Feria 4. die 9. Septembris 1733.

Dub. IX. dilati resolutio.

Nonum Dubium supradicta die 22. Julii propositum, sed non resolutum: *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Fructus etiam vulgo dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, & extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes.*

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum prædicti Eminentissimi Cardinalis de Tournon.*

XII. Dub. super spirituali assistentia Pareis præstanda.

Decimum secundum Dubium: *An, & quomodo Decretum prædicti Eminentissimi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Ferre pariter non possumus, quod a Medicis Spiritualibus pro Animarum salute ea charitatis Officia denegentur, quæ Medici Gentiles Nobilis etiam generis, seu Castæ, pro Corporis salute præstare non dedignantur Infirmis, licet abjectæ, & infimæ conditionis, vulgo dictis Parreas. Quapropter districte mandamus Missionariis, ut, quantum in ipsis erit, nemini e Christianis ægrotis, quantumvis Parreas, & vilioris, si adessent generis hominibus, desideranda relinquatur in Infirmitate copia Confessarii; & ne ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitæ corporalis periculo, æternæ consulere cogantur; iisdem Missionariis præcipimus, ne Infirmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius Domos, ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus, & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque*

Digitized by Google

que demum eos in extremo vitæ discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, absque Personarum aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic Christianæ pietatis officio contrariam.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon: Præterea monendos Missionarios, quod neque ad Baptismum admittant Indos, qui in ea sunt opinione, Parreas a Deo esse reprobatos, & ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam opinionem deposuerint.* Resolutio.

Decimum tertium Dubium: *An & quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Non sine maximo animi nostri mœrore accepimus etiam, Christianos Tympanorum pulsatores, Tibicines, vel alterius cujuscumque Musici Instrumenti Sonatores ad Idolorum Festivitates, & Sacrificia accersiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam servitutis speciem erga Publicum ab ipsis contractæ per hujusmodi artis exercitium, nec facile esse Missionariis, eos ab hoc detestabili ausu avertere; Quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si hujusmodi Christifideles a Dæmoniorum honore, & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne inposterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum, tum quarumcumque Solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut canere, sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire; ideoque Missionarii non solum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde respiscant, & publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint.* XIII. Dub. super prohibitione, ne Tibicines Christiani &c. inserviant in Sacrificiis, & Templis Gentilium.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.* Resolutio.

Decimum quartum dubium: *An & quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis. Declaramus præterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papæ XV.., incipien.* Romanæ Sedis Antistes: *Ad petitionem PP. Societatis Jesu editam, qua indigenis Christifidelibus lavacra, non alia occasione, & fine, quam corporis reficiendi, & a naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo,* XIV. Dub. super lavacris, & ablutionibus, tam Christifidelium, quam Missionariorum.

modo, quibus a Gentilibus adhiberi solent, æque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa, & fine, etiam ad effectum, ut existimentur Sanias, seu Brachmanes, præ cæteris dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti, præsertim statutis eorum horis, & ante vel immediate post quamcumque Sacram functionem.

Resolutio. Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.*

Feria 4. die 16. Septembris 1733.

XV. Dub. super prohibitione delineâdi frontem cineribus & aliis signis. Decimum quintum Dubium: *An & quomodo Decretum Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Cineres itidem ex Vaccæ stercore confectos, & impiam Gentilium Pœnitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitæ impingere, sive quæcumque alia signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut Sanctæ Ecclesiæ consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce signandi ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur, tempore, ac modo ab Ecclesia præscripto, scilicet Feria 4. Cinerum, & non alias.*

Resolutio. Eminentissimi dixerunt: *Confirmandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon, servata in omnibus Constitutione Gregorii XV. edita die 31. Januarii 1623., quæ incipit:* Romanæ Sedis Antistes.

Decretum generale, ne Gentilium Ritus admittantur, aut in Christianos usus vertantur inconsulta S. Sede. Præterea Eminentissimi dixerunt: *Quod fiat Decretum, quo imponatur Missionariis, cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, in Partibus Infidelium degentibus, ne audeant permittere Ritus, vel Consuetudines proprias Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbitrio vertere in Ritus, vel Consuetudines Christianæ Religionis, inconsulta S. Sede;*

Et servetur Constitutio 46 Alexan. VII. *& Missionarii meminerint præceptionis Alexandri VII. in sua Constitutione incipien.:* Sacrosanct. *la 46. sequentibus verbis express.: Ne ob Instructionis defectum, qui Sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis, ac gentilitiis Institutis ex ignorantia fœdent, ac Idololatriam cum Ortodoxa Fide confundant, ut sæpe inibi evenire nunciatum est; Caveant ii, qui iisdem instruendis incumbunt, ne inpo-*

ste

Digitized by Google

sterum ullus ad Baptisma admittatur, qui gentilitios mores prorsus non exuerit, & in Fide non sit sufficienter instructus.

Decimum sextum, & ultimum Dubium: *An, & quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis: Et demum quia ex librorum de falsa Religione, & de rebus obscænis, & superstitiosis tractantium lectura, venenum, ut plurimum, serpere solet ad Cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac studium Missionariorum, qui libros Sacram Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes pro Indorum Christifidelium eruditione in linguam Malabaricam, seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo, & institutione composuerunt, iisdem Christifidelibus expresse interdicimus fabulosos Gentilium libros, eosque legere, & retinere prohibemus sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, nisi prius habita licentia Parochi, seu Missionarii curam Animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem super hoc dispensandi, & libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.* XVI. Dub. super prohibitione librorũ Gentilium.

Eminentissimi dixerunt: *Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.* Resolutio.

Quibus dubiis, & eorum resolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatæ, Congregationis Sancti Officii Assessorem relatis, Resolutiones ipsas plenè approbantes, cuncta ea, quæ juxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda visa sunt, respective confirmavimus, moderavimus, declaravimus, & in nonnullis remisimus; Quocirca, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Vobis injungimus, & mandamus, ut pro singulari vestra in Nos, atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quæcumque per hasce nostras Literas de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut præscripta sunt, sanctissime custodiatis, atque ab omnibus servanda studiosissime curetis: Obsecrantes vos in Domino per Viscera Misericordiæ Dei nostri, ut Controversiis jam remotis, & omnino evulsis, alacres, atque animi nostri sensibus concordes, studia, & labores vestros in Animarum salutem, quæ præstantissimus vestræ Pontifex Clemens XII. resolutiones hujusmodi confirmat. Earumque observantiam, & executionem injungit.

vocationis est finis, pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCXXXIV. Pontificatus nostri anno V.

Partes acquiescunt. Relatum Breve publicatur, & a Missionariis subscribitur.

„ Post diutinam, accuratamque factorum, atque „ rationum in utramque Partem disceptationem, post „ tam solemne denique causæ judicium, in magnam „ spem venerat Apostolica Sedes, non secus ac Romæ „ litigiis finis erat impositus, ita & in Indiis tandem ali- „ quando a discordiis, abusibusque cessatum iri; cum „ præsertim ii, qui Decretum impugnaverant, sive il- „ lius æquitate cognita, seu moderationibus, declara- „ tionibus, & relaxationibus jam impetratis satis sibi fa- „ ctum existimantes, non solum æquo animo illud rece- „ pissent, sed fidem quoque suam obligassent, se omni- „ no operam daturos, ut quæcumque in *Litteris Apo-* „ stolicis essent præscripta, integre executioni manda- „ rentur. Huc accedebat, quod Apostolicæ Sedi non fa- „ ma solum, sed certis, gravissimisque testimoniis alla- „ tum erat, publicatas jam fuisse Pontificias Literas, & „ subscriptas ab omnibus Missionariis, & mutuum inter „ Partes perfectæ communionis, atque concordiæ vincu- „ lum redintegratum, quod multis annis non sine ingenti „ Missionum damno inter illas fuerat interruptum.

Sed non ab omnibus observatur.

„ At tam felicibus initiis conceptum gaudium sta- „ tim evanuit; tristissimus siquidem nuntius quam ci- „ tissime Sedi Apostolicæ allatus est, Missionarios scili- „ cet, qui Cardinalis Turnonii Decretum impugnave- „ rant, non obstantibus Clementis XII. *Literis Apostolicis* solemni formula ab iis acceptatis, publicatisque, „ damnatos tamen ritus, ac cæremonias juxta earundem „ Literarum præscriptum minime aboleri posse causan- „ tes, tantum sibi licentiæ sumere, ut eos, easque „ adhuc usu permittere, & retinere non dubitarent. „ Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fa- „ ma increbresceret, præfatus Clemens Papa XII., ut „ debitum Pontificis mandatis obsequium, & observan- „ tiam vindicaret, certamque redderet in posterum eo- „ rum, quæ in prædictis Pontificiis Literis mandaban- „ tur, executionem, alteris in simili forma Brevis da- „ tis

Quid consilii cœperit Clemens XII.

„ tis die XIII. Maii anni MDCCXXXIX. Apostolicis „ Literis, earum Regionum Episcopis, & Missionariis „ præceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impositis, ut ne dum exactissime servarent, quæ in suis præmissis Literis mandabantur, sublata cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illico se adstringerent „ solemni jurejurando interposito, juxta formulas respective eisdem præscriptas. Literæ in forma Brevis „ sequentis sunt tenoris.

Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Episcopis & Apostolis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.

Altera ejusdem Epistola in forma Brevis ad Episcopos & Missionarios data die 13. Maii. 1739.

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium cum mentione superioris Epistolæ ad eosdem conscriptæ.

Concredita Nobis Dominici Gregis cura continuo Nos urget, in id præcipue, & tota solicitudine incumbere, ut ab iis maxime, qui sortiti sunt partem Ministerii hujus, & in lucem Gentium sunt missi, erga S. Sedem, ac Apostolica mandata filiale obsequium exhibeatur, atque Fidei dogmata, sacrosque Ecclesiæ ritus & ipsi intemerate retineant, & alios edoceant, ut quos locorum immensa spatia a Petri Sede longe disjungunt, eos tamen Fides eadem in unitate spiritus, & doctrinæ conglutinet. Alias itaque per similes Litteras nostras sub datum 24. Augusti 1734. incipientes: Compertum exploratumque: *Fraternitates vestras, omnesque Missionarios eo majori, quo potuimus, Paterno charitatis affectu requisivimus, & declaravimus, quam impense exoptaremus, ut qui in Regnis istis Christi Fidei veritatem agnoscentes convertuntur, superstitiosos Gentilium ritus omnino abjicerent, atque aversarentur, ne habeantur, & ipsi ad instar eorum, qui*: Cum Dominum colerent, Diis quoque serviebant juxta consuetudines Gentium: *utque in re tanti momenti nulla esset offendiculi occasio, auditis Theologorum, ac præsertim Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium per Universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragiis, plura, juxta dubia tunc proposita, provide statuimus, & a Missionariis observanda præscripsimus; Quorum omnium in Nos observantia, ac studium amplificandæ Fidei in certam spem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare satagant,*

nec ullus erit, qui detestabili indulgentia aliter fieri posse cogitet, & veluti infideles filii; Peccare eos faciant peccatum magnum: *Sane etsi hisce mediis muneri Nostro satisfecisse, ac sine sollicitudine esse putarent: attamen rei momentum, a qua Fidei puritas, atque integritas pendet, nunquam hanc in nobis curam delebit, nisi ad magnitudinem negotii opportuniora semper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Vestris, & Missionariis omnibus, quibus prædictas Nostras Literas direximus, sive Sæculares, sive Regulares cujuscumque Religionis, Congregationis, Instituti, Societatis etiam Jesu, fueritis, demandamus, & præcipimus, ut omnia, & singula, quæ in dictis nostris Literis continentur, integre, exacte, at inviolabiliter observetis, atque ab eis, quorum cura ad vos spectat, remota penitus quavis aliter interpretandi potestate, adamussim observari faciatis, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & respective excommunicationis latæ Sententiæ, a quo nemo Vestrum a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, excepto tantum mortis articulo, absolvi possitis; & quoad Regulares insuper privationis vocis activæ, & passivæ etiam ipso facto, & sine ulla alia declaratione incurrendæ. Itidem sub iisdem pœnis, & censuris pari auctoritate præcipimus, & mandamus, ut omnes, & singuli, qui ab hac Sancta Sede, sive ab eorum respective Superioribus, ad ista Regna sacris obeundis Missionibus missi exitis, statim ac de hisce Literis nostris certiores facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habueritis, juramentum præstetis, integre, exacte, ac omnimode implere, quæ provide a Nobis in iisdem Literis constituta fuerunt, neque illis ulla in parte quovis sub prætextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus susceperi erunt, mandamus, ac præcipimus sub iisdem omnibus censuris, & pœnis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, nisi antea, & ipsi juramentum prædictum præstiterint, quin nec tanquam Presbyteri Sæculares ab Ordinariis Locorum deputati, seu veluti simplices Religiosi, vel quovis alio titulo, & nomine, Christifidelium Confessiones excipere, Conciones habere, aut Sacramenta ministrare, sed omni prorsus careant potestate, derogando quibusvis privilegiis, sibi ipsis, aut vestræ respective*

Illius observantia & executio ipsis demandatur sub censuris, & aliis pœnis.

Sub quibus præcipitur eisdem, ut juramentum præstent de implendis omnibus in ea contentis.

Nullus in posterum quocumque titulo Missionis exercitio se immisceat, nisi juramentum hujusmodi emiserit.

Digitized by Google

tive Religioni, Ordini, Congregationi, & Societati, etiam Jesu, specialiter, aut generaliter a Nobis, & a Prædecessoribus nostris quacumque ex causa concessis. Juramenta prædicta sæculares Missionarios coram Locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apostolicis Vicariis præstare demandamus, Vicarios vero ipsos, & Superiores in manibus Episcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, sed scripto juxta formam per Nos præscriptam, & infra adnotandam, ac propria manu subsignare teneamini sub iisdem censuris, & pœnis. Hoc etiam juramentum præstandum fore mandamus, ac requirimus ab illis, qui ad Episcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipsomet die, quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri erunt Fidei professionem, vel in actu eorum consecrationis. Quorum juramentorum subsignata exemplaria, relicta isthic in Archiviis authentica copia, ad Congregationem de Propaganda Fide, per Episcopos, & Superiores Regulares respective transmitti volumus, a qua ad illum S. Officii remittantur, ut sint obsequii erga Nos, nostrasque jussiones, puritatis, integritatisque Fidei vestræ monumenta. Ne vero tam Literarum nostrarum sub prædicta die 24. Augusti 1734., quam præsentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates vestras, ac in Domino obtestamur, ut quo primum illas, atque præsentes receperitis, statim publicare faciatis, ac ad singulos Missionarios, sive Sæculares, sive Regulares fuerint, sub vestra respective Jurisdictione degentes, easdem transmittatis. Hoc ipsum præcipimus Apostolicis Vicariis, aliisque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipso facto pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ; Regulares autem Excommunicationis latæ sententiæ, privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

Idem servetur ab Episcopis.

Cum onere remittendi ad Congregationem de Propaganda Fide exempla juramenti præstiti ab eisdem subscripta.

Injungitur Episcopis, & aliis tam præsentis, quam præcedentis Epistolæ publicatio, & transmissio.

Formula autem juramenti, sicut præmittitur, a Missionariis præstandi est, quæ sequitur, videlicet: Ego N. Ordinis N., seu Societatis Jesu Missionarius ad Regnum N., vel ad Provinciam N. in Indiis Orientalibus a Sede Apostolica, vel a meis Superioribus, juxta facultates eis a Sede Apostolica concessas missus, vel destinatus, parendo præcepto Sanctissimi Domini Nostri Papæ Clementis XII. per Literas Apostolicas in forma Brevis datas die 13. Maii an-

Formula Juramenti a Missionariis præstandi.

no

no 1739. *injuncto omnibus Missionariis in dictis Missionibus, præstandi juramentum fideliter servandi dispositionem Apostolicam circa ritus Malabaricos ad formam Literarum Apostolicarum in forma Brevis ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die* 24. *Augusti* 1334. *incipien.* : Compertum exploratumque : *mihi per integram ejusdem Brevis lecturam optime noto promitto, me plene, & fideliter pariturum, illudque exacte integre, absolute, & inviolabiliter observaturum, & absque ulla tergiversatione adimpleturum, necnon ad formam dicti Brevis instructurum Christianos mihi commissos tam in Concionibus, quam in privatis instructionibus, ac præsertim Cathecumenos, antequam baptizentur, & nisi promittant observantiam dicti Brevis, ejusque dispositionum, & prohibitionum, me ipsos non baptizaturum, prout quoque curaturum omni studio, quo potero, ac omni diligentia, ut sublatis Gentium ceremoniis, illi a Christianis suscipiantur, & retineantur ritus, quos Catholica Ecclesia pie præscripsit. Si autem (quod Deus avertat) in parte contravenerim, toties pœnis a Sanctissimo* Domino *Nostro impositis in Decreto, seu Literis Apostolicis,* ut *supra, super præstatione hujus juramenti, mihi pariter per integram lecturam notis, me subjectum agnosco, & declaro. Ita tactis SS. Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc SS. Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Formula Juramenti ab Episcopis præstandi.

Formula vero juramenti, ut supra, præstandi ab Episcopis, est, quæ sequitur, videlicet : *Ego N. Episcopus Civitatis N. memor juramenti a me præstiti in actu meæ solemnis Consecrationis, quo Romano Pontifici fidem, subjectionem, & obedientiam promisi, tum insuper eorum, quæ provide sanxit Clemens XII. Pontifex Maximus circa ritus Malabaricos in Literis Apostolicis in forma Brevis, Episcopis, & Missionariis usque sub die* 24. *Augusti* 1734. *transmissis, parendo mandatis Sanctitatis Suæ per alias similes Literas die* 13. *Maii anno* 1739. *injunctis, ut in argumentum meæ erga Apostolicam Sedem obedientiæ non minus, quam filialis obsequii me jurisjurandi Religione obstringam, juro; & promitto, me plene, & fideliter easdem Literas Apostolicas sub dicta die* 24. *Augusti* 1734. *executurum, atque ea, quæ in illis præscripta sunt, exacte, integre, absolute, ac inviolabiliter observaturum, curaturum pariter,*

Digitized by Google

ter, quantum in me erit, ut ii omnes, qui mea in Diœcesi Missionarii, & Sacerdotes sunt, vel futuri erunt, illas eodem prorsus modo in omnibus servent, atque exequantur, & contra inobedientes, si qui fuerint, me processurum ad formam Brevis sub die 17. Maii anno 1739., ut tandem sublatis Gentium cæremoniis, illi a Christianis recipiantur ritus, quos Catholica Ecclesia pie præscripsit, ac jugiter servat. Utque de hac mea voluntate, juramento, filialique obsequio erga Romanum Pontificem, ejusque mandata perenne existat monumentum, propria manu me subscribo.

Ego N. Episcopus N.

Adhortatio pro omnium executione.

Cæterum etsi magna Nobis spes sit, Fraternitates Vestras, & Missionarios omnes nostras voces, & monita excipere diligenter, ac filiali obsequio exequi, curam insuper solicitudinemque plurimam gerere, ut tam Orthodoxæ Religionis puritati, integritatique, quam Gentium saluti adjumento sitis, omnesque in hanc unicam rem, maximam utique, labores, sudoresque conferre, ut tandem, qui Christi amplectuntur Fidem, superstitiosos aversentur ritus, eosque tantum suscipiant, & retineant, quos Catholica Ecclesia pie præscripsit, ac jugiter servat; attamen pro Pastoralis Officii debito, ac Paternæ Charitatis stimulo, iterum, iterumque commonere non desistimus; ne a Pastorum Principe in custodia Gregis sui minus vigilasse dijudicemur; & Vobis interim in auspicium bonorum omnium Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII Maii MDCCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno Nono.

Idem Clemens XII. ad Episcopos peculiariter scribit sub eadem data.

„ Hasce Clementis XII. Literas aliæ subsecutæ sunt „ prænominatis earum Regionum Episcopis peculiariter „ inscriptæ, quibus idem Pontifex & conceptum animo „ intimum dolorem, ob nondum sibi delatam certam „ exoptatamque notitiam de præstita Apostolicis manda- „ tis debita observantia, gravibus verbis patefecit, & „ eorundem Episcoporum zelum, ac religionem excita- „ re curavit, ut ipsi exemplo ac diligentia sua præeuntes, „ cæterorum obedientiam sollicite promoverent. Ha- „ rum Literarum hujusmodi exemplum est:

Vene-

Tenor Epistolæ in simili forma Brevis.

Venerabilibus Fratribus Episcopis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Conqueritur de incerto exitu primæ Epistolæ, & debita responsa exquirit.

Continere labia nostra non possumus, quin vos Venerabiles Fratres Apostolica voce iterum alloquamur; Moleste Nos, imo graviter ferre, usque adhuc certam denunciationem minime accepisse: qui tandem exitus contigerit Nostris Literis, quas die 24. Augusti 1734. vobis, & Missionariis isthic commorantibus dedimus. Sane taciturnitas hæc curarum, & angustiæ nostro paterno erga vos amori causa est, tum & maxime quia, incertæ licet, sparsæ hic sunt voces, easdem Nostras Literas, & Decreta in publicum ab omnibus minime posita fuisse, nec exacte, prout oportet, adimpleri, quin non deesse aliquos, qui diversa opinantes, ac loquentes, adducunt discipulos post se. Quare primum Fraternitates Vestras ex animo requirimus, ut quomodo isthic res se habeat, quamprimum renuncietis, ne longior tarditas acerbiorem Nobis afferat molestiam; deinde firma spe ducimur, zelo Dei vos impellente, in doctrina sana nobiscum exsurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, cui se addixerunt, sedulo caveant, ac diligenter prospiciant, ne culpa eorum: Gentes istæ sint timentes Dominum, sed nihilominus & Idolis suis servientes: *Hac de causa alteras misimus Literas Fraternitatibus Vestris, atque Missionariis, quibus gravioribus sub pœnis demandamus, ut nostræ voluntatis sensibus, & Decretis obediant, & opere compleant. Ne vero, ut hactenus, unus alterum incuset, & Nos qui licet præsentes isthic spiritu, corpore tamen absentes, suspensos incerti nuncii diu retineant, Juramentum ab unoquoque ex Missionariis propria manu subsignandum, expetere duximus, quo quisque profiteatur Nostris jussionibus promptam, atque exactam præstare obedientiam, prout latius in iisdem Literis continetur. Hoc etsi tuto Nobis polliceamur pro omnium pietate, & religione; attamen plurimum collatura erit Fraternitatum Vestrarum exempli autho-*

Significat superioris Epistolæ sensum, & Episcoporum zelum excitat pro omnium demandatorum implemento.

authoritas, quoties idem Jurisjurandi sacramentum, in certum erga S. Sedem, & in Nos obsequii vestri testimonium præstitisse, atque Nobis misisse, vos intelligant, prout in Domino etiam, atque etiam obtestamus. Porro hanc unam esse detegendæ veritatis viam, unum præsidium ad obstruendum os loquentium iniqua, vosmet facile cognoscere non dubitamus: quare Pontificiam voluntatem, ceteroquin in vos propensam, magis, magisque Vobis devincietis, si industriæ, cogitationi, studio denique vestro vim addatis exemplo; nec sane veremur, quin eam reverentiam, quam, suscipientes Episcopale munus, huic S. Sedi, & Apostolicis mandatis spopondistis, hac tam opportuna occasione explicaturi luculentius eritis, ut quos ad Juramentum proferendum vos adire obstringimus, ex facto etiam vestro obedire præceptis Nostris arctius impellantur; ac Vobis Venerabiles Fratres in perpetuum amoris Nostri pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Maii MDCCXXXIX. Pontificatus Nostri anno Nono.

„ Neque vero his, quamvis adeo enucleate præ-
„ scriptis, plane contentus idem Clemens Papa XII.,
„ Superiores quoque Generales Missionariorum in Orien-
„ talibus Indiis degentium, eorum præsertim, qui, ut
„ Apostolicæ Sedi relatum erat, detrectabant adhuc ob-
„ sequentis animi erga ejusdem Sedis mandata, certa
„ argumenta exhibere, adstrinxit, eosque sub pœnis su-
„ spensionis a Divinis, privationis vocis activæ, & passi-
„ væ, aliisque gravioribus arbitrio suo reservatis, Apo-
„ stolicæ etiam Sedis indignationis, formali præcepto,
„ eoque juridice indicto, adegit ad transmittenda suis
„ respective Religiosis exempla Apostolicarum Litera-
„ rum à se tunc editarum, atque ad earum publicatio-
„ nem, & exactam, integram, inviolabilemque obser-
„ vantiam pro viribus præcipiendam, ea lege addita, ut
„ si aliquis esset e Missionariis, qui mandatis reluctare-
„ tur, aut contra facere auderet, solemni statim præ-
„ cepto per Superiorem Generalem cogeretur, relictis
„ Missionibus, e Provincia decedere, atque in Europam
„ reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod
„ remedium relinqueretur, terminum annorum trium
„ constituit, intra quem Superiores Generales prædicti

Superiores Generales Missionariorum onerat de præmissarum Literarum trasmissione; publicatione; & implemento.

Ac de juramenti præstiti exemplis infra triennium S. Sedi representandis.

„ tenerentur certis, authenticisque documentis Sedi Apo-
„ stolicæ plenam atque integram Decretorum Litera-
„ rumque observantiam indubitate probare, atque præ-
„ sertim exempla jurisjurandi, ut præfertur, præstandi,
„ propria uniuscujusque Missionarii manu, cujuscumque
„ fuerit Instituti, subscripta, exhibere.

Episcopi, & Missionarii obtemperant, & juramenta subscripta exhibentur SS. Domino Nostro.

„ His ita constitutis, atque mandatis obtemperan-
„ tes omnes Episcopi, & Missionarii Apostolici Regno-
„ rum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis, no-
„ minatimque, qui pridem contra Cardinalis Turnonii
„ Decretum steterant, fide data, sacramentoque inter-
„ posito, exactam, integram, absolutam, inviolabi-
„ lemque observantiam Literarum, quarum superius
„ exemplum insertum est, quodque incipit *Compertum*
„ *exploratumque*, promiserunt secundum formulas aliis
„ in Literis Pontificiis expressas, quæ pariter enunciatæ
„ jam sunt, quæque incipiunt *Concredita Nobis Domini-*
„ *ci Gregis*. Utque suum Nobis ad Pontificatus apicem
„ evectis, Sanctæque Sedi fidele obsequium, & submis-
„ sionem certo probarent argumento, ad manus nostras
„ exempla reddi curarunt solemnis jurisjurandi, quod
„ singuli præstiterunt.

Qui reliqua adhuc dubia cum consilio Congregationis S. Officii definire statuit.

„ Hunc igitur fructum ex prudenti constantique,
„ quam hactenus recensuimus, Prædecessorum Nostro-
„ rum agendi ratione Nobis colligere datum est: neque
„ jam temere videmur hanc animo spem concepisse, ut
„ quæcumque dubia super executione eorum, quæ ab
„ iisdem Prædecessoribus præscripta memoravimus,
„ adhuc reliqua sunt, resolutis, ut infra, propositis
„ quæstionibus, penitus submoveantur; *omnesque* de-
„ mum inter sacros istarum Regionum Operarios dissen-
„ siones, & controversiæ compositæ conticescant; atque
„ Apostolica mandata, & Decreta, quæ, gravi præ-
„ missa ponderatione, ac de consilio Venerabilium Fra-
„ trum Nostrorum in tota Republica Christiana in nego-
„ ciis Fidei Generalium Inquisitorum specialiter deputa-
„ torum, aliorumque Virorum pietate ac doctrina præ-
„ stantium, harum serie edituri sumus, pari obedientiæ
„ alacritate ab omnibus istarum Partium Missionariis ex-
„ cipiantur, ac debitæ executioni demandentur.

Missionariorum postulata.

„ Nonnulli siquidem, postquam Literis suis professi
„ sunt

„ sunt servatas a se fuisse Apostolicas Literas *Compertum*
„ *exploratumque*, seque accusatos idcirco perperam fuis-
„ se tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in
„ maximas, atque extremas animi angustias se esse co-
„ njectos, ob jurisjurandi religionem, ob excommuni-
„ cationis periculum, aliasque gravissimas pœnas, qui-
„ bus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu
„ obligati sunt, atque obnoxii; communi illorum om-
„ nium nomine, qui in pari muneris & periculi societa-
„ te versantur, ad sublevandas suas, ut ajunt, oneratas,
„ trepidantesque conscientias, atque ad plurimorum
„ Christianorum salutem, qui recenter conversi perse-
„ cutionum procellis assidue conflictantur, in tuto col-
„ locandam, tria a Nobis flagitarunt.

„ Primum illud est; ut onere subleventur (quod
„ quidem onus gravissimum, intolerandumque appel-
„ lant) tot juramentorum, censurarumque, quibus inex-
„ tricabilibus veluti laqueis eorum conscientiæ vinciun-
„ tur, quibusque fit, ut propiæ amittendæ salutis peri-
„ culo expositi, de aliena procuranda cogitationem pro-
„ pe omnem deponere cogantur.

I. Super tollendis censuris, & juramento.

„ Alterum, ut dispensatio alias concessa super in-
„ sufflationum, atque salivæ ritu, in Sacramento Bapti-
„ smatis ministrando, prorogetur, eo vel maxime
„ quod non tali lege sit hujusmodi ritus inductus, in quo
„ dispensatio locum habere non possit; imo, ut ea con-
„ cedatur necessariume sse ajunt, ad conservandam pro-
„ rogandamque disseminatam jam, ac diffusam Fidem
„ in vastissimis illis Regionibus, quarum Incolæ ingeni-
„ to veluti horrore, seu potius inveterato, & commu-
„ ni præjudicio, ita salivam aversantur, ut de eo evel-
„ lendo prope jam sit ab eis desperatum.

II. Ut prorogetur dispensatio super omissione Sacramentalium in Baptismo conferendo.

„ Tertium, ut aperta, atque plena tradatur inter-
„ pretatio præcepti a Cardinali Turnonio Missionariis
„ gravissime injuncti, atque ab Apostolica Sede confir-
„ mati, eisque inculcati, ut abjectissimum hominum
„ genus, vulgò *Pareas*, minime deserant, sed cum do-
„ mi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invisant,
„ eisque, cum opus fuerit, Sacramenta ministrent, om-
„ nibusque erga eos charitatis atque pietatis officiis de-
„ fungantur. Nam, sine aliqua præfati Decreti decla-

III. Ut detur explicatio Articuli de assistentia *Pareis* præbenda.

Digitized by Google

„ ratione, perniciem eis, qui Christianæ Religioni *no-*
„ men dederunt, imminere prorsus arbitrantur, Gen-
„ tiliumque ad Fidem conversionem impossibilem pe-
„ nitus evasuram. Itaque eorumdem Parearum saluti
„ providendum esse rentur, non adigendo Sacros Ope-
„ rarios ad ingrediendum eorum Domos, quod certe,
„ ut asserunt, exitio Missionibus foret, sed alia ratione;
„ atque ea potissimum, quam ipsi primo induxerunt,
„ quaque usi sunt post Apostolicas etiam Literas *promul-*
„ gatas, quarum initium *Compertum exploratumque*, ob-
„ tentu verbalis cujusdam declarationis, quam ipsis suus
„ Missionum Procurator significaverat.

Juxtà prætensum vivæ vocis Oraculum Clementis XII.

„ Rumore itaque ad Nos allato de hujusmodi *vocali*
„ declaratione, quæ Clementi Papæ *XII.* Prædecessori
„ Nostro tribuebantur, cujus etiam *exemplum monu-*
„ mentumque in Actis, & Tabulario Sanctæ *Inquisitionis*
„ relatum fuisse atque reconditum ferebatur, *exemplum*
„ monumentumve hujusmodi diligentissimè exquiri
„ mandavimus. Cumque illud nusquam inventum sit,
„ longa licet atque exactissima indagine investigatum;
„ cum etiam Administri, quorum custodiæ mandan-
„ dum fuerat, ea de re per Nosmetipsos interrogati,
„ nihil hujusmodi a se visum, nihil auditum fuisse, &
„ numquam ad se pervenisse prædictam declarationem,
„ proptereaque, & in Actis, & in Archivio desiderari
„ constanter, & indubitate affirmaverint: cum denique
„ ipsius Nostri Prædecessoris ea de re mentem, atque
„ sententiam in Apostolicis ejus Literis supra relatis luce
„ ipsa clarius expressam, exploratamque *haberemus*;
„ totum hoc gravissimum, & *inveteratum negotium*,
„ cum approbatione, & consilio *Venerabilium* Fratrum
„ Nostrorum S. R. E. *Cardinalium* Generalium Inquisi-
„ torum, ut supra, deputatorum, tandem dijudicare,
„ ac definire deliberavimus. Auditisque propterea *tum*
„ eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum, tum
„ etiam Consultorum sententiis, ac rursus *ad trutinam* revocatis, & coram Nobis *multum*, diuque
„ perpensis atque discussis moderationibus illis, quas
„ postularunt a Nobis illi, qui duram atque difficilem
„ Decretorum toties enunciatorum integram absolu-
„ tamque observantiam existimarunt, in hunc, qui se-

Quod tamen Oraculú nunquam emanatum declaratur.

Et Pontifex, eo non attento, circa relatas quæstiones statuit, ut infra.

qui-

„ quitur, modum, statuimus, atque decrevimus.

„ Ac primo quidem, animadvertens impositam Jurisjurandi legem esse vetuti saluberrimum antidotum extinguendo gliscentium litium, discordiarumque veneno, aptissimumque ad cohibendam licentiam, libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi, & periculosa frænum existere; Censuras quoque a prædicto Clemente XII. Prædecessore Nostro in enunciatis Literis, incipientibus *Coneredita Nobis* constitutas ad solos dumtaxat pertinere Apostolicæ legis præceptorum violatores, easdemque in hujusmodi tantum refractarios, quorum animos neque Ecclesiasticæ mansuetudinis officia, neque paternæ admonitionis charitas vincere, aut inflectere ullo modo possent, justissimam pœnam esse, & fore reputantes; non solum inopportunum censuimus Jusjurandum aliqua in parte remittere, aut moderari Censuras; quod primo fuit ab illis propositum; verum etiam, de prædicto consilio, & assensu, ac de plenitudine Potestatis a Deo Nobis concreditæ, illud, illasque probamus, confirmamus, & innovamus, illudque, & illas omne robur, & firmamentum, omnemque vim, & efficaciam in posterum semper habere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere atque ab illis, ac quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari decernimus, & jubemus.

I. Juramentum præstari, & servari jubet, & censuras confirmat.

„ Quod autem attinet ad secundam postulationem de propaganda supradicta dispensatione, quum Prædecessor Noster in decennium concessit, ut scilicet per id temporis, in Sacramento Baptismatis conferendo, salivæ usu abstinere, & sacras insufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indistincte, sed ubi gravis aliqua, & certa necessitas postularet, ut luculentius in ejusdem Literis Apostolicis, quarum initium *Compertum exploratumque* expressum est; Nos declarare satis non possumus, quam ægre feramus, quod nullis adhuc certis indiciis, aut argumentis cognoscere potuerimus, utrum Missionariis per id decennii tempus, quod jam elapsum esse dignoscitur, ad Apostolicarum Literarum præscriptum, in eo

II. Queritur doctum non esse de observantia Decreti Clementis XII. circa Sacramentalia in Baptismo adhibenda.

„ eo pro viribus elaboraverint, atque ea, qua par erat,
„ fide, ac diligentia, omne suum studium, operamque
„ adhibuerint, ut vanus ille horror, & parum æqua aver-
„ satio prædictorum Sacramentalium, quæ Gentium il-
„ larum animis insidere fertur, sensim emendata, de-
„ mum ab eisdem penitus deponeretur. Nemo quippe
„ ignorat, Sacramentalium, de quibus agitur, usum,
„ sive institutionis antiquitas, & ex qua Ritus illi in Ec-
„ clesiam derivati sunt, sive multiplex mysteriorum si-
„ gnificatio, quæ in illis continetur, sive demum Ro-
„ manæ Ecclesiæ omnium Magistræ spectetur auctoritas,
„ quæ eosdem in suis Ritualibus receptos inviolabiliter
„ observari præcipit, jure, ac merito venerandum esse,
„ præcipuoque semper in honore habendum, & conse-
„ quenter incapacem prorsus recipiendæ Baptismatis
„ Gratiæ eum esse, qui falso sibi persuaserit, insufflatio-
„ nes, atque salivam aptam haud esse materiam Sacra-
„ mentalium cæremoniarum, gravissimique piaculi ex-
„ pertem non futurum, qui sic opinanti conferre illud
„ auderet.

Horum dignitatem, & relevantiam commendat.

„ Et quamquam exploratum esset, Gentes illas hoc
„ pravo errore minime detineri, sed ob id tantum a
„ Sacramentalium prædictorum usu abhorrere, quod
„ ingenita quadam, ut ferunt, aversione salivam, an-
„ helitumque abominentur, non minori tamen industria
„ Sacris Ministris adnitendum est, ut earum animis per-
„ peram conceptum horrorem, ineptamque aversionem
„ eliminent, atque ablegent: aliter timendum merito
„ esset, ne illarum Regionum Neophiti, confirmata in
„ ipsorum mentibus hujusmodi abominatione, eo usque
„ desipiant, ut eandem etiam transferant ad miracula,
„ quæ per salivam Christus Redemptor Noster edidit,
„ ipsumque propterea miraculorum, & salutis nostræ
„ Auctorem, quo nihil profecto magis impium exco-
„ gitari potest, aversentur. Utque alia prætereamus,
„ illud tandem non diutius est differendum, ut in Regnis
„ Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi Baptismi Sa-
„ cramentum rite, sancteque ministretur, iisdem adhi-
„ bitis Sacramentalibus, & cæremoniis, quibus Roma-
„ na utitur Ecclesia, ex qua ad Gentes illas Fidei lux
„ propagata est, dediscantque tandem novelli Regionum
illa-

Super quibus nefas est Cathecumenos errare.

Digitized by Google

„ illarum Fideles id horrere, quod Deus dignatus est „ facere.

„ Verumtamen, ut memorata Sacramentalium „ prædictorum abominatio suaviter, leviterque ex eo- „ rum animis divelli possit, neve hujusmodi lex, quæ „ Sacramentalium usum præscribit, ad nimiam in spe- „ ciem severitatem exacta, eas adducere calamitates vi- „ deatur, quæ ex illa, tamquam e fonte, in Ecclesias, „ atque Missiones dimanaturæ denunciantur, Nos enar- „ ratis de causis dispensationem, quam Prædecessor No- „ ster in Literis jam relatis concessit, iterum conceden- „ dam, prorogandamque decrevimus in aliud decen- „ nium, quod a die datæ præsentis Nostræ Apostolicæ „ Constitutionis est inchoandum.

Concedit prorogationem dispensationis ad aliud decennium a die datæ præsentium.

„ Ex quo fas est intelligere, non eam esse, aut fuis- „ se nostram, & Apostolicæ Sedis sententiam, quod „ scilicet nullus dispensationi locus esse possit in hujus- „ modi Sacrorum Rituum, & Sacramentalium materia, „ nec ulla dispensandi necessitas, aut sufficiens causa un- „ quam valeat allegari. Verum, quum ex rationibus „ superius allatis, nullo pacto permitti valeat, venera- „ biles adeo Ritus, ac traditum a Patribus, sancteque „ ab Ecclesia servatum hujusmodi Sacramentalium usum, „ penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut error- „ bus circa eadem inducendis, vel jam conceptis amplius „ confirmandis, occasionem præberi, idcirco omnibus „ dictorum Regnorum Missionariis districte præcipimus, „ ut hac dispensatione benigne a Nobis indulta, nonnisi „ certis in casibus, & cum gravis id necessitas postula- „ bit, de quo eorum conscientiam oneramus, utantur, „ nec nisi in prædictis casibus salivæ usum in administra- „ tione Baptismatis possint, omittere, & occultas ad- „ hibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos of- „ ferunt, in ea non sint opinione, ut credant salivam, „ atque insufflationes hujusmodi ineptam esse, atque in- „ decentem Sacramentalis Ritus materiam; qui enim „ adeo falsa, atque distorta persuasione imbuti essent, „ tamquam indigni, & incapaces Sacramenti Baptisma- „ tis licite suscipiendi, ab eo repellendi essent. Volu- „ mus, autem atque omnibus, & singulis prædictorum „ Regnorum Episcopis, & Missionariis in virtute sanctæ obe-

Præscribit Episcopis, & Missionariis quomodo ea uti debeant.

Et, ut Malabares in hac materia perperam opinantes ad Baptismum non admittant.

Atque interim eos instruere curent.

„ obedientiæ præcipimus, & expresse jubemus, ut & „ communibus studiis, atque consiliis, & singuli pro „ virili parte, intra præfinitum decennii tempus, omni- „ bus viribus, nervisque contendant, & quemadmodum „ fuerat eisdem a san. mem. Prædecessore Nostro impe- „ ratum, non intermissis laboribus assidue curent, ut „ ex illarum Gentium animis errorum tenebræ, male- „ sanæque opiniones, quibus obcæcantur, & miserrime „ detinentur, penitus discussæ, ac radicitus evulsæ eli- „ minentur. Ut vero indultum, prorogatumque a No- „ bis tempus Sanctissimis Romanæ Ecclesiæ cæremoniis „ prædictis, quæ tamdiu a Sede Apostolica commenda- „ tæ, atque inculcatæ fuerunt, facilius apud Nationes „ illas insinuandis vere conducat; utque ulterior hujus- „ modi Rituum prætermissio (quam tamen extra veræ „ necessitatis casus, ut supra, nullatenus *concessam*, „ aut licitam esse, iterum declaramus) *alendis Popu-* „ lorum erroribus, atque difficultatibus augendis, con- „ firmandisque ansam non præbeat; universis Gentium „ illarum Episcopis, & Missionariis prædictis notum esse „ volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, „ aut rationibus, quæ porrigi, proferrique unquam pos- „ sent, aliam denuo prorrogationem concessum iri.

Absque spe ulterioris dispensationis.

„ Ad tertium denique quod pertinet postulatum, „ ut nempe apertius, atque distinctius declaretur Decre- „ ti articulus, quo laudatus bon. mem. Carolus Thomas „ Cardinalis Turnonius sancivit, ut Missionarii ad Pareas „ ægrotantes, accedant, ut Sacramenta desiderantibus „ etiam domi administrent, ut denique *illis omnia præ-* „ stent spiritualia subsidia, quæ *Charitas*, *Religio*, & „ Officii ratio Evangelicis *Operariis nullo* discrimine, „ nulloque respectu, *Fidelibus* universis, adversa præ- „ sertim valetudine conflictatis, administranda præscri- „ bunt: nemo profecto non videt, quantumvis maximæ „ proponantur difficultates, in quas incurrere Missio- „ narii se posse dicunt, si huic præcepto tam justo, „ tam sancto parere velint, ferendum tamen „ nullo modo esse, quod Casas humiliorum hujusmodi „ hominum ex morbo decumbentium subire recusent, „ atque illos in summo etiam vitæ discrimine, aut Sacra- „ mentis omnino carere sinant, aut saltem eorundem „ per-

III. Decretum Cardinalis Turnonii circa Pareas justum, & necessarium declarat.

Digitized by Google

„ percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem
„ Nulla etenim apud Deum est personarum acceptio;
„ nec ullum despicere fas est eorum quos Unigenitus Dei
„ Filius per novam generationem sibi conjunctos, non
„ confunditur Fratres vocare; quin immo *elegit Deus in*
„ *hoc Mundo, divites in Fide, & hæredes Regni, quod*
„ *repromisit diligentibus se*. Quæ qui contemnunt, exho-
„ norantes pauperem, & Fratrem humilem confunden-
„ tes in humilitate sua hi porro longe nimis discedunt a
„ doctrina, & exemplo Christi Domini Salvatoris Nostri,
„ qui Nos non Divina tantum voce, sed magnis etiam,
„ atque illustribus factis edocuit, quanti apud Nos esse
„ debeant, qui pauperes, atque abjecti per Mundi insa-
„ niam vocantur; *Ecce enim*, ajebat S. Gregorius Pon-
„ tifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad Filium Re-*
„ *gali, & tamen venire paratus est ad salutem Servi.*
„ *Certe si nos cujuspiam Servus rogaret, ut ad eum ire de-*
„ *beremus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione*
„ *tacita responderet dicens: non eas, quia temetipsum*
„ *degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce*
„ *de Cœlo venit, qui Servo in terram occurrere non*
„ *despicit*.

Idque confirmat ex Sacris Scripturis, & Patribus.

„ Quare ut gravissimo huic malo remedium affe-
„ rent Prædecessores nostri Romani Pontifices Grego-
„ rius XV., Alexander VII., & Clemens IX. in suis
„ Apostolicis Literis die XXXI. Januarii anni MDCXXIII,
„ die XVIII. Januarii anni MDCLVIII., & die XIII. Se-
„ ptembris anni MDCLXIX. respective datis, omni ani-
„ morum contentione, atque zelo obtinere curarunt
„ (quod & Nos eorum vestigiis inhærentes summopere
„ optamus, & quantum in Domino possumus, districte
„ præcipimus, & mandamus), ut Nobiles cum Plebeis
„ in unam, eandemque Ecclesiam convenientes, una
„ simul Divini verbi pabulo reficerentur, & Ecclesiæ
„ Sacramenta reciperent, utque Missionarii Regnorum,
„ Provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii
„ memores, ita animo essent comparati, atque disposita,
„ ut non secus ac Nobilibus, abjectis quoque, & infi-
„ mæ sortis hominibus, in iis, quæ ad spiritualem eo-
„ rum profectum pertinent, præsto essent, illisque in
„ propriis etiam domibus, & si humillimis, ac Sordidis,

Prædecessorum super eo præcepta renovat, & nondum impleta dolet.

Digitized by Google

„ Sacrum Viaticum ministrare minime recusarent. At, „ quod maxime Nos angit, sive ob immodicum illum „ horrorem, quo claro genere nati infimæ Plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque, & gradu cadere sibi persuadeant (qui tamen horror cum sit Christi „ lege damnatus, e Christianorum animis omnino est „ eliminandus); sive ob patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, quibus Christiani in iis Regionibus subjecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit; „ frustra certe fuerunt Prædecessorum nostrorum consilia, paternæ exhortationes, præcepta demum, queis „ usi sunt, ut infimi hujus generis hominum conversioni, ac saluti procurandæ, quantum optaverant, plene consulerent, atque providerent.

Missionarii Societatis Jesu proponunt Pontifici se aliquos deputaturos ad præcipuam Parearum curam.

„ Cum vero & Nos, Christi Domini *documentis*, „ Prædecessorumque Nostrorum exemplo *excitati*, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eisdem Prædecessoribus nostris „ tantopere cordi fuit; opportune accidit, ut Societatis Jesu Missionarii, quorum villicationi Regnorum „ Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis Missiones „ potissimum concreditæ sunt, postquam declarari a „ Nobis articulum de Pareis postularunt, paratos se Nobis obtulerint, pollicitique sint, modo id Nos ipsi „ probaremus, certos aliquos delegare Missionarios, „ qui Pareis convertendis, dirigendisque præcipue dent „ operam. Quod quidem eorum consilium, quo Parearum conversioni, & saluti satis bene *consultum* fore confidimus, paterno gaudio *suscipientes*, *pro* temporum circumstantiis *probandum*, *commendandum*que esse duximus, *oblationisque Nobis* factæ, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Præposito Generali subscriptum in hujus Romanæ, atque Universalis „ Inquisitionis Tabularium referri, perpetuoque asservari mandamus.

Pontifex id probat.

Et charitatem erga omnes inculcat ex doctrina Apostoli & ipsius Christi.

„ Præmonemus itaque in primis Partium illarum „ Missionarios universos, ut quæ Apostolici eorum ministerii erga Fideles omnes ex Divina institutione potissimæ partes sunt, minime obliviscantur; ac serio perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei sunt, per Fi-

„ dem

„ dem quæ est in Christo Jesu, juxta doctrinam Apostoli, jam non est servus neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes unum sunt in Christo Jesu, quod ipse quoque Salvator noster a Deo Patre suo postulaverat pro omnibus, qui credituri erant per verbum Discipulorum in ipsum, rogans nimirum: *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in Nobis unum sint, ut credat Mundus, quia tu me misisti*; novos credentes instruant, oportere illos eo mutuæ charitas vinculo inter se se colligari ex qua veluti tessera, & Divini Filii ab æterno Patre missionem, & Christianæ Religionis veritatem facile Gentiles agnoscant.

Jubet deputari sufficientem numerum Missionariorum, qui Pareis assistant.

„ Deinde vero tot statim pro Pareis Missionarios deputari volumus, & præcipimus, quot necessarii, & reipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda, qui peculiari studio eorundem domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, eos invisendos, ac piis sermonibus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitæ discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniendos, absque Personarum, aut sexus exceptione. Ubi vero contigerit præfatos Missionarios ad Parearum curam præcipue deputatos, aut eorum aliquem, e vivis excedere, vel alio abire, alterum alterius loco continue subrogari mandamus, & intra spatium quinquennii a die datæ præsentium certissima, atque authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicæ Sedi reddi debere præcipimus. Quod si intra quinquennii spatium hujusmodi documenta reddita minime fuerint, vel iis redditis minime constiterit alios Missionarios ad præcipuam illam Parearum curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum, quos vel obiisse, vel alia de causa officio deesse contigerit: tum etiam, si intra spatium annorum decem omnes non fuissent adhibitæ diligentiæ, quæ tam a Prædecessoribus nostris, quam a Nobis ipsis superius præscriptæ sunt, ad evincendum, expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum insufflationes, atque Salivam in Sacramenti Baptismatis administratione, & susceptione, aversari

Et alios aliorum loco subrogari.

Et de hujus Decreti implemento doceri intra quinquennium, & de superiori intra decennium.

„ dicuntur: de quo tamen minime dubitare Nos finit fi-
„ lialis obedientia, quam ii præ cæteris Missionarii *in*
„ Apostolicam Sedem se profiteri gloriantur; aut deni-
„ que si omnes adhibitæ diligentiæ frustra cessissent:
„ quod secus fore confidimus, dum mentis nostræ ocu-
„ los ad Misericordiarum Patrem, totiusque consolatio-
„ nis Deum, cujus agitur causa, convertimus; *in* quem-
„ cumque eventum, ne Missiones illas tot *Virorum la-*
„ boribus, ac sanguine fundatas deferamus, a quo sane
„ longissime absumus; decernimus, & mandamus, ut
„ alii Missionarii sive sæculares, sive Regulares ex alio
„ cœtu, vel instituto, in ea Regna mittantur, ut expe-
„ riamur num Deus, cujus incomprehensibilia sunt judi-
„ cia, in aliorum Operariorum villicationem *divitias*
„ misericordiæ suæ effundere decreverit, *eorumque la-*
„ bore, atque industria illos fructus in *præfatis Regioni-*
„ bus, & Gentibus producere, quos Missionariorum *nunc*
„ ibi laborantium sudoribus, nulla licet ipsorum culpa,
„ vel omissione, consequi non potuerimus.

Alias novos Missionarios in ea Regna mittendos statuit.

„ Et quamquam confidimus prædictos Missionarios,
„ nunc & pro tempore ibi existentes, pro suo erga Apo-
„ stolicam Sedem obsequio, ab excitandis turbis alienos
„ futuros, nec ullum jussionibus Nostris obstaculum,
„ aut impedimentum allaturos, si dum ipsi in iis Regio-
„ nibus commorantur, eo novi Missionarii accederent,
„ ibique versarentur; tamen quoniam Apostolici mu-
„ neris id a Nobis ratio exigit, ut caveamus *pericula*,
„ quæ Christianæ charitati offendiculo esse possent; hinc
„ est, quod Societatis Jesu Missionariis, *qui in Madu-*
„ rensi, Mayssurensi, & Carnatensi *Regnis tunc erunt*,
„ virtute sanctæ obedientiæ *jubemus*, *atque præcipimus*,
„ ut quicumque casus ex *supradictis* evenerit, quo vel
„ omnia, vel aliqua ex his, quæ per præsentes Literas
„ Nostras circa præmissa decrevimus, & observari man-
„ davimus, intra præfinitum respective tempus, inte-
„ gre exacteque, ut par est, impleta non fuerint, sive
„ id ex eorum facto, sive ex omissione, sive ex prava,
„ & contra literalem earumdem præsentium sensum di-
„ storta mentis, & voluntatis nostræ interpretatione,
„ sive demum ex qualibet alia causa, etiam de necessitate
expri-

Et supradictos in Europam reverti jubet, sublata eisdem facultate exercendi Missiones.

Digitized by Google

„ exprimenda, id contigerit; statim, relictis prædicta-
„ rum Regionum Missionibus, quarum in iis Regnis
„ exercendarum, & quocumque titulo, etiam deputa-
„ torum ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut
„ simplicium suæ Religionis Presbyterorum, seu quoli-
„ bet alio colore prosequendarum, jure omni, officio,
„ & facultate ex eo tempore in posterum jam nunc eos a
„ Nobis privatos, & imminutos declaramus, atque ex
„ nunc prout ex tunc, & e contra, auctoritate Aposto-
„ lica, & earumdem præsentium tenore privamus, &
„ imminuimus, illico, non expectata alia nostra, & Se-
„ dis Apostolicæ declaratione, jussione, aut sententia,
„ in Europam revertantur, uberiores, ut speramus, in
„ hisce Partibus fructus relaturi.

„ Demum, etsi ii Missionarii, qui moderandas
„ censuras, dispensandum super insufflationum, & Sa-
„ livæ Ritu in Sacramento Baptismatis administrando,
„ atque articulum de Pareis declarandum postulaverunt,
„ nil difficultatis præsetulerint circa alia capita Decreti
„ prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Tournonii, & Apo-
„ stolicarum Literarum Clementis Papæ XII., quarum
„ initium *Compertum, exploratumque*; ex aliorum nihilo-
„ minus Literis ingenti Nostro dolore accepimus, ex
„ Missionariis alios esse, qui nulla habita interdicti a
„ præfato Cardinali Tournonio lati, amplissimeque a
„ Prædecessore nostro confirmati ratione, eo usque pro-
„ grediuntur, ut Christianis Mulieribus gestare permit-
„ tant monile collo suspensum, contracti tesseram Ma-
„ trimonii, quod Regionis illius lingua *Taly* denomi-
„ natum, effigiem quandam habet informem Idoli,
„ quod profanis earum Gentium nuptiis præsidere fer-
„ tur; ipsisque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis
„ nuptiæ celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco*
„ nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde
„ auspicia vel fausta, vel infausta desumant: Mulieribus
„ demum, cum mensibus detinentur, Templi accessu,
„ & salutari Pœnitentiæ Sacramento interdicant. Qua-
„ mobrem Nos animo reputantes quam sit execrandum,
„ Mulieres, illas, quæ sub Crucis vexillo militant, or-
„ natas incedere hujusmodi insignibus, quæ aut idolo-
„ latriam importent, aut de Gentilitatis superstitione
„ suspe-

Recensentur alii abusus in iis Missionibus, ut fertur, perseverantes.

Gestatio *Taly*

Fractio *Cocco*

Denegatio ingressus Ecclesiæ Mulieribus mensstruatis.

Digitized by Google

Iique damnantur.

„ suspecta sint, prout dubio procul est memoratum *Taly*, „ necessario proinde damnatum: quamque Christifideles „ dedeceat, ritus, cæremoniasque sequi, vel imitari, „ ethnicam superstitionem redolentes, qua certe non „ vacat illa nuptiarum tempore in prædictis Regionibus „ usitata præfati *Cocco* diffractio, quæ idcirco jure & me- „ rito pariter reprobata dignoscitur; quam denique *ju-* „ stum sit mensium tempore minime arcere Templis, & „ salutari Pœnitentiæ Sacramento fideles Mulieres, *quas* „ laudabili praxi admittit Ecclesia, Redemptoris vestigiis „ insistens, qui sanguinis fluxu loborantem non *abjecit:* „ *Si enim*, ut olim scripsit laudatus S. Gregorius Ma- „ gnus, *in sanguinis fluxu posita laudabiliter potuit Domi-* „ *ni vestimenta tangere, cur quæ menstruum sanguinis pa-* „ *titur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare?*

Et injungitur observantia, & executio Decretorum S. Sedis, quæ in omnibus confirmantur.

„ Hæc inquam reputantes, ac relatis & *minime fe-* „ rendis abusibus pro Apostolici muneris ratione *reme-* „ dium adhibere quammaxime cupientes, mandamus, „ & virtute sanctæ obedientiæ tenore præsentis nostræ „ Constitutionis perpetuæ legis vim habituræ jubemus, „ atque districte præcipimus universis Episcopis, atque „ omnibus, & singulis, tam Sæcularibus, quam Regu- „ laribus ex quocumque sint Ordine, Congregatione, „ Instituto, nominatimque ex Societate etiam Jesu, in „ Orientalium Indiarum Regnis Madurensi, Mayssuren- „ si, & Carnatensi existentibus Apostolicis Missionariis, „ ut omnia, & singula, quæ in supra insertis Clementis „ Papæ XII. Litteris, quarum initium *Compertum explo-* „ *ratumque*, quas etiam auctoritate *nostra*, *quatenus* „ opus sit, in omnibus & per omnia *approbamus*, con- „ firmamus, & innovamus, *contenta sunt*, tam quæ „ supradicta capita *respiciunt*, quam alia quæcumque „ per easdem Literas præscripta, & definita, ad eorum „ normam, quæ idem Prædecessor Noster alteris pari- „ ter superius insertis Apostolicis Litteris, incipientibus „ *Concredita nobis*, constituit, & sanxit, non solum ipsi „ pro virili parte integre, exacte, absolute, inviolabi- „ liter, perpetuoque observent, atque adimpleant, ve- „ rum etiam, quantum in ipsis est, ut ab universis Fide- „ libus, qui eorum curæ sunt concrediti, exacte ser- „ ventur, & impleantur, omni studio, ac viribus cu- „ rent, atque contendant. „ Deni-

Digitized by Google

„ Denique eosdem Episcopos, & Missionarios omnes rogamus, & obsecramus per Dominum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud sapientes, præter id, quod a Nobis, & a Prædecessoribus Nostris constitutum fuit, salutare Dei, quod per eorum ministerium Regionum istarum Gentibus missum est, pari zelo ac puritate propagare non intermittant; omnique studio dent operam, ut nedum in novellis Christifidelibus veteris hominis vestigia penitus expungantur, deleanturque, verum etiam quæcumque vel symbola vel imagines, aut figuræ, atque omnis demum species mala, ipsaque veluti umbra, & odor ethnicæ superstitionis ab ipsis eliminentur; illud cogitantes, ejusmodi cæremoniis, vanisque observationibus, quæ Idololatriæ reliquiæ sunt, earum Gentium animos inextricabilibus, veluti laqueis irretiri, ac vetustos ali, confirmarique errores, quibus misere detinebantur. Quod si aliquos Regionum illarum Fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut persecutiones, propter Ecclesiæ præceptorum, & Rituum observantiam, formidare conspexerint; illud ipsis illustre monitum, quod Sanctus Augustinus Ecclesiæ Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non desinant: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur*; quodque ad ipsos Evangelii præcones præcipue dictum esse dignoscitur: *Si quæritis unde ad vitam vocentur, deserite solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum*.

Adhortatio Pontificis ad Episcopos, & Missionarios.

„ Volumus autem atque decernimus, easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Missionarii, eorumque Procuratores, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capi-

Clausulæ efficaces pro omnimoda præsentium executione.

„ capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis,
„ enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tem-
„ pore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis
„ vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium
„ consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno,
„ & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, in-
„ dividuamque expressionem requirente defectu notari,
„ impugnari, infringi, invalidari, retractari, in con-
„ troversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu
„ adversus illas aperitionis oris, restitutionis in inte-
„ grum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ
„ remedium intentari, vel impetrari; sed ipsas præsen-
„ tes Literas semper firmas, validas, & efficaces existe-
„ re, & fore, quibuscumque juris, seu facti defectibus,
„ qui adversus illas, etiam quorumvis a Sede præfata
„ concessorum Privilegiorum prætextu, ad effectum
„ impediendi, seu retardandi earum executionem, quo-
„ vis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici pos-
„ sent, minime refragantibus, suos plenarios, & inte-
„ gros effectus sortiri, obtinere, easque propterea, om-
„ nibus, & singulis quomodolibet allatis, seu afferen-
„ dis impedimentis penitus, & omnino rejectis, acne-
„ quaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro
„ tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, &
„ inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmis-
„ sis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos,
„ etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere
„ Legatos, & præfatæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet
„ quacumque præeminentia, & potestate fungentes, &
„ functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter
„ judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate,
„ judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si se-
„ cus super his a quoquam quavis auctoritate scienter,
„ vel ignoranter contigerit attentari.

Aliter judicari, & interpretari prohibetur, cum Decreto irritanti.

„ Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit,
„ nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæ-
„ sito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Univer-
„ salibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis
„ editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, &
„ Ordinationibus; nec non quorumcumque Ordinum,
„ Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam
„ Jesu,

Cõtrariis quibuscumque derogatur.

Digitized by Google

„ Jesu, & quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet,
„ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel qua-
„ vis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,
„ ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, &
„ immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Li-
„ teris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, In-
„ stitutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis præ-
„ dictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantum-
„ vis sublimibus & specialissima mentione dignis, a Sede
„ prædicta ex quacumque causa, etiam per viam con-
„ tractus, & remunerationis, sub quibuscumque verbo-
„ rum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam de-
„ rogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ef-
„ ficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, &
„ aliis Decretis, etiam Motu, scientia, & potestatis ple-
„ nitudine similibus, seu ad quarumcumque Persona-
„ rum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mun-
„ dana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instan-
„ tiam, aut earum contemplatione, seu alias quomo-
„ dolibet in contrarium præmissorum concessis, editis,
„ factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus
„ approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omni-
„ bus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti dero-
„ gatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, spe-
„ cifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum,
„ non autem per clausulas generales idem importantes,
„ mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia ali-
„ qua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hu-
„ jusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omis-
„ so, & forma in illis tradita observata, exprimerentur,
„ & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter
„ expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore
„ permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dum-
„ taxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum
„ esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

„ Quia vero difficile foret, Literas hujusmodi ori-
„ ginales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter
„ & decernimus, illarum transumptis seu exemplis,
„ etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscri-
„ ptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate con-
„ stitutæ munitis, eandem prorsus fidem, tam in judicio,

Fides præstanda transumptis.

„ quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Tenor præsentium intimetur Superioribus Missionariorum, qui earum executionem promittant, & a Subditis exigant.

„ Insuper volumus, & expresse mandamus, ut eædem præsentes Literæ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus, & singulis memoratorum Missionariorum, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam suo, quam prædictorum eis respective Subditorum, seu inferiorum nomine, ipsas Literas fideliter exequi, & observare sponsionis hujusmodi in scriptis reddant; earum vero exempla prædicta, præter ea, quæ a Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, ad Episcopos prædictorum Regnorum, legitime publicanda, de mandato pariter nostro, transmittentur, iidem Superiores, aut Procuratores Generales pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos Subditos, seu Inferiores in Regnis supradictis degentes, cum arctissimis præceptis easdem Literas, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus & per omnia similiter exequendi, & observandi.

Earumque exempla ad illos transmittant cum opportunis præceptis.

Ipsæque præsentes semel publicatæ omnes afficiant.

„ Et nihilominus, quocumque modo earumdem præsentium exempla in prædictis Regnis legitime publicata fuerint, & promulgata, volumus, ut statim post hujusmodi publicationem, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiat, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Sanctio pœnalis.

„ Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, præceptorum, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pontificatus Ann. V. die 12. Septembr. 1744.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, pridie Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto. D. Card. Passionens.

At-

Digitized by Google

Atque hactenus SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio, super ritibus Malabaricis; qua quidem, optime consultum iri Ecclesiis illis, atque Missionibus, dum aliorum ipse Pontificum Sanctiones diligentissime introspiciendo meliora vidit, probavitque, nemo sane mentis inficias iverit. Nec ullus relinquitur dubitandi locus, quin cuncti, quibus illarum gentium instituendarum munus commissum est, suas partes sint adimpleturi; & quam maxime si Serenissimorum Regum, quos Deus Custodes, atque Protectores constituit Ecclesiæ, officia, ac exhortationes accesserint; quod quidem serio & efficacissime præstitisse Lusitanum Regem compertum est.

Inde autem maxima spes affulget, fore ut omnes Orientalium regionum Missionarios huic Constitutioni prompte alacriterque morem gerant; quod nimirum ut in ipsa Constitutione exprimitur §. *His ita constitutis* omnes Missionarii etiam ii qui pridem Card. Tournonii Decreto parere detrectaverant, fide jam data, Sacramento etiam interposito, exactam integram absolutamque observantiam literarum quæ incipiunt; *Compertum exploratumque; & Concredita Nobis*, plenissime promiserint; permissiones etiam quas vocant Patriarcha Alexandrini, procul rejecerint. Et quantumvis aliorum religiosorum Cœtuum Personæ, exempla a Sum. Pont. exacta, observantiæ Decretorum, ac propria manu subscripta, suis Superioribus Generalibus transmiserint, mihi tantum videre licuit, quæ a PP. Soc. Jesu transmissa sunt, & signanter ab existentibus Macai, Pekini, Su Cheu; ad oram Piscariæ in Malabaria, Meliaporis, in Madurey, in Regno Marravense in Cochinchina, in Regno Siamense & paucis aliis Malabariæ & Sinarum partibus, una cum Epistola P. Cajetani Barreto Provincialis Malabariæ, data Talæ 13 Augusti 1741. ad Reverendissimum P. Generalem cum qua transmittit illi, reliquas juramentorum formulas, quæ anno elapso ob locorum distantiam habere non potuerat, vel quia Missionariorum aliquos, Maratarum manus aufugientes, Silvæ tenebant.

Dum hæc ageremus atque ad finem properaret oratio, id certissimo testimonio comperimus, circumferri nempe inter Lemures, Onoscelios, aliosque malos genios, quos Orbis hujus literarii specus subterraneæ, identidem in lucem proferunt, scripticulam obscuro atque anonymo auctore, Idiomate Gallico exaratam, quæ hunc præsefert titulum: *Lettre sur la Bulle: Omnium sollicitudinum*: in qua casso labore evincere contendit auctor, Sum. Pontificem, in illa Constitutione, inter se pugnantia statuere. Primo quia, omnino præposterе decernit, ac temere, & nulla consequentia, quod Missionarii inobedientes, qui infra tempus præfinitum, jussa non impleverint, in Europam revertantur, ut uberiores fru-

Edita est hæc Epistola 25. Martii 1743.

ctus Missionum reportent, uti Pontifex sperat: qui autem fieri potest, ut ab hominibus refractariis & cerebrosis, aliquid bonæ frugis, aliter quam imprudentissime sperari possit? Id enim sibi repugnat. Secundo, eo quod dum eradicare intendit ab earum gentium animis, stultam opinationem, quod nempe nobilitate cadant, ex Parrearum attactu, simul designat Parreis peculiares Missionarios. Quo tamen quid repugnantius excogitari potest? Ista enim sanctione potius ampliusque sibi persuadebunt Nobiles illi, se Biruma satos Deo, dum eorum separationem, ab ignobilissimis Parreis, Missionarii approbant, atque fovent. Hæc summatim.

Quoniam tamen nobis, nec otium nec opportunitas est, ista pro dignitate tractandi, hanc spartham aliis relinquimus; interim tamen, ne nihil reponamus, ejusmodi hominibus, quibus a Republica Literaria optime constituta, jure merito usus calami interdicendus erat; ratiunculas illas, *strictim tamen*, expendimus. Nec memorandum a nobis *est, eas præferre* illam prærancidam cantionem de Bullomachia, *inter* morologos omnes solennissimam; nec enim novum hoc ingenii ostentum, aliquid novi affert.

Igitur Constitutio illa BENEDICTI XIV fel. reg. sibi per omnia constat, sibique in omnibus similis quaquaversum probatur: pugnantia nulla habet; variationes nullas sustinet, circa dogmata; sed depositum Fidei illibatum Sum. Pontifex custodit, ac profert: quoad Disciplinam vero, etsi variationem aliquam induceret, id vitio dari non posset, Dispensatori Œconomico, & prudenti Ecclesiæ; enim vero discrimen hoc, inter Dogmata & Disciplinam, Christus ipse, Ecclesiæ suæ Conditor atque Institutor, exacte observandum Petro, suo Vicario, & Successoribus proposuerat, vario illo schemate, quo Ecclesiam, ejusque regimen, adumbravit; Ecclesiæ enim fidem ejusque dogmata, in modum *munitissimi* & immobilis ædificii, fundata esse declaravit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: idest *nulli varietati*, aut novæ alterius hominis legis *mobilitati obnoxia*; contra, cum Ecclesiæ ejusdem moderamina Petro commisit, paradigmata duplicis rei ob oculos posuit, quarum usus atque ministerium, sola mobilitate atque vertibilitate recte constare potest; commisit enim illi *Naviculam* quæ hac & illac, per diversa, immo & contraria itinera, eadem perseverans, modo remis, modo carbaso, it reditque, metitur etiam viam, quam postea, vi contrarii ventus forte remetitur; tradidit etiam illi *claves*, quæ nisi quaquaversum rotentur, atque circumagantur, claudendi, vel recludendi facultas, cui destinatæ sunt omnino torpet; obtulit ergo Summo Pastori, mobiles regiminis claves, non clavos, qui semel infixi, ægre admodum resi-

Digitized by Google

refiguntur. Tamen nec in ea ipsa quam diximus disciplina, varium se se exhibuisse, Sum. Pontificem nisi per summam injuriam, asseverari valet.

Quod igitur in Europam revocet Missionarios rebelles & refractarios spe fructus uberioris, falsissimum est; id enim tantum agit piissimus Pontifex, Christi exemplo; relinquit nempe illas arbores, alio & alio anno *expectans fructum ex illis*; quia tamen spes illa frustrari posset, primo *quia adhibitæ non fuerunt omnes diligentiæ*; secundo, *vel quia adhibitæ, frustra cessissent*: vel tandem quacumque ex causis supradictis mandata, *impleta non fuerint, sive id ex eorum facto, omissione, aut prava interpretatione evenerit*: tunc, Missionarios illos, in Europam revocat, uberiores fructus in ea relaturos. Cum ergo plures ibi Pontifex, causas memoret, ob quas Missionarii expectatum fructum fortasse non ferent; quarum aliquæ, citra ipsorum culpam evenire possunt, de iis tantum accommoda distributione facta, intelligi debet Constitutio, ut expresse habetur *pag.* 500. *Nulla licet ipsorum culpa, vel omissione*: non vero de refractariis, qui data opera rebelles extiterint: in hoc autem nec levissima umbra incohærentiæ apparet, immo benignitas splendet Summi Pastoris, ac Patris, qui ut certum sibi persuadet, nullum ex evocandis, sua culpa, fructu vacuum rediturum esse. Quamquam ut verum fateamur, nescimus quare, vel a refractariis, aliquid divina inspirante gratia boni sperari non possit, cum etiam ipsi, mutabilitati, ac varietati obnoxii sint. Immo prudentissime Sum. Pontifex, ex ipsa loci mutatione, animorum quoque mutationem sibi pollicetur; in Europam enim revertentes, æmulationis æstus quo apud Indos, refractarii illi agitabantur, posito jam fomite, detumescet; regulari insuper disciplinæ, propriis etiam Moderatoribus subjacebunt, qui eosdem qua monitionibus, qua punitionibus, si opus erit, aut errantes corrigent, aut cadentes erigent. In Europam tandem redeuntes, Summi Pastoris & benignitatem, & æquitatem e proximo intuebuntur, cujus vel amore vel timore ducti, licentiosum illud agendi modum, sensim deponent. Neque gratis asserimus, ac speramus non modo Missionarios illos, sed etiam perfugas apud Batavos &c. in meliorem mentem reditros, si iis tribus gauderent; nimirum nativo Cœlo, proprio Magistratu, & Summi Pontificis umbra.

Vide §. *Deinde* supra pag. 499. Vid. superius pag. 500. §. *Et quamquam*.

Quod vero secundo loco intendebat auctor libelli circa Parreas, nullam item inconsequentiam involvit, cum separatio illa a Nobilibus, & deputatio particularis Ministri pro solis Parreis, ibi non præcipiatur, sed mere toleratur ad tempus præfinitum; immo ex hoc facile animadvertere poterunt Nobiles, ejusmodi separationem vanam esse; quam non men-

nisi molestissime, & omnino repugnantes vix autne vix quidem, etiam ad breve tempus tolerant, & permittunt, Papa & Missionarii. Ut autem penitus patefiat, maxima cum circumspectione id disposuisse Pontificem, nec aliquo pacto a Missionariis circumventum (quod impudenter diceretur) satis erit ostendere, non aliud nec aliter in casu de quo agitur, rem componere tentasse, homines ab studio partium alienissimos; tum & præcipue eo tempore, quo contentiones & controversiæ de iis rebus, nondum emerserant. Hoc autem a *seculo* cum dimidio, Patres Concilii Diamperitani, jam statuerant, & quidem homines Syri, qui ea separatione nullum sibi lucrum temporale poterant polliceri; immo laxiori forma hæc omnia præscripserant: etenim *Act.8. Decr.36.* ut sup. *pag.245.* hanc rem discutientes decreverunt, quod cum aliqui ex Parreis ad fidem accesserit: *ipsis separatam Ecclesiam & particularem Ministrum Sacramentorum, assignet.* (Præsul) & quod majus est: *Quamdiu vero* (ajunt) *peculiare pro illis Templum non extruitur, Sacro e porticibus* (Ecclesiarum) *assistant.* Nec præfinitum ad id quinque vel decem annorum tempus præfiniunt ut Papa; sed longum, & indefinitum; *Quousque ab Ethnicis Regibus, movente Deo eorum corda non impetretur*; & Lusitanum: *Ate que nosso Senhor proveja com algum milhor tempo* id est: Quosque Deus aliter non disponat. Porro non adeo laxo modo se gerit Pontifex; tempus enim prefinit, terminum dispensationis, & tolerantiæ imponit, atque ulterioris tolerantiæ spem omnino tollit; quodque majus est: non deputat Papa, pro solis Parreis, Missionarios illos (ut decreverat Synodus) ita ut illos a Nobilibus abstrahat, sed mere commendat, ut supra *pag.498. & 499. quod, pro temporum circumstantiis, peculiariter, & præcipue, Parreis convertendis dent operam.* Vox autem ea: *Præcipue*; Græce μαλιστα, quæ idem est ac; *Ante alia*, innuit; ipsis commendatos esse Parreas *primum*; *secundo* autem loco, Nobiles. Nihil ergo *inconsequens, nihil absurdum*, nihil inconcinnum, quoad *illa duo*, *in laudata* Constitutione, Summi Pontificis *accuratissima* solicitudo disposuit. Nec aliam præposteræ interpretationis suæ auctor libelli excusationem, ejusve alucinationis rationem, obtendere poterit, qua pugnantia tot atque repugnantia in laudata Constitutione reperit, præter hanc tripartitam; *vel* quod ipse re vera pugnantia, dum eam percurrebat intra cerebrum suum habuerit; vel quod dormitando & desultorie legerit; vel tandem quod cum de gentibus Orientalibus ageret Constitutio, ex præjudicata opinione putaverit, eam ut illis altius imprimeretur, exaratam esse Idiomate Tamulico, aut Pampamganico; aliter si latino scriptam esse novisset, a conscribendis hujusmodi ineptiis plane temperasset.

SYL-

Digitized by Google

SYLLABUS

Vocum exoticarum ex Hebraico, Syriaco, Græco, Arabico, Malabarico, & Lusitano.

ALfandega est vox Arabica, derivata a Græco πανδοχειον quod est diversorium sive taberna meritoria; Italice *Albergo*; Hispanice *Meson*. Lusitani vero Malabarenses, pro Telonio vulgo *Dogana* eam usurpasse videtur.

Algorismus est vox ex Arabico derivata, & significat supputationis certam formam, ex Algebræ regulis desumtam.

Amolcos, seu Amolci, & Amouchi vocantur Ethnici illi Malabarenses, qui ex privilegio Imperatoris Xaran Perumal, in tutamen, & defensionem Christianorum S. Thomæ jurejurando interposito, sese adscribunt; quod officii genus plerumque a Patribus in filios derivatur; ita fit ut nulla Christianorum extet Ecclesia, pagus nullus, qui ejusmodi Amolcos non habeat, qui adversus quoscumque etiam Reges, Christianorum immunitates tectas sartasque conservent ab omni injuria. Quam si illis irrogari aliquando contingat a Rege, aulam ipsius primo adeunt Amolci, atque in detestationem illatæ injuriæ brachia, crura aliasque suorum corporum partes, propriis cultris scindunt, atque suum profundentes sanguinem, idem cum illis se facturos testantur, qui Christianis fuere injurii, nisi resipiscant & iis satisfactio exhibeatur condigna; quod si secus fiat regiam invadunt & quoscumque obvios etiam Regem trucidant. Vide plura apud Vinc. Mar. a S. Catharina *Lib. 2. cap. 5. pag. 154. & seq.*

Bazar vox est Arabica, quæ significat Forum: Italice *Fiera*, aut *Mercato* Malabarenses vero pro pago, & oppidulo eam accipiunt.

Cassanar vox est Syro-Malabarica, ex *Cassa* Presbyter, & *Nar*, sive *Nair* nobilis, aut honestus Vir, quasi Nobilis Presbyter.

Casture vocatur a Christianis Sancti Thomæ genus quoddam pacificæ salutationis, quod est tanquam tessera Christianæ communionis; cujus ritus is est, ut sibi invicem pacem apprecantes in Ecclesia constituti, aut Choro, manus apprehendant, & vel indicem deosculent, aut ab exhibente *Casture* benedictionem accipiant. Vide hic *pag. 184.*

Chammaz aut Chammas est vox Syriaca, & sonat *Ministrum* sacrum, seu *Diaconum*, ex Syriaco enim Sciameso, fit *Sciammascin*, vel *Sciammas* Diaconus. In Hebraico etiam ejusdem ferme est significationis שמש *Sciammasc* enim significat Ministrum Scholæ, seu Synagogæ qui varia ibi munera exercet, lecturo enim libros præparat, atque porrigit, lychnos accendit &c. Vid. *pag. 42.*

Cha-

Charinarias, vox infima Lusitana atque obsoleta, cujus certam significationem frustra quæsivimus; derivari tamen apparet a *Chatim*, quod Mercatorum genus, sordidorum tamen forte significat. Fortassis etiam radicem agnoscit Malabaricam: *Cetti* enim Mercatorem scruta resque viles vendentem significat; cui tamen desinentia in *las* ex Lusitano Idiomate accessit, quæ Malabarico Idiomati non convenit.

Chatta quæ etiam dicitur *Ceruta* est vox Malabarica, qua significatur convivium quod fit pro Defunctis dum pro illis justa fiunt: de quo vide Mar. a S. Cathar. *lib.2. cap.6.* & hic *pag.226.* Vox autem *Chatta* Idiomate Malabarico, aliquid dulce, aut Sacharo conditum ad esum spectans denotat, unde translate de convivio pro mortuis usurpata esse videtur. Legimus etiam in Canonibus Joannis Patriarchæ Nestorianorum *Can.3.* nominari *Xatham* farinam subactam in panis consecrandi usum: *Qui Xatham miscent Sacerdotes sint, aut Diaconi*, id est qui farinam aqua subigunt, oleum, ac salem pro Nestorianorum more immiscentes, ut ex ea fiat panis consecrandus.

Caliconu: vide *Taliconu* cujus significato hæc vox omnino convenit, præterquam quod *Cali* Malabarice significat Juvenculum, & *Kunnu* quamdam formam gibbosam instar boleti; unde Kalikunnu idem est ac invenculus gibbosus, & curvus, cujus figura aliquod Idolum Malabarenses designabant.

Caloete vox est Indico-Malabarica & significat patibulum, palo terræ infixo, quo a postica ad ventrem facinorosi transfiguntur.

Capiar significat infimos Templi Ministros sordibus everrendis aliisque hujusmodi muneribus addictos. Vide hic *pag.230.*

Cruzados vox Lusitana qua significatur species monetæ, ponderans aut æquivalens quinque Paulis Romanis & sex bajocis, seu obolis. vide hic *pag.199.*

Empolleare est ab aliquo Pollea, aut Parrea, attactu contaminari; ex adverso; *Desempolleare* est ab ejusmodi immunditia, sive lavacris, sive alio modo purgari.

Fanon est vox Malabarico-Lusitana; Idioma enim Malabaricum caret litera *F.* Unde derivari videtur a voce *Pannam*, qua significatur genus parvæ monetæ argenteæ; quarum septuaginta, plus minusve, æquivalent nummo aureo Veneto; aut juxta alios Regali Hispano. Vide hic *p.161.*

Iti vox Malabarica quæ officii causa nomini proprio nobilium præponitur, & æquivalet Gallico *Monsieur*, & Hispano *Don*.

Juncon vectigal, aut multæ genus, quo Reges Malabarici subditos aliquando gravant.

Lascares dicuntur Mercatores sive mercimonium exercentes.

Mapula est vox Malabarica, & valet idem, ac honestus, gravis aut nobilis. Vide Joseph a S. Maria *Itiner.2. in Ind. pag.107.*

Mar est vox Syriaca, quæ honoris gratia, proprio nomini præponi solet, & respondet Hispanorum *Don*, & Italorum *Signore*; quo nomine præter cœlites, donantur etiam Præsules, & Episcopi apud Syros.

Mete-

Digitized by Google

Meteran & Meteranes ab Indis Episcopi vocantur; quæ vox videtur, Lusitano-Malabarica, a voce Malabarica *Medran*, & in plurale *Medrannar*, qua designantur Episcopi. Etiam reperitur Malabaricum *Melttaran*, quod significat modum, rectitudinem, classim & ordinem superiorem, quod quidem Episcopis convenit. Potest etiam esse vox Arabica *Metran*, quam habent Arabes a Græca *Metropolita*.

Mononoibo idem est ac *Munnanonba*, vel *Munnanonna*, & significat *triduanum jejunium*, quod apud Malabaricos, alio nomine *Jonæ jejunium* appellatur; componitur enim ex *Munna*, qui est numerus ternarius & ex *Nojerba*, quod est jejunium; Lusitana autem corrupta voce dicebatur *Mononoibo*.

Nair est excellentior post Bracmanes conditio ac status hominum, qua voce Nobiles significantur; quæ vox derivata videtur a radice Hebraica נזר *Nazir* & *Nazar* unde ab aliis *separari*, *distingui speciali munere sive charactere*, *Dignitate*, *voto*, *aut Religione*. Plura de Nairibus habet Vinc. Mar. a S. Cathar. *lib.* 3. *cap.* 10. Vide *nostræ Syn. Histor. pag.* 51.

Nele est leguminis sicci genus apud Malabaricos usitatum.

Nercha vox Malabarica est, & significat sponsionem, seu votum parandi fidelibus in Ecclesia convivium, vel etiam convivium ipsum: quo pacto instruatur in solennitatibus Ecclesiæ & in Nuptiis vide hic *pag.* 226.

Olla est Diploma, seu scriptura, ubi loco cartæ in palmæ foliis stylo, aut potius celte inscribuntur literæ, apud Malabarenses, cujus specimen in Bibliotheca nostra Angelica Urbis asservatur. Vide hic *pag.* 40.

Ona est vox qua Ethnici Malabariæ quoddam festum in honorem Dei Visnu celebratum significant. Vide hic *pag.* 251.

Orraca liquor est inter poculenta celebris apud Malabares spiritui vini persimilis, qui non secus, ac istud temulentiam inducit. Dicitur etiam *Arrach*, atque medio stillatorio igne elicitur ex succo Nucis Indicæ aut *Cocco*. Vide hic. *pag.* 261.

Pagode duplicem sortitur significationem; primo enim denotat Idolorum Templum, seu Fanum; deinde Idola ipsa.

Pardaos est vox Lusitana in Malabariam a Lusitanis primo appulsu inductam, qua vilissimum monetæ genus significatur. Vide hic *pag.* 161.

Panicales vocantur a Malabarensibus Lanistæ, seu illi qui armorum tractandorum arti, aut studio præsunt; etenim vox Malabarica *Pannikken* significat Magistrum, seu Instructorem luctæ, Militem etiam Regium, & Præfectum operis, seu Inspectorem; cum vero luctæ Magistrum significat, potissimum scribitur *Pannikkara*, e qua voce deductum est *Panical*. Isti Panicales qui frequenter ultra novem millia Discipulorum enumerant, maximo in pretio habentur, adeo ut nobiles cuncti, suos Panicales, honore Regibus digno, prosequantur, atque ad eorum nutum arma capessant; qua de causa etiam ipsis Regibus, sunt

Digitized by Google

quandoque terrori. Vid. Gouv. *Itin. Menes. fol.* 28. *col.* 2. & 3.

Parisman, ita appellatur atque inscribitur Liber, qui Nestorianis Malabarensibus erat in usu veneficiis refertus; alias *Medicina Persica*. Et quamquam non sit vox Malabarica, ut videtur, analogicam tamen Malabaricam radicem sortiri potuisset, ex radicali *Pavvi* & *Man*; unde fit *Pavviman*, vel *Parriman*; quod idem valet, ac *Cervus vindicans mortem*; aut etiam *Parrizman*, quod *defensionem*, seu *Scutum* significat.

Polleas, Pulias, aut Parreas est ignobilium hominum genus, qua voce ceteræ abjectæ stirpes significantur; V. G. qui terram sarriunt, palmeta excolunt &c. De quo vide Vinc. Mar. a S. Cathar. *lib.* 3 *cap.* 13.

Sumbaya est obsequii forma qua Ethnici Malabarenses Deos colunt, atque Præceptores, seu Magistros, præcipue juvenes ludum literarium ingredientes. Vide hic *pag.* 92. & Vinc. Mar. a S. Cathar. *lib.* 3. *cap.* 20.

Taliconu dupliciter scribitur Malabarice *Tallikkunnu* quod est *Verberandum tradere*; aut alio modo, *Ore aspergere*. Si vero non verbum, sed nomen substantivum sit (quod tamen in fine exigebat literam, *M.*) *Taliconu* erit nomen compositum ex *Tali*, & *Kunnu*. *Tali* autem est genus quodam Idoli præsertim aurei, de quo jactant nuptiis præesse, atque amorem conciliare; ac propterea illud instar unionis e collo appensum gestant uxoratæ feminæ. *Kunnu* est figura quædam, ad instar Boleti, seu fungi boletici; quæ exprimit & denominationem indit, ipsi figuræ supradicti Idoli; & hoc modo, *Talikkunnu*, est quodam Idolum veluti Boletus parvus, vel parva figura gibbosa, ad modum unionis e collo mulierum uxoratarum appensa.

Tarega vox Lusitana antiqua, cujus significatio obscura est: ea tamen exprimi videtur qui negotiationi, atque contractibus dat operam; aut qui vadimonium pro aliquo gerit.

Toliconum, Alliconum, *Belliconun*, & Conun; vide voces *Taliconu* & *Caliconu*; ea autem omnes, aliquam Idoli figuram gibberosam significare videntur.

Tones genus est Cymbæ a nostris prorsus absimile, remos quippe tantum habet binos, *non ad latera sed unum in puppi in prora alterum*, constat etiam carbaso ut *ceteri Lembi*; nec Malabarice invenitur nisi in numero plurali.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM TOTIUS OPERIS
IN QUO

Arabicus numerus Paginam, Romanus Paragraphum, Alphabethi vero literæ notas designant.

A

ABdiæ Babylonici Historia certaminis Apostolici. 346. XIII. Ante ipsius ætatem falso plura de Apostolis circumferebantur. 347. XIV.

Abortus ejusque causa 227. *a.*

Abstinentia à carnibus die Sabbati. 229. CCXV. *a.*

Adam. Omnes ejus peccato nascimur iræ filii. 77. XXV. Baptismate deletur. *ibid.*

Addaeus, sive Thaddæus S. Thomæ Discipulus. 423. CXX.

Adoptio ab iis, qui filios naturales habent, fieri prohibetur 263. CCLXII. Quibus conditionibus admittenda ab Episcopo. 264. CCLXIII.

Adulti. Quid in eos agendum cum ad Christianam Religionem accedunt. 125. LXXXV.

Ahatalla, sive Theodorus ad Christianos Indos missus a Patriarcha Coptorum. 441. & 442.

Alexander de Campo Indus Episcopus Megarensis. 441.

Alburquerque. Vide Joannes Aliares Petrus. 385. LXVI.

Ambrosius de Montecœli Ordinis Prædicatorum suffraganeus designatus Mar Josephi II. 437.

America antiquis non ignota. 345. *a.*

Angli, & Batavi Missionarios suos in Indiam mittunt, sed parum feliciter. 430. CXXVI.

Anima hominis non ex traduce; sed Deus eam creat, & homini infunditur. 77. XXV. Bonum Animæ, qui post Baptismum nullius Criminis rei, vel pœnitentiam egerunt integra satisfactione, statim Deo fruuntur. *ibidem.* XXVI.

Animarum transmigrationem inepte putabant Malabarenses. 84. XXXVII.

Animarum cura etiam per Vicarios amobibiles exerceri potest. 218. CCII. *a.*

Antiochenus Patriarcha, Indiarum Christianis Episcopos designabat, eosque exteros. 245.

Aqua vino mixta in Sacrificio Eucharistiæ, quid significet. 136. XCVII.

Aqua lustralis, sive benedicta, ejusq; effectus. 230. CCXVIII. *b.*

Aras non rite consecrabant Episcopi Babylonici Malabarenses, eas per Ecclesiam septies circumferendo. 41. IV.

Arcæ humo traditæ pro servanda fidelium eleemosyna in qualibet Ecclesia. 57. III.

Archidiaconatus unica dignitas in

Digitized by Google

Ecclesia Angamallensi, quam, qui suscipiebat, nonnisi Episcopi, Cleri, & Populi suffragiis eligebatur. 19. a.
Asmedeus, sive Smidæus, sive Sagamus Rex Indorum. 361.
Assemanus, Custos Vaticanæ Bibliothecæ. Vide notas, in quibus laudibus extollitur sæpissime.
Auspicia observari prohibetur. 188. CLXVII. a. & 214. CXCVII. a. b.
Aures perforare nemo debet mulierum more.

B

BAptismatis Sacramentum. 115. LXXI. Eo renascimur filii gratiæ. 116. Ejus forma. Minister hujusque intentio. Baptismatis vis, & effectus. *ibid.* & 121. LXXVIII.
Baptismatum genera. *ibid. b.*
Baptismi tempus protrahebatur juxta Babyloniorum morem, non vero Nestorianorum. 120. b.
Baptismi Minister apud Nestorianos solus Presbyter. 121.
Baptismatis forma cum conditione proferenda. 122. LXXIX. a.
Baptizandi omnes indiscriminatim. 130. XC.
Baptismus prius masculo, postea fœminæ conferendus, nisi aliter necessitas moneat. 130. a.
Baptismus quomodo in Belgio ab hæreticis confertur. 174. b.
Baptizandis imponenda sunt Sanctorum nomina in Martyrologio Romano descripta. 460.
Bartoldo P. Carolus Michal, Missionarius ad Sinas. 459. Vide Bouchet.
Batavi Coulanum, Cranganorem, & Cochinum obsident. 441.
Beguardorum error: 86. a.
Bohemerus-Justus Henningius, & Petrus Giamone perperam sæcularium litium cognitionem ab Episcopis auferre tentant. 62. a.
Beliartes primus Christianorum S. Thomæ Rex eligitur. 4. a.
Benedictus P. Petrus laudatur. 137. a.
Bohemerus-Justus Henningius reprehenditur. 62. a.
Bouchet. P. Venantius Missionarius apud Sinas. 459. Eo audito cum P. Bartoldo oretenus & in scriptis, Emi Card. Tournonius Decretum edidit de Ritibus Sinensibus. 460.
Britto Stephanus Soc. Jesu. 439.

C

CAdamustus Aloysius Venetus. 385. LXV.
Cæremoniæ nuptiales apud Sinas superstitionibus refertæ omnino prohibentur. 461.
Calices ex qua materia ad usum Sacrificii. 158. Ex qua materia apud veteres. *ibid. a.*
Calliana Sedes Archiepiscopalis. 424. CXXI. Etiam Metropolitica ea fuit. *ibid.* CXXII.
Caloete - Instrumentum ad reorum supplicium. 33. §. V.
Camballe, sive Cambalu Civitas. 343., & 344. X.
Caracteris in Sacramentis vocabulum priscis Patribus incompertum. 412. CV.
Cassanarii aliique Christiani Indi erubescunt fidei professionem emittere coram Lusitanis. 47. I.
Cassanarius unus duabus Ecclesiis non præficiendus. 218. CCII. b. c.
Castitas, & Continentia perpetuo ser-

servanda ab iis, qui Sacros Ordines suscipiunt. 181., & 192. CLXXIV. *a.*
Catalani. Josephus Presbyter V.Cl. laudatur. 382. LXII.
Catatiarae quæ fuerint, & honos, quem Synodus ipsis decrevit. 195. CLXXVII. *a.*
Causas Matrimoniales Ecclesia sola cognoscere potest. 212. CXCIV. *a.*
Chaldæorum Baptisma. 118. *a.*
Christiani Indi capta Meliapore, & sæviente in eos persecutione, plures petunt Regiones, ubi tutius vivant. III.
Christiani Indi peculiaribus legibus a ceteris subditis suorum Regum vivebant. 41. III. Solis Episcopis subdebantur. *ibid.*
Christianorum Malabarensium plurima privilegia. 3. III.
Christianus omnis quæ scire debeat. 417. CXIII. *b.*
Cinerum ex vaccæ stercore usus prohibetur. 464.
Cinerum benedictio. 228. CCXIV. *a.*
Circumstantiæ in confessione manifestandæ. 62. CXXX.
Citei, sive Citiæi, qui, & unde. 349. XVIII.
Clerici Sæcularia negocia suscipere non debent, nec mercaturam exercere. 190. CLXXI. 191. Nec Principum stipendiis militare. *ibid.*
Clericorum vestes, earumque usus. 190.
Clericis in Sacris constitutis prohibetur uxorem ducere. 194. CLXXV.
Cochimensis Regio duplex. 2. I.
Cochimensis Rex in partem bonorum Christianorum esse tentat tamquam unus ex defuncti filiis. 46. VIII. Ab hoc tributo libertatem habere curant Christiani clientela Regis Lusitani. *ibid.*
Cognationis impedimentum quinam possint solvere. 209. CXCI. Quando id fiat ex Ecclesiæ benignitate. *ibid. a.*
Christiana Religio apud Indos ante Nestorium 380.
Colubri Cucullati præsentissimum virus. Ejus generis tres species. 20. 21. *a.*
Confessionis præceptum subest quoties in vitæ discrimine quisquam est constitutus. 168. CXLI.
Confessio non omittenda semel in anno absque peccato ab iis, qui rationis usu non carent. 164. CXXXVII. Præceptum Ecclesiæ est, quod innititur Divino mandato. 165. Ut præcepto huic satisfiat, quid præstare debeant Ecclesiarum Vicarii 166. CXXXVIII. Cetera vide Pœnitentiæ Sacramentum.
Confirmationis Sacramentum a Christo D. institutum. Confert gratiam. 131. XCIII. Aliud a Baptismo *ibid. a.* Ejus materia. Forma. Minister. Sola manuum impositione ab Apostolis conferebatur. 132. Illud ignorabant Nestoriani. 133. *a.* Qua ætate suscipiendum. *ibid.* XCIV.
Concubinam habentes a communicatione arcendi. 256. CCLII. *a.*
Confessus in Synodo. 67. III.
Continentia Ecclesiasticorum a primis Ecclesiæ seculis. 408. *c.*
Contritio perfecta non est sine confessionis proposito. 162. CXXXV. Cetera vide Pœnitentiæ Sacramentum.
Contactus ignobilium apud Malabares quomodo servandus. 249. CCXLII. Vide appositam notam *ibid. a.*

Con-

Digitized by Google

Conventio Christianorum S. Thomæ. 446.
Convocatio ad Synodum 40. II.
Conversio Infidelium ad fidem omnibus modis curari debet. 343. CCXXXV.
Cosmas Indico-pleustes primus Christianorum Indorum meminit. 381.
Corporum resurrectio novissima Judicii die: & quomodo. 78. XXVIII.
Coulam quo anno condita. 5. a.
Coulan Civitas fundata anno 825. ex Vischerio. 435.
Cranganoris Rex cum Menesio alloquitur de intermisso bello. 38. VI.
Crozæus reprehenditur. 90. a. 120. a. Vide dissertationem IV.
Crux marmorea S. Thomæ. 223. a.
Custodia in homines Angelorum. 80. XXXII.
S. Cyrillus Alexandrinus perperam impetitus a Nestorianis, & a recenti scriptore. 106. a.

D

DEfunctorum cadavera quomodo telluri tradenda, & qua Christiana charitate. 242. CCXXXII. & seq.
Denunciationes Matrimonio præmittendæ in Ecclesia. 205. CLXXXVI.
Desipere, sed leviter, quando liceat. 422. CXIX.
Diaconissæ Orientalis Ecclesiæ, earumque munus. 409.
Dialecticæ utilitas, & usus opportunus. 413. CVI. Ejus Osores. 414. a.
Didacus ab Annunciatione. Archiepiscopus Cranganorensis. 445.
Dimissoriæ. 155.
Doctrina Christiana omnes, & præsertim pueri instruendi. 23. CCXVIII.
Dotis decima assignatur Ecclesiæ a Malabaricis. 258. CCLV.

E

ECclesiarum Christianorum S. Thomæ Topographica notitia. 428.
Ecclesiarum nitor, munditiis, ornamentum, cultus, & cura. 239. CCXXVIII. & seqq.
Ecclesiastici a primævis Ecclesiæ temporibus Judicium ferebant de negociis sæcularium. 62. a.
Electi quidam ex honestioribus, qui jus dicerent juxta patrias Indorum Malabarensium leges. 54. IV.
Episcopi apud Indos supremam tenent in Christianos auctoritatem, excepta pœna capitis. 431. CXXVII.
Episcopi judices Christianorum tam in rebus Ecclesiæ, quam sæculi. 258. CCLVI. a.
Epistola Caii Sum. Pontif. suppositicia. 26. II.
Epistola Dominica suppositicia. 26. a.
Epistola Episcopi de Cochim, ad Synodum. 276.
Epocha Malabarensium a fundatione Urbis Coulam. 4. IV.
Eucharistiæ Sacramentum. Dignitate primum inter cetera. Jesu Christi in eo præsentia. Ab eo fuit institutum. Memoria Passionis ejus. Materia. 136. XCVII. Ejus forma sunt verba Christi. Minister. Effectus. 137. Lenimentum, & ærumnarum solatium.

Digitized by Google

tium. Amoris pignus. 138. Semel in anno suscipiendum. 138. XCIX. Olim infantibus dabatur. Jejune sumendum. *ibid. b.* & 140. CI. *a.*

Eucharistiæ Sacramentum absque prævia confessione non suscipiendum. 139. *c.* Publicis peccatoribus non conferendum. *ib.* Sumendum quoties mortis periculum imminet, præsertim ab ægrotis. Ideo viaticum nuncupatur. 141. A mulieribus etiam proxime parituris. *ibid.* CIII. *a.*

Examen tum scientiæ cum morum præmittendum eorum, qui Parochi electi fuerunt. 54. III.

Excommunicationis sententia facile ferenda non est. 172. CXLVIII. In extremo vitæ articulo pœnitens ab ea debet absolvi. *ibid.*

Exorcistæ munus apud Malabares. 54. IV.

Exorcismus ad expellendos Dæmones.

Extremæ Unctionis Sacramentum. Ejus materia. Ab Episcopo benedicitur. Cui conferri debeat. Ejus Minister. Forma. 175. CLIII. Est vere Sacramentum. *ibid. a.* Ejus effectus. Gratiam confert. Quo tempore suscipiendum, & a quo tantummodo. 176. Ejus institutio. *ibid. a.* Quomodo conferri debeat. 177. CLIV. Ejus dignitas & utilitas ægrotis explicanda est. 178. CLV.

Extremæ Unctionis Sacram. carebant Malabarici. 177. *a.* Quid ejus loco in usu penes eos esset. *ibid.*

F

FAmulus nemo non Christianus apud Dominum fidelem. 123. LXXXI.

Feminas Malabarici excludebant a paterna hæreditate. 51. III.

Festi dies a qua præcedentis diei incipiant hora, & sequentis habeant terminum. 415. CX. & *a.* Quid statuerit Synodus Diamperitana. 116. CXI.

Festorum Ordo, & Kalendarium. CCVIII.

Fides doctrina. XXI.

Fidei unica a Filio Dei data, & unum Baptisma. 88. XLII.

Fidei professio emittenda ab omnibus tam Synodo præsentibus, quam absentibus. 70.

Fidem quot professi fuerint in Synodo coram Menessio. 46. VIII. Error enumerationis Gouveæ. *ibid. a.*

Fidei professionem emittere debebant omnes qui Synodo interfuerant. 46. IX.

Filius Dei Patri Consubstantialis. 75. XXII. Spiritus Sancti virtute homo factus in Virgine. *ibid.* In uno Divino ejus supposito, sive Persona duplex perfecta natura. *ibidem.* Vere fuit pro nobis passus. Resurrexit. Sedet ad dexteram Dei Patris. 76. XXIII. Nemo unquam sine ejus fide salutem consequi potuisse. *ib.* XXIV. Ejus Regnum in Cœlis cum Sanctis. 79. XXX. Ejus passio assidue meditanda. 86.

Filios vendere non licet. 257. CCLIV.

Florentinius laudatur, ejusque mens explicatur. 350. XIX.

For-

Forma. Vide Hostiæ.
Frias. Emanuel jussu Joan. III. Lusitaniæ Regis Corpus S. Thomæ inquirit. 363. XXXV. Illud invenit Meliapore. 364. Goam tandem transfertur. *ibid.*

G

GAllorum Episcoporum dissidium. 414. CVII.
Gama. Vascus-Dux Lusitanorum primus venit in ora Malabarica. 4. IV. Spontaneam ei offerunt servitutem Malabarenses, ut vexationibus Regum Ethnicorum carerent. *ibid.*
Garcia Franciscus Soc. Jesu. 439.
Georgius Archidiaconus a Menessio Vicarius Apostolicus instituitur. 19. I. Consiliarii ejus fuere in regenda Diœcesi P. Franciscus Roz, & Rector Collegii S. Jesu Vaipicotensis. 20. Eos recusat. *ibid.* II. Professionem Fidei facturum se spondet, sed latente vafritie. *ibid.* Cassanarios, aliosque coegit, a quibus fidelitatem postulat. *ibid.*
Georgius a Menessio anathemate damnatur, ejusque fautores. 35. VIII. Agnoscit Romanam Ecclesiam, & Menessium ut suum Præsulem. 36. II. Caussas quærit, ut decadem articulorum a Menessio sibi missam non signet. 38. V.
Veretur animum Menessii. 39 I. Veniam a Menessio petit ad ejus pedes provolutus. 40. I. Ad eum Menessius mittit epistolam pro indictionem Synodi. 59.
Georgii cum Menessio congressus. 26. II. Synodi tempus constituunt, & jurisdictionis terminos mutuo definiunt. 27. Adversatur Menessio, quod Ordinum collationem pro Diœcesi, Montensi indixerit. 28. IV.
Georgius Menessii iter ad Malabaricos impedire tentat. 21. IV. Apud PP. Minores fidei professionem emittit. *ibid.* A Menessio Cochimum accersitur. *ibidem.* Fidei professionem genibus flexis ante Menessium emittit in Synodo. 72. XXVIII.
Germani ex Ægypto qui Carmani. 237. IV.
Germanicia. 338.
Giannone Petri opinio de judiciis Episcoporum in caussis secularium redarguitur. 62. *a.* Vide Bohemerus.
Gradus Consanguinitatis, & Affinitatis, qui Matrimonii, aut impediunt contractum, aut nullum efficiunt. 207. CLXXXIX.
Gradus Cognationis Spiritualis, qui. 208. *a.*
Gregorius XIII. injungit Mar-Abraham, ut accessum Missionariis Cath. præberet, & ad Synodum Goensem accederet. 15. III.

H

HAythonus Monachus Præmonstratensis. 374. LXIV.
Helena Constantini Imper. Mater fortasse Corpus S. Thomæ Edessam transtulit. 368. XLII.
Helena Reg. Adiabena Judiaciæ Religionis Proselita. 368. *b.*
Henricus Card. Infans Lusitaniæ, hujus Regni regimen suscepit pro Rege Sebastiano. 14. V.
Hæreditas Patrum in Filios tam masculos, quam feminas æquis partibus dividenda. 262. CCLXI.

Hesy-

Digitized by Google

Hesychastæ qui. 381.
Hieronymus Xavierre Soc. Jesu Indiæ Episcopus. Vitam S. Petri, & D. N. Jesu Christi exaravit. 439.
Hierarchia Ecclesiastica Nestorianorum. 432.
Hormisdas Abbas. 91. XLV.
Hostiæ sive formæ. 156. CXXVI. *a.*

I

JAballaha Indorum Episcopus, 437. Tres Monachos Cœnobii Sancti Eugenii Episcopos ordinat. *ibid.*
Jacobitæ Episcopi Indorum, Gregorius, Andreas, Basilius, Joannes, & Thomas. 11. 444.
Jejunii lex, & quomodo servari debeat. 226. CCXI. Quem non obliget. 227. CCXII.
Jejunia quæ servari præcepto debeant, quæ non. 225. CCX.
Jejunia penes Nestorianos. 388. *a.*
Jejunium quo tempore, & quomodo servandum. 224. CCIX.
Jesujabus Adiabenus. 433.
Illegitimis Presbyterorum filiis ministrare permittitur a Synodo 196. CLXXIII.
Imagines Sacras venerabantur Nestoriani. 239. *a.*
Impedimenta, quæ matrimonium aut dirimunt, aut impediunt, solvit Menessius tradita sibi potestate. 50. I.
De Incarnatione Christi varii Nestorianorum sentiendi modi. 110. *a.*
Indiæ divisio. 338. *a.*
India priscis notissima 351. Ea triplex est juxta Du-Plessium. 352. XXI.
Indi apud Romanos erant Populi, de quibus nullam notitiam haberent. 352. XXI. Propterea Indorum nomine non vocabantur Parthi Romanis notissimi. *ibid.*
Indorum Christianorum mores atque disciplina. 393. & seq.
Indorum ritus atque mores. 386. & seqq.
Infantium Baptismus non protrahendum. 460.
Infernus damnatorum locus. 78. XXVIII.
Joannes Alburquerque Ordinis Seraphici designatus Episcopus Goæ. 11. I. Conciones, & Catecheses habuit, ut Indos ad Rom. Eccl. fidem revocaret. *Ibidem*. Collegium Cranganore erigit. *ibid.*
Infantes expositi baptizandi. 125. LXXXV.
Infantes inani natalis diei conjectura relicti ad interitum. 124. LXXXIII. Mos iste sæculo quinto. *ibid. a.*
Joannes III. Indiæ Episcopus. 435.
Joannes IV. 436.
Joseph a S. Maria Carmelita Disc. Hierapolis Archiep. 141. In Indiam mittitur cum Socio Vincentio Maria a S. Cath. Sedit Cranganore annos tres. Pseudo-Episcopum Thomam reprimit. *ibid.*
P. Joseph a S. Maria designatus Episcopus Cranganorensis ab Alexandro VII. 425. CXXIII.
Josephus I. Malabarensium Metropolita. 437.
Italo-Græci Ecclesiastici matrimonium. 409. *a.*
Judæorum ritus aversandi. 253. CCLVIII.
Junabus Metropolita. 437.
Juncon pœna vectigalis. 34. §. VI.

Digitized by Google

L

LAmpas major, & minor Maronitarum. 221. *b*.
Le Brun laudatur. 379. LVIII. Vide Renaudotii.
Leprosi Sacrificium agere non debent. 183. CLXI.
Liber Baptizatorum in qualibet retinendus Ecclesia. 130. XCII. Quomodo adnotandi. 131.
Liber de Infantia Salvatoris. 108. LXIII.
Liber, in quo describendi, qui matrimonium contraxerunt; & quomodo; in qualibet Parœcia esse debet. 205. CLXXXVII.
Libros omnes Syriace scriptos tradi præcipitur ut expurgarentur. 107. LXII.
Libri Canonici qui. 81. XXXIV.
Librorum examen, & correctionem Menessius instituit. 56. I.
Librorum improborum usus prohibetur. 464.
Libra sive pondus pro mercibus æquale debet esse. 261. CCLX. *a*.
Litaniarum usus 236. Earum auctor ante festum Ascensionis. *ibidem a*.
Lites seculares priscis Ecclesiæ seculis cognoscebant Episcopi. 62. *a*.
Liturgia Diodori, & Theodori Nestorianorum. 153. CXXI. *a*.
Lusitani quo anno Malabarica ora tenuerint. 4. *a*.
Lusitanorum commercium cum Indis primum Cranganore. 37. IV.

M

MAanes Persa, sive Manacavasser Nestorianus, non vero Manichæus, ut Crozæus falso opinatur. 364. *a*.
Machietta Francisci errors corrigitur. 18. *a*.
Tres Magi num a S. Thoma baptizati fuerint. 337. III.
Malabarenses plurimis donantur beneficiis a Regibus Ethnicis. 3. III Proceres, quos Naires dicunt, antecellunt. *ib*. Regem sibi constituunt. 4. III. Vasco Gama Lusitanicæ Classis Præfecto insignia voluntariæ servitutis tradunt. *ib*. IV. Epocam exordiuntur ab Urbe Coulam. *ibid*. V. Ethnicorum Regum sævitie Sacerdotibus carent, unoque tantum Diacono utuntur, qui omnia Ecclesiastica munia obiret. 9. Episcopos petunt ab Ecclesia *Babylonica*. Quinam ii fuerint. *ibid*. Nestorianam hæresim ab ea hauserunt. 10.
Malabarenses Christiani Regem sibi constituunt. 4. III. Ejus stirpe extincta jura Regni transeunt in Regem de Cochim. *ibid*.
Malabaris descriptio. 2. I. & III. penes Baudrand. 3. *a*. Ejus nominis Etymon. 2. II.
Molanduri Menesio Ecclesia observarunt. 33. §. VI.
Mar-Abraham. Romam venit. 13. IV. Pio IV. se sistit, eumque decipit plura spondens se facturum pro recta fide. Iterum Sacris initiatus, Sacris Insulis decoratur. *ibidem*.
In recessibus montium moratur, ne post fugam in custodiam iterum detrudatur. 15. II. Ne Lusitanorum amicitiam amitteret Goam sollicite petit, ut Synodo III. præsens esset. 15. III. Eique subscripsit 50. I. Synodo IV. Goensi adesse noluit. 17. V.
Mar-Gabriel Schismaticus Episcopus Sacra Congregationem de Pro-

Propaganda Fide eludere tentat. 445.
Mar-Joseph privata catechesi Lusitanos pueros Nestorianam haeresim docet. 12. III. Fallit probitatis specie Reg. aulam Lusitaniae. 13. In Indiam revertitur commendatitiis Reginae literis. *ibid.*
Mar-Josephus II. 437.
Mar-Simeon. successor designatus Mar-Abraham a Patriarcha Babylonico. 16. IV. Schisma inter Malabaricos, quorum alii Simeonis, alii Abrahami partes suscipiunt. *ibid.* Protectione Reginae Piperis in Carturtem concedit. *ibid.* A cunctis Ecclesiis ditionis ejus Reginae tamquam Episcopus agnoscitur. *ib.*
Mar-Simeon adnitente Rege de Cochim in vincula coniicitur. Urbem petere statuit suassionibus Fratrum Ord. S. Francisci. Romam venit sedente Sixto V. Summo Pontifice. Detegitur Nestorianus, & nulla ratione Episcopus. 16. IV. Sententiam in eum latam defert ipse ad Philippum II. Hispaniar. & Lusitaniae Regem. 17.
Mar-Audixo, sive Abd-Jesus Romae Fidei professionem emittit. 12. *b.*
Mar-Xabro, & Mar-Prodh. facultatem obtinent construendi Ecclesias Coulani. 8. IV. 434. & 435.
Maria Virgo Mater Dei, absque dolore Filium Dei peperit. 76. XXIII. Misericordiae Mater, & Advocata nostra. 86. XLI. Semper Virgo, & in Coelum corpore assumpta. 87.
Matrimonium a Christo D. Sacramentum effectum est. Confert gratiam. Duplex ejus finis. Tria bona praesefert. Licite contrahitur etiam ab infoecundis ob aetatem. 201. & 202. Quid significet. Perficitur mutuo consensu. 200. CLXXXIII. *a.*
Matrimonium in faciem Ecclesiae celebrandum. 202. CLXXXIV. Clandestinum semper abhorruit Ecclesia. *ibid. a.* Sine Testium praesentia est nullum. Contrahi debet verbis mutuum consensum exprimentibus. 203. CLXXXV.
Matrimonium digne suscipiendum: ideo Contrahentes prius Confessionem emittere debent, & Eucharistiam suscipere. 206. CLXXXVIII. *a.*
Matrimonium Christianos non licet contrahere Ethnicorum more. 212. CXCIV.
Matrimonium contrahentes quibus de causis possunt separari, illius vinculo non soluto. 212 CXCIV. Dos non soluta an sit, justa causa separationis? *ibid. b.*
Menessius officiose erga Mar-Abraham, & ejus Archidiaconum se gerit. 18. Hortatur Jacobum, ut Archiepiscopo Angamallensi obedientiam praestet. *ibid.* A Portano Rege invisitur. 27. III. Vaipicotam pervenit. Concionem habet ad Populum Pontificalibus indutus. 23. Humaniter Georgium excipit. Anathemate percutit omnes, qui inter Divina officia Patriarcham Babylonicum nominaret. *ibid.* In Parù contendit. 24.
Menessii constantia 28. V. Ejus humilitas. 29. Ordines confert Diamper invito Oppidi Praefecto. 29. Pascha, & Majorem hebdomadam celebrat Carturte. *ibid.* VI.
Menessius. Epistolam Clem. VIII.

Digitized by Google

accepit Diamper. 30. VI. Quo anno signata fuerit. *ibid.a.* Præcepto Reginæ Piperis ab sui Regni finibus discedere jussus. 31. I. Decretum illa revocat. 32. I.

Menessius. Venit in Nagpili. 33. VI. Diamper recedit. 34. §. VII. Cochim temigrat. 37. Cranganorem contendit. *ibid.* IV. Synodi locum designat. 40. II. Dispositis rebus ad Synodum, Vaipicota, proficiscitur Cranganorem. 41. IV.

Menessii literæ ad Georgium. 35. II. Ejus auctoritas apud Reges. 38. V. Cum Rege Cranganoris conqueritur, quod male apud ipsum Christianorum res agerentur. *ibid.* IV. In Parù commeat aras Ecclesiarum consecraturus. 41. IV. Quinquaginta ibi Sacris Mysteriis addicit post promissam Rom. Sedi obedientiam. *ib.* Sacerdotibus Malabaricis versionem eorum, quæ in Synodo statuerat aperienda committit. *ibidem* V. Diamper iterum venit, ut Porcani Regis Incolas venientes ad Synodum suscipiat. 44. V. Synodum coegit jussu Clementis VIII. 43. III. Primus omnium, qui aderant Synodo Fide professionem emittit. 44. IV. Goam regreditur post visitationem Angamallensis Diœcesis. 58. V. Typographiam Chaldaice linguę illi mittit Clemens VIII. *ibid.*

Menessius publica lætitia Populorum suscipitur in Ecclesiarum visitatione. 56. I. Manus imponebat super ægros & senes recitatis Evangeliis. 57. IV. Cum P. Roz, & Georgio Archid. convenit quotidie pro revocandis hominibus a malis moribus. 57. III.

Menessius certos reditus dum vitam ageret pro Cassanariis, & novis Parochis instituendis designavit. 50. I. Pluribus donat Vicarios ad suas Parœcias proficiscentes. 55. V. Adloquitur in fine Synodi designatos Pastores. 267. Sacramenta ministrat. 56. II. Nairum, ac Bracmanum obstinationem increpat. *ibid.*

Merati. P. Cajetani M. Cleric Reg. lapsus detegitur, & corrigitur. 407. *a.*

Metropolita Indiæ a quo designabatur. 424. CXXII. Angamale Sedem constituebat. *ibid.*

Miraculum. 33. V.

Miraculum Sancti Thomæ Apostoli. 383. LXIII.

Missæ Sacrificium. Eo redditur Deus propitius, & peccatorum remissio consequitur. 145. CVII. Offertur etiam pro defunctis. *ib.*

Missæ varia nomina. 145. *a.* Soli offertur Deo in memoriam Sanctorum. 144. In ea Sanctorum memoria commendatur ex Apostolica traditione. *ibid. d.*

Missa quando audienda. 159. Defunctorum Animabus prodest quam maxime. Pro vivis, & Defunctis instituta. 160. CXXXIV. Admonetur Populus ad hanc opem cum illis, cum sibi, ferendam. 161. *Summa* pro celebratione *Missarum* ab asse hæredis desumenda antequam ad ejus manus perveniat.

Missarum celebratio natali die Domini N. Jesu Christi, quo tempore, & quomodo. 234. CCXXI. *a.*

Missam exotica lingua celebrari concessit Hadrianus II., Jo: VIII., & Innoc. IV. 154. *b.*

Missæ Malabarensium plures errores corriguntur. 146. & seqq.

Mira-

Digitized by Google

Miracula, quæ de S. Thoma narrantur. 377.
Monachorum, & Monialium in Oriente communes ædes. 389. *b.*
Monachismus defenditur adversus Crozæum. 418. & seqq Vide etiam notas. In Oriente plurimum floruit. *ibid.*
Montfauconius laudatur. 381. LXI.
Morettus Petrus. laudatur. 70. *a.*
Mulieres non arcendæ a Sacramentis, & Ecclesiarum accessu ex causa menstruæ purgationis. 462.
Musici Pagani ab Ecclesia removendi. 160. CXXXIII. Histriones etiam, & Mimi. *ibid. a.*

N

NAires tria hominum genera. 52. III. Naires tantummodo, militiæ student. *ibid.* Eorum quindecim alia genera. *ib. a.*
Naires quomodo ad fidem alliciendi; quid ne ob ignobilium contactu ab ea recederent decreverit Synodus. 244. CCXXXVI. *a.*
Nercha quid. 226. *b.*
Nestorius Assecla Diodori, ac Theodori Mopsuesteni. 36. *b.*
Nestorius in Sede Cpana succedit S. Jo. Chrysostomo. 9. Ejus hæresis capita. *ibid.*
Nomina alia non imponenda pueris, nisi quæ Baptismate susceperunt. 129. LXXXIX. *a.*
Nomina Sanctorum veteris Testamenti non imponenda, sed novi. 128. LXXXVIII.
Nestorianorum Liturgiæ. 286. & sequent.
Nuptiæ quo tempore celebrari possint. 210. CXCII. *a.* Et a contrahentibus connubia qua ætate. 211. CXCIII. & 214. CXCVIII. *a.*
Secundæ Nuptiæ nulla lege prohibentur. Ecclesia tamquam hæreticos eos habet, qui illas damnant velut illicitas. 201.
Secundæ Nuptiæ incontinentiæ argumentum. 204. *a.*
De Noroña - Antonius Præf. Militiæ Cochimensis sub fide sua a Menessio accipit Christianos Malabarenses. 46. IX.

O

OBstetrices Christianæ. 122. Examen subire debent pro munere obeundo. 122. *b.*
B. Odoricus Ord. Min. 384. LXIV.
Œconomi Eccl. 237. CCXXVI. *a.* Quatuor instituuntur in qualibet Ecclesia, quibus ejus res commendarentur. 51. II.
Œconomi Ecclesiarum latis suffragiis eliguntur. 57. III. Iis traditur numerata pecunia inventa in arca cujuslibet Ecclesiæ. 57. III.
Officii Divini onus ad primæva Ecclesiæ tempora referendum. 185. *a.* Laici etiam illud absolvere debebant. *ibid.*
Officium Divinum integre persolvendum. Domi supplendum, quod de illo prætermissum est in Choro. 184. CLXIII. & 185.
Officium, sive preces horariæ B.V. nulla vernacula lingua dici possunt, aut vendi. 417. & *ibid. a.*
S. Officii Inquisitionis origo, & institutio. 112. *a.*
Oleum Sacrum infirmorum apud Nestorianos Malabarenses. 221. *a.*
Olei Sacri usus in Sacramentis. 126. LXXXVI. Crozæus male Romanæ Ecclesiæ inventum esse calumniatur. *ibid. b.*
Olea omnia, demto Chrismate consecrant Presbyteri Græci. 421. *a.*
Ollæ quid apud Indos. 4. *a.*

Digitized by Google

Ona festum Gentilium . 251. CCXLIV.
Oratio fidelium quibus tantummodo neganda est . 246.CCXXXIX.
Orare pro Gentilibus & excommunicatis extra publicas preces debemus . 406. XCVI.
Orare non licet pro Excommunicatis . 89.
Orationes publicæ, & domesticæ qua lingua fieri debeant . 417.
Orbis divisio ex S. Epiphanio . 348. XVII.
Ordinis Sacramentum . A Christo Domino institutum . Ejus materia . Forma . Minister . Maxime necessarium Ecclesię.179.CLVII. Ejus potestas duplex . 180. Per minores gradus ad illud accedere opus est . 180. CLVIII.
In Ordinationibus Sacris per plura secula instrumenta tradita non fuere iis , qui sacros Ordines suscipiebant . 15. *a.*
Ordines nulli conferendi , quin prius de Viri honestate ; & doctrina constiterit . 181. CLIX. Quo ætatis anno suscipiendi . *ib.* & 182.
Originale peccatum negant Nestoriani in pueris præsertim Christianorum filiis . 119. *a.*

P

Pagani unde dicti . 393. *a.*
Paroeciæ , sive Parochiæ unde nomen . 219. *a.*
Paroeciarum distributio atque divisio . 216. CC. Quid priscis Ecclesiæ temporibus . *ibid. a.* Ad Episcopum pertinet . 217. CCI.
Parreis auxilium præstandum in infirmitate Sacramentorum pabulo . 463.
Patresfamilias curare debent suorum salutem æternam . 256. CCLIII.
Patrinorum assistentia vetustissima . 127. LXXXVII. Eorum cognatio spiritualis inter se ; & cum suscipiente Sacramentum , ejusque Parentibus . *ibid.*
Patrinorum cognatio nulla apud Nestorianos . 127. *b.*
Personarum genera apud Indos . 385. LXVI.
Petavius Dionysius laudatur . 348. XVII.
Piper gignitur in Male . 381.
Pœnitentiæ Sacramentum . Ejus materia actus pœnitentis . Quinam , & quid contineant . 162. CXXXV. Quæ materia proxima, quæ remota . *ibid. a.* Peccata singillatim aperiri debent : & circumstantiæ aggravantes in Confessione. Ea Divino jure nobis injuncta fuit . *ibid.*
Pœnitentiæ Minister . Forma , cujus prolatione peccata delentur . 163. & 164. Effectus . Unicum remedium lapsis post Baptismum. *ibidem* .
Pœnitentiæ Sacramentum , quod abhorrebant Indi, maxime fidelibus necessarium agnoscunt. 56. *a.*
Pœnitentiæ Sacramentum non agnoscebant Christiani Indi nec ad S. Synaxim cum accederent . 48. III.
Poligamia prohibetur.213.CXCVI. Eam abhorrent Bracmanes . *ibidem . b.*
Pollutio Templorum quomodo contingat . 240. CCXXX. *b.*
Pœnę genus circumpositis ramis.29.
Porcanus Rex Idolorum cultum piæ aliis affectat, quæ ad nongenta sunt usque . 27. *a.*
Presbyteris post Sacros Ordines numquam Ecclesia uxorem ducere

Digitized by Google

cere permisit. 193.
Procuratores quatuor ab unoquoque Oppido designantur ad Synodum Diamperitanum. 41. III.
Proventus congrui assignantur Vicario, & Cassanariis cujuslibet Ecclesiæ. 57. III.
Publica supplicatio post Synodum. 54. II.
Purgatorii pœnæ; quæ ad tempus. 78. XXVII.
Pueri quando baptizandi. 120. LXXVI. Per plures annos Baptismate carebant ab excommunicatis orti parentibus. 121. LXXVII.
Pulleyar, sive Pullejar Idolum. Vide Tally.

R

RAphael de Figruedo Indus, Episcopus Indorum Catholicus. 444.
Regina Piperis. 16. IV. Menessium e suis finibus Regni discedere jubet. 31. I. Decretum revocat. *ibidem*.
Rei experimentum ad crimen diluendum culpa non vacat. 259. CCLVII. *a*.
Reliquiæ Sanctorum dicebantur Brandea, seu quæ Corpus Sanctorum tetigerant. 372. *a*. Mos erat antiquitus reliquias ab ipsis Corporibus sumere, & alibi transferre. 373. & seqq.
Reliquiæ S. Thomæ Calaminæ inventæ. 342. IX. Edessam in insulam Chio translatæ, inde Ortonam. 369. XLIV. Earum inventiones recensentur. 370. XLVII. Eas concedit Lusitanis Rex Cochimensis. 371. XLVIII.
Renaudotii & Le Brun sententia quoad consecrationem. 137. *a*.
Reservatio peccatorum qua de causa ab Ecclesia in usum recepta. 170. CXLVI.
Ribeiro. Joannes Soc. Jesu. Episcopus Malabaren, male habetur ab Indis. 446. & 447. Supplicem libellum mittunt una cum Schismaticis Summo Pontifici. *ibid.*
Romana Ecclesia, Catholica, Caput, & Mater ceterarum. 80. XXXIII. *a*.
Romanus Pontifex Ecclesiæ Caput, S. Petri Successor. 88. XLIII.
Roz P. Franciscus Soc. Jesu a Menessio designatur Gubernator, & Vicarius Apostolicus Angamalensis Ecclesiæ, cujus postea fuit Episcopus. 19. I. Linguam Malabaricam, ac Syriacam callebat. *ibid.* Concionem habet Malabarice initio Syn. Diamp. 43. II.

S

SAcramentorum numerus, & Sacramentaria. 402. LXXXIX.
Sacramenta quo ritu, quibusve indumentis ministrari debeant. 235. CCXXII.
Sacramenta Confirmationis, Unctionis Extremæ, & Pœnitentiæ noverant olim Malabarici. 401. LXXXVIII.
Sacramentorum numerus Septenarius. 114. LXX. A Nestorianis agnoscitur. *ibid.*
Sacramentalia in Baptismate non omittenda. 460.
Sanctorum Regnum cum Christo. 79. XXX. Eorum cultus. *ibid.* XXXI. *a*.
Scholarum erectio ab Ecclesiæ primordiis. 10. *a*.
Senibus pro labore impenso locus decentior sepulturæ a Menessio attribuitur. 48. II.

Senes

Digitized by Google

Senes Montenses Menessius consuluit in Synodo ad mores Regionum reformandos. 48. II.
Simonia damnatur a Synodo sicut a tota Catholica Ecclesia. 196. CLXXIX. & 197. a. Ut ea omnino tolleretur Populum hortatur Synodus, & ut certam summam constitueret pro Ministrorum Ecclesiæ sustentatione. 198. CLXXX. & 199. CLXXXI.
Smidæus. Vide Asmedeus.
Socratis locus de Nicæno Concilio explicatur. 409. CI. & seq.
Spiritus Sanctus a Patre, & Filio tamquam ab uno principio unica spiratione procedit. 75. XXI.
Superstitiones vitãdę. 248. CCXLII & seqq.
Supplicationes publicæ quando fieri debeant. 336.
Synodus IV. Goensis. 17. V.
Synodus Goensis prohibuit sub excommunicationis pęna matrimonia ab illis iniri, qui in Sacris constituti fuerant. 50. I. Eidem Mar-Abraham subscripsit. *ibid.*
Synodus tertia Goensis a quo indicta. 15. III. Cavet, ne ullus ex Armenis, aut Chaldæis Episcopus accederet ad moderandam Ecclesiam Montensem. 17. a. Ad Ormusium propterea exploratores mittuntur, ne clanculum aliquis eo veniret. VI.
Synodi Diamper. epistola ad Episcopi de Cochim. 281.
Synodi pars aliqua Dominicis, aliisque festis diebus Populo legenda. 266.
Synodus Diamp. obedientiam jurat Romano Pontif. 110. Concilia omnia recipit. *ibid.* LXVI. Sanctæ Inquisitionis Tribunal agnoscit. 12. LXVIII. Indicitur per Epistolam missam a Menessio ad Georgium Diaconum. 59.

T

TAbernæ, in quibus venditur Orraca, prohibentur. 261. CCLIX. 4.
Tally aurea tessera nuptialis. 461. Pulleyaris, sive Pyllejaris Idoli nuptialis imaginem exhibet. *ib.*
Tartari Indiam invadunt. 383. LXIII.
Temperantiam servare debent Sacerdotes. 189. CLXIX.
Testamentorum executio ad quem pertineat jure Canonico. 246. CCXXXVIII.
Theodorus Mopsuestenus *plures* canonicos libros utriusque Testamenti rejecit. 81. b. Cur a Patribus non fuerit damnatus. 399 a.
Lex Theodosii de non distrahendis Martyrum Corporibus. 375. a.
S. Thomas Apostolus quas regiones lustraverit. b. II. Indos ad fidem convertit. *ibid.* Meliapore Martyrium patitur fraude Bracmanum. 7. II. Quo anno id contigerit. *ibid.* c. Obiit Anno Christi 73. 7. a. Ejus corpus Meliapore repertum. *ibid.* Defertur primo Edessam, *inde Chium*, postremo Ortanam in Apulia. *ib.*
S. *Thomas quas* Nationes, & Gentes lustraverit, vide Dissertat. I. an. I. ad III. Nihil certius apud Patres quam ejus Evangelica prædicatio apud Indos. 342. IX. Sinenses Evangelium docuit. 342. X. & XI. Etiam Tartaros. *ibid.* Fortasse & in Americam Meridionalem venit ad fidem promulgandam. 345. XII.
S. Thomæ Corpus quievit Edessæ

Meso

Mesopotamiæ. 346. Non tamen integrum. *ibid.* & 360. XXXIX. Quo tempore translatum ex India in eam Urbem. 366. XL. 367. XLI. Hasta transfixus a quodam Bracmane, sive gladio ab Idolorum Pontifice. 361.

S. Thomæ Corpus a quo fuerit inventum. Vide Frias. Emmanuel. De loco Martyrii, & Sepulchri S. Thomæ inter scriptores dissentio. 361. XXXII. Facile tamen difficultas dissolvitur. *ibid.* Calaminæ fuit. 362. XXXIII. Non Calamone in Arabia ut opinatur Tillemontius. 363. XXXIV. Ejus Sepulchri alia monumenta in suburbano colle Meliaporis. 364. XXXVI. Ubi miraculis claret. 365. XXXVIII. Reliquiæ quot in Locis venerationem habeant. 360. XL.

S. Thomæ miraculum quotannis. A veritati innitatur. *ibid.* Et cit. loc.

S. Thomæ Crux sudore manat. 364. XXXVI. Ejus Caput Cpolim translatum. 376. LV.

Thomas Cana, sive Mar-Thoma carus Regibus Ethnicis Christianos fugientes e Meliapore tuetur. 8. III. Num Armenus fuerit. *ibid. a.*

Thomas a Campo Schismate Malabarensium Episcopus a Cassanariis ordinatur. 425. CXXIII.

Thomas Cana Aramaeus idem qui Episcopus Indorum. 434.

Thomas de Campo Pseudo-Episcopus Schismaticus. 442. Frustra ejus ordinationem defendere conatur Crozæus.

Tibicines Christiani operam suam locare non debent in Pagodis, & Idolorum festivitatibus. 463.

Toscano P. Antonius Soc. Jesu. lingua Malabarica concionem habuit Carturte feria V. maj. hebdomadæ. 32.

Tournon. Carolus Thomas S.R.E. Card. 458. Ejus decretum ad Missionarios de ritibus Sinensibus. 459.

Travancoridis Rex arcem munitissimam construit Coulani adversus Lusitanos. 5. VI.

Treptia, sive Tertia uxor Smidæi Regis Indorum, a S. Thoma ad fidem conversa. 361.

V

VArtomanus. Ludovicus. 388. LXX.

Vascus Gama. Vide Gama.

Venefici fugiendi. 254. CCXLIX.

Vendere juvenes, etiam non Christianos Infidelibus vetitum. 124. LXXXII.

Vestes & earum color inter Clericos eadem, ac Sæcularium penes Orientales. 389. *a.*

Vicario & Cassanariis cujuslibet Ecclesiæ census assignatur. 57. III.

Unio naturarum in Christo. 105. *c.* 106. *a.*

Usuræ accipi non debent ex mutuo. 254. CCL.

X

XAran Perumal Malabaris Imperator, superior aliis ejus Regionibus Principibus. 3. III.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100003063

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT

Armari LXXXVIII B
Prestatge 4
Número 11

Digitized by Google

Digitized by Google